a 4966
R
1737

Valerius Maximus rerum varietate conspicuus, in plerisq; acutus, et subtilis, in plerisq; durus et abiectus, labe quoq; adulationis haud uitiosus.

Ioan. Bona Card. in D. Psalmod.

1715.

S. D. G.

R. 12.

II 1920:4270.

VALERII MAXIMI DICTORVM FACTORVMQ. MEMORABILIVM EXEMPLA.

Ioan Urbang Waldmeyer Sacerd. Segningk. 1714.

Adiecto Indice Propriorum nominum, Rerumq; memoria dignarum locupletissimo.

APVD SEB. GRY-
PHIVM L-
GDVNI,
1547.

Bibliotheca universitatis Dorpatensis
1920:4270.
II

Tidely Lueb.

VALERII MAXIMI VITA.

MALERIVS *Maximus ciuis Romanus, Patricio genere natus, omnem pueritiã, & magnã adolescentiæ partem literis percipiẽdis, & honestis artibus dedit. Inde sumpta uirili toga se contulit ad rei militaris disciplinã, ubi aliquandiu stipendia feciſſe, & in Asiã cum Sexto Pompeio nauigaſſe dicitur. Vnde reuersus, cùm uideret se patriæ suæ tam bene dicẽdo, quàm benefaciẽdo posse prodesse, à quo incœpto studio militiæ gloria detinuerat, eòdem regressus, statuit urbis Romæ, exterarumq; gentium facta, simul ac dicta memoratu digna, ut ipse fatetur, literarum monumentis commendare: quod feliciter, & gloriosè consecutus est. Floruit autem Tiberij Cæsaris temporibus, & subeius imperio, hanc scripsit historiam, cuius etiam numen inuocat. Imperatores enim Romani, cum uirtute sua iustè sanctéq; gessissent imperium, diuino celebrabantur honore, & in deorum numerum transferebantur, unde etiam Diuos Imperatores appellamus. Genus uerò suum paternum à gente Valeria, maternum à Fabia duxisse fertur, unde Valerius Maximus ex utraq; familia ei nomen est, de cuius morte certi nihil potest asseri.*

CAP

4-EA
1150
153066082

CAPITVM INDEX.

LIBERI PRIMI.

De Cultu Deorum. Caput I.
De Neglecta religione II.
De Simulata religione III.
De Auſpicijs IIII.
De Ominibus V.
De Prodigijs VI.
De Somnijs VII.
De Miraculis VIII.

LIBRI II.

De Inſtitutis antiquis. Caput I.
De Diſciplina militari II.
De Iure triumphandi III.
De Cenſoria nota IIII.
De Maieſtate V.

LIBRI III.

De Indole. Caput I.
De Fortitudine II.
De Patientia III.
De ijs, q humili loco nati, clari euaſerunt IIII.
De ijs, qui à parentibus claris degenerauerunt V.
De ijs, qui ex illuſtribus, in neſte, aut cætero cultu licentius quàm mos patrius permittebat, indulſerunt VI.
De Fiducia ſui VII.
De Conſtantia VIII.

LIBRI IIII.

De Animi moderatione. Caput I.
De Iis, qui ex inimicis iuncti sunt amicitia, & necessitudine II.
De Abstinentia, & continentia III.
De Paupertate IIII.
De Verecundia V.
De Amore coniugali VI.
De Amicitia VII.
De Liberalitate VIII.

LIBRI V.

De Humanitate. Caput I.
De Gratis II.
De Ingratis III.
De Pietate Coriolani IIII.
De Pietate erga fratres V.
De Pietate erga patriam VI.
De Parentum amore, & indulgentia in liberos VII.
De Parentum seueritate aduersus liberos VIII.
De Parentum moderatione aduersus susceptos liberos IX.
De Horatio Puluillo X.

LIBRI VI.

De Pudicitia. Caput I.
Quæ liberè dicta, aut facta II.
De Seueritate III.
Graniter dicta, aut facta IIII

De Iustitia V.
De Fide publica VI.
De Fide uxorum erga uiros VII.
De Fide seruorum erga dominos VIII.
De Mutatione morum & fortunæ IX.
De Iis, qui à statu humili ad altiora ascenderunt X.
De Varietate casuum XI.

LIBRI VII.

De Felicitate. Caput I.
Sapienter dicta, aut facta II.
Vafrè dicta, aut facta III.
De Stratagematis IIII.
De Repulsis V.
De Necessitate VI.
De Testamentis, quæ rescissa sunt VII.
De Testamentis, quæ rata manserunt VIII.
De Qu. Cæcilio, & Lucio Lucullo IX.

LIBRI VIII.

Infames rei, quibus ex causis absoluti, aut damnati sunt. Caput I.
De Priuatis iudicijs II.
Quæ mulieres apud magistratus pro se aut alijs causas egerunt III.
De Quæstionibus IIII.
De Testibus V.
Qui, quæ in alijs uindicarũt, ipsi cõmiserũt VI.
De Studio, & industria VII.
De Otio VIII.

Quanta uis est eloquentiæ IX.
Quantum momentum sit in pronuntiatione, & apto motu corporis X.
Quàm magni effectus artium sint XI.
Quædam nulla arte effici posse XII.
Suæ quenque artis & autorem & disputatorem optimum esse XIII.
De Senectute XIIII.
De Cupiditate gloriæ XV.
Quæ cuiq; magnifica contigerunt XVI.

LIBRI IX.

De Luxuria. Caput I.
De Crudelitate II.
De Ira & odio III.
De Auaritia IIII.
De Superbia, & impotentia V.
De Perfidia VI.
De Vi & seditione, & de Pop. Rom. VII.
De Temeritate VIII.
Quantum ualet error IX.
De Vltione X.
Dicta improba, aut facta scelerata XI.
De Moribus non uulgaribus XII.
De Cupiditate uitæ XIII.
Quàm exquisita custodia usi sunt, quibus suspecti domestici fuerunt XIIII.
De Similitudine formæ XV.
De ijs qui infimo loco nati, mendacio se clarissimis familijs inserere conati sunt XVI.

VALERII MAXIMI

Factorum ac Dictorum memorabilium Liber Primus, ad Tiberium Cæsarem.

PROLOGVS.

VRBIS ROMAE, exterarumq; gentiũ facta simul ac dicta memoratu digna, quæ apud alios latius diffusa sunt, quàm ut breuiter cognosci possint, ab illustrẽbus electa autoribus deligere constituí: ut documenta sumere uolentibus lõgæ inquisitionis labor absit. Nec mihi cuncta cõplectendi cupido incessit. Quis enim omnis æui gesta, modico uoluminum numero cõprehenderit? Aut quis compos mentis, domesticæ, peregrinæq; historiæ seriem, felici superiorum stylo conditam, uel attentiore cura, uel præstantiore facundia, traditurum se sperauerit? Te igitur huic cœpto, penes quem hominum, Deorumq; consensus, maris, ac terræ regimen esse uoluit, certissima salus patriæ Cæsar, inuoco: cuius cœlesti prouidentia uirtutes, de quibus dicturus sum,

benignißimè fouentur: uitia ſeueriſſimè uindicantur. Nam ſi priſci Oratores ab Ioue opt. Max. bene orſi ſunt, ſi excellentiſſimi uates à numine aliquo principia traxerunt, meæ paruitas eò iuſtius ad fauorem tuum decurrerit, quòd cætera diuinitas opinione colligitur: tua, præſenti fide, paterno auito'que ſyderi par uidetur: quorum eximio fulgore multum ceremonijs noſtris inclytæ claritatis acceſſit. Reliquos enim deos accepimus, Cæſares dedimus. Et quoniam initium à cultu Deorum petere in animo eſt, de conditione eius ſummatim diſſeram.

DE CVLTV DEORVM.

CAPVT I.

MAIORES, ſtatas, ſolennesq; ceremonias, Pontificũ ſcientia: benè gerendarum rerum autoritates, Augurum obſeruatione: Apollinis prædictiones, uatum libris: portentorũ depulſa, Hetruſca diſciplina explicari uoluerunt. Priſco etiam inſtituto rebus diuinis opera datur: cùm aliquid commendandum eſt, precatione: cùm exposcendum, uoto: cùm ſoluendum, gratulatione: cùm inquirendum, uel extis, uel ſortibus, impetrito: cùm ſolenni ritu peragendum, ſacrificio: quo etiam oſtentorum, ac fulgurum denuntiationes procurantur.

De

De Cerere placanda.

Tantum autem ſtudium antiquis non ſolùm obſeruandæ, ſed etiam amplificandæ religionis fuit, ut florentiſſima tum, & opulentiſſima ciuitate, decem principum filij ſ. c. ſingulis Hetruriæ populis, percipiendæ ſacrorum diſciplinæ gratia traderentur: Cereri'que, quam more Græco uenerari inſtituerant, ſacerdotem à Velia, cùm id oppidum nodum ciuitatis nomen accepiſſet, Chalcitanam peterent: uel, ut alij dicunt, Caliphenam: ne deæ uetuſtis ritibus perita deeſſet Antiſtes. Cuius cùm in urbe pulcherrimum templum haberent, Gracchano interitu polluũ, moniti Sibyllinis libris, ut uetuſtiſſimam Cererem placarent, Ennam (quoniam ſacra eius inde orta credebant) quindecim uiros ad eam propitiãdam miſerunt. Item matri Deûm ſæpenumero Imperatores noſtri, compotes uictoriarum, ſuſcepta uota Peſſinuntem profecti ſoluerunt.

De Metello Pontifice.

Metellus uerò Pont. Max. Poſthumium Conſulem eundemq; Flaminem Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, ne à ſacris diſcederet, multa indicta, urbẽ egredi paſſus non eſt: religioniq; ſummum Imperium ceſſit: quòd tuto ſe Poſthumius Martio certamini commiſſurus non uidebatur, ceremonijs Martijs deſertis.

De Tiberio Graccho.

Laudabile XII. fascium religiosum obsequium: laudabilior quatuor & uiginti in consimili re obedientia: à Tiberio enim Graccho ad collegiũ augurũ literis ex prouincia missis: quibus significabat se, cùm libros ad sacra populi pertinentes legeret, animaduertisse uitio tabernaculum captum, comitijs consularibus, quæ ipse fecisset, eaq; re ab auguribus ad senatum relata, iussu eius C. Figulus è Gallia, Scipio Nasica è Corsica Romam redierunt, & se consulatu abdicauerunt.

De P. Cælio, M. Cornelio.

Consimili ratione pòst P. Cælius, Marcus Cornelius, M. Cethegus, & C. Claudius propter exta parum curiosè admota aris deorum immortalium, uarijs temporibus, belliq; diuersis, Flaminio abire iussi sunt, coactiq; etiã.

De Sulpitio.

At Sulpitio inter sacrificandum è capite apex prolapsus, eidem sacerdotium abstulit.

De Fabio Max.

Occentusq; soricis auditus, Fabio Max. dictaturam, C. Flaminio magisterium equitum deponendi causam præbuit.

De Publio Licinio.

Adijciendum his, quod P. Licinio Pontifici Max. uirgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens æterni ignis custos fuisset, dignauisa

uisa est, quæ flagro admoueretur.

De uirgine Aemilia.

Maximè uerò uirginis Aemiliæ disciplinam, extincto igne, tutam ab omni reprehensione Vestæ numen præstitit, quæ adorante, cùm carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subito ignis emicuit.

De Marcello, & templo Honoris, & Virtutis.

Non mirum igitur si pro eo imperio augendo, custodiendoq; pertinax eorum indulgentiæ Deorum semper excubuit, quòd tam scrupulosa cura, paruula quoq; momenta religionis examinari uidentur: quia nunquam remotos ab exactissimo cultu ceremoniarum oculos habuisse nostra ciuitas existimanda est. In qua cùm Marcellus quintum Consulatum gerens, templum Honori, & Virtuti, Clastidio prius, deinde Syracusis potius nuncupatis debitum uotis consecrare uellet, à collegio pontificum impeditus est: negante unam cellam duobus Dijs rectè dicari: futurum enim, si quid prodigij accidisset in ea, ne dignosceretur, utri rem diuinam fieri oporteret: nec duobus nisi certis Dijs una sacrificari solere: ea pontificum admonitione effectum est, ut Marcellus, separatis ædibus, Honoris, ac Virtutis simulacra statueret: neque aut collegio pontificum autoritas amplissimi uiri, aut Marcello adiecta impensæ

pensæ impedimento fuit, quo minus religionibus suus tenor, suaq; obseruatio redderetur.

De L. Furio Bibaculo.

Obruitur etiam tot illustribus consularibus L. Furius Bibaculus, exemplisq; locũ uix post Marcellum inuenit. Sed pij simul, ac religiosi animi laude fraudandus non est: qui prætor à patre suo collegij Saliorũ magistro iussus sex lictoribus præcedentibus arma ancylia tulit: quãnis uacationẽ huius officij, honoris beneficio haberet. Omnia nanq; post religionẽ ponẽda semper nostra ciuitas duxit: etenim in quibus summæ maiestatis conspici decus uoluit. Quapropter non dubitauerunt sacris imperia seruire: ita se humanarũ rerum futura regimẽ existimantia, si diuinæ potentiæ bene, atq; cõstanter fuissent famulata: Quod animi iudiciũ in priuatorum quoq; pectoribus uersatum est. Vrbe enim à Gallis capta, cùm Flamen Quirinalis uirgines que Vestales sacra onere partito ferrent, eas que Pontem Sublicium transgressas, & Cliuum, qui ducit ad Ianiculum, descendere incipientes, L. Aluanius plaustro coniugem, & liberos uehemẽs aspexisset, propior publicæ religioni, quàm priuatæ charitati, suis ut plaustro descenderent, imperauit: atque in id uirgines & sacra imposita, omisso cœpto itinere, Cerete oppidum peruexit: ubi cum summa uenerationẽ recepta grata memoria,

ria, ad hoc usq; tempus hospitalem humanitatem testantur. Inde enim institutum est sacra, Ceremonias uocari: quia Ceretani ea in fracto Reipublicæ statu, perinde ac florente, coluerunt. Quare agreste illud & sordidum plaustrum, tempestiuè capax cuiuslibet fulgentissimi triumphalis currus, uel aquauerit gloriam, uel antecesserit.

De Caio Fabio.

Eadem Reipublicæ tempestate C. Fabius Dorso memorabile exemplum seruatæ religionis dedit. Nanq; Gallis Capitolium obsidentibus: ne statutum Fabiæ gentis sacrificium interrumperetur, Gabino ritu cinctus, manibus humeriq; sacra gerens, per medias hostiũ stationes, in Quirinalem collẽ peruenit: ubi omnibus solenni more peractis, in Capitolium post diuinam uenerationem, uictricium armorum perinde ac uictor, rediit.

De P. Cornelio, & Bebio Pamphilo Consulibus.

Magna conseruandæ religionis etiam Pub. Cornelio, & Bebio Pamphilo COSS. apud maiores nostros acta cura est. Siquidẽ in agro Lucij Petilij scribæ sub Ianiculo cultoribus terram altius uersantibus: duabus arcis lapideis repertis, quarum in altera scriptura indicabat corpus Numæ, Pomponij filij fuisse: in alteræ libri reconditi erant, Latini septem de iure Pontifi

Pontificum, totidemq; Græci de disciplina sapientiæ: Latinos magna diligentia asseruandos curauerunt: Græcos, quia aliqua ex parte ad soluendam religionem pertinere existimabantur, Petilius prætor Vrbanus ex autoritate Senatus per Victimarios facto igne, in conspectu populi cremauit. Noluerunt enim prisci uiri quicquam in hac ciuitate asseruari, quo animi hominum à Deorum cultu auocarẽtur.

De Tarquinio rege.

Tarquinius autem rex M. Tullium Duumuirum, quòd librum secreta ciuilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abijci iussit: idq; supplicij genus non multò post parricidis lege irrogatum est. Iustissimè quidem: quia pari uindicta parentum ac deorum uiolatio exp̃ãda est.

De M. Regulo Attilio.

Sed in ijs quæ ad custodiam religionis attinent, nescio an omnes M. Attilius Regulus præcesserit, qui ex uictore speciosissimo, insidijs Hasdrubalis, & Xanthippi Lacedæmonij ducis, ad miserabilem captiui fortunam deductus, ac missus ad S. P. Q. R. legatus, ut ex se & uno, & sene complures Pœnorum iuuenes pensarentur: in contrarium dato consilio, Carthaginem petijt: non ignarus ad quàm crudeles, quamq; etiam meritò sibi infestos deos re-

uerteretur: uerùm quia his iurauerat, si captiui eorum redditi non forent, ad eos sese redditurum. Potuerunt profectò Dij immortales efferatam mitigare sæuitiam: cæterùm quo clarior esset Attilij gloria, Carthaginienses moribus suis uti passi sunt: tertio Punico bello religiosissimi spiritus tam crudeliter uexati, urbis eorum interitu, iusta exacturi piacula. Quanto nostræ ciuitatis Senatus uenerabilior in Deos? qui post Cannensem cladem decreuit, ne matronæ ultra trigesimum diem luctus suos extenderent, uti ab his sacra Cereris peragi possent: quia maiore penè Romanorum uirum parte inexecrabili, ac diro sõlo iacente, nullius penates mœroris expertes erant. Itaque matres, ac filiæ, coniuges q;, & sorores, nuper interfectorum absterſis lacrymis, depositisq; doloris insignibus, candidam induere uestem, & aris thura dare coactæ sunt: qua quidem constantia obtinendæ religionis, magnus cœlestibus iniectus est rubor, ulterius aduersus eam sæuiendi gentem, quæ ne iniuriarum quidem acerbitate ab eorum cultu abſterreri potuerit.

De Persarum in Apollinem religione.

Persæ mille nauium numero Delum compulsi, templo Apollinis religiosas potius manus, quàm rapaces adhibuerunt.

De

De religione Athenienſium, qui philoſophos etiam irreligioſè diſputantes non tulerunt.

Athenienſes Diagoram philoſophum pepulerunt, quia ſcribere auſus fuerat, primum ignoraſſe an Dij eſſent: deinde ſi ſint, quales ſint. Idem Socratem damnauerunt, quòd nouam religionem introducere uidebatur. Idem Phidiam tulerunt, quandiu is marmore potius, quàm ebore Mineruam fieri debere dicebat, quòd diutius nitor eſſet manſurus: ſed ut dixerit, & uilius, tacere iuſſerunt.

DE NEGLECTA RELIGIONE. CAPVT II.

De Varrone conſule dimicante cum Carthaginienſibus.

CReditum eſt Varronem Conſulem apud Cannas cum Carthaginienſibus tam infeliciter dimicaſſe ob iram Iunonis: quòd cùm ludos Circenſes Aedilis faceret in Iouis Optimi Maximi templo, eximia facie puerum hiſtrionem ad excubias tenendas poſuiſſet: quod factum poſt aliquot annos memoria repetitum, ſacrificijs expiatum eſt.

De Potitio non obſeruante ſacra.

Hercules quoq; detractæ religionis ſuæ, & grauem & manifeſtam pœnam exegiſſe traditur. Nam cùm Potitij ſacrorum eius ritum, quem pro dono genti eorũ ab ipſo aſſignatum, uelut

uelut hæreditarium obtinuerãt, autore Appio Cenſore ad humile ſeruorum miniſterĩũ tranſtuliſſent: omnes qui erant numero ſuper XXX. puberes, intra annum extincti ſunt. Nomenq; Potitium in duodecim familias diuiſum propè interijt: Appius uerò luminibus captus eſt.

De Apolline uindicante ſe de ſacrilegio.

Acer etiam ſui numinis uindex Apollo, qui Carthagine à Romanis oppreſſa, ueſte aurea nudatus, id egit, ut ſacrilegæ manus inter fragmenta eius abſciſſæ inueniuntur. Brennus Gallorum dux Delphis Apollinis templum ingreſſus, Dei uoluntate in ſe manus uertit.

De Turulio.

Nec minus efficax ultor cõtemptæ religionis filius quoq; eius Aeſculapius: qui cõſecratum templo ſuo lucum à Turulio præfecto Antonij, ad naues ei faciendas, magna ex parte ſuciſum dolẽs, inter ipſum neſarium miniſterium deuictis partibus Antonij, imperio Cæſaris morti deſtinatum Turulium, manifeſtis numinis ſui uiribus in eum locum, quem uiolauerat, traxit: effecitq;, ut ibi potiſſimum à militibus Cæſarianis occiſus, eodẽ exitio, & reuerſis iam arboribus pœnas lueret, & adhuc ſuperantibus, impunitatem conſimilis iniuriæ praeveret: ſuamq; uenerationem, quam apud colẽtes maximam ſemper habuerat, Deus multiplicauit.

De Q. Fuluio.

Quintus autem Fuluius Flaccus impunè nõ tulit, quòd in censura tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniæ templo in ædem Fortunæ Equestris, quam Romæ faciebat, trãstulit. Negatur enim post hoc factum mente cõstitisse: quin etiã per summã ægritudinẽ animi expirauit, cùm ex duobus filijs in Illyrico militantibus, alterũ decessisse, alterũ grauiter audisset affectum: cuius casu motus Senatus, tegulas Locros reportandas curauit: decretiq; circunspectissima sanctitate impiũ opus cẽsoris retexuit.

De Pleminio legato Scipionis.

Tam mehercule, quam Pleminij legati Scipionis in thesauro Proserpinæ spoliando sceleratam auaritiam iusta animaduersione uindicauit. Cùm enim eum uinctum Romam protrahi iussisset, ante causæ dictionem in carcere teterrimo genere morbi cõsumptus est. pecuniam Deæ eiusdem Senatus imperio, & quidẽ summã duplicando, recuperauit. Quæ quod ad Pleminij facinus pertinuit, bene à patribus C. uindicata. Quod ad uiolẽtas regis Pyrrhi sordeis attinuerat, seipsam potenter atque efficaciter defendit: coactis enim Locrẽsibus ex thesauro eius, magnam illi pecuniam dare: cùm onustus nefaria præda nauigaret, ui subitæ tempestatis tota cum classe, uicinis Deæ littoribus illisus est: in quibus pecunia incolumis reperta,

ta, sanctissimi thesauri custodiæ restituta est.

EXTERNA.

De Masinissa rege.

At non similiter Masinissa Rex Numidarum: cuius cùm præfectus classis Melitam appulisset, eó: fano Iunonis denteis eburneos eximiæ magnitudinis sublatos, ad eum pro dono attulisset, ut comperit unde aduecti essent, quinqueremi reportandos Melitam, inq; templo Iunonis collocandos curauit, insculptos gentis suæ literis, significantibus regem ignorantem eos accepisse, libenter Deæ reddidisse. Factum Masinissæ animo, quàm Punico sanguini conuenientius: quanquam quid attinet mores natione pendi? in media barbaria ortus, sacrilegium reseidit alienum.

De Dionysio Syracusano.

Syracusis genitus Dionysius, tot sacrilegia sua, quot iam recognoscimus, iocosis dictis prosequi uoluptatis loco duxit: fano enim Proserpinæ spoliato Locris, cùm per alium, secundo uento classe ueheretur: ridens amicis, Videtis'ne, ait, quàm bona nauigatio ab ipsis Dijs immortalibus sacrilegis tribuatur? Detracto etiam Ioui Olympio magni ponderis aureo amiculo, quo eum tyrannus Hiero è manubijs Carthaginiẽsium ornauerat: iniectoq; ei lanco pallio: dixit, Æstate grauem esse aureum amiculum, hyeme frigidum: lanceum autem ad

utrunq; tempus anni aptius. Idem Epidauri Aesculapio barbam aureã demi iußit: quòd affirmaret, non conuenire patrem Apollinem imberbem, ipsum uerò barbatum cõspici. Idem mensas argenteas, atq; aureas è sanis sustulit. Quodq; in his more Græciæ scriptum erat, bonorum deorum eas esse: uti se bonitate eorum prædicauit. Idem victorias aureas, & pateras, & coronas, quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, tollebat: & eas se accipere, non auferre, dicebat: perquàm stultũ esse argumentãdo, à quibus bona precamur, ab his porrigẽtibus nolle sumere. Qui tametsi debita supplicia nõ exoluit: dedecore tamen filij, mortuus pœnas rependit, quas uiuus effugerat. Lento enim gradu ad uindictam sui diuina procedit ira: tarditatemq; supplicij, grauitate cõpensat.

De Thymasitheo principe Liparitanorum.

In quam ne incideret Thymasitheus Liparitanorum princeps, consilio sibi aliter, atque uniuersæ patriæ, utili prouidit exẽplo: Excepta nanq; in freto à ciuibus suis piraticam exercentibus magni ponderis aurea cratera, incitatoq; ad eam partiendam populo: ut comperit à Romanis Pythio Apollini decimarũ nomine dicatam, eam Delphos perferẽdam curauit.

De uindicta Cereris in Alexandri milites exercita.

Mile-

sia Ceres, Mileto ab Alexandro capta, milites, qui templum spoliaturi irruperant, flamma obiecta priuauit oculis.

De Diomedonte.

Diomedon unus ex decem ducibus, qui eadem pugna Atheniensibus victoriam, sibi uerò damnationem pepererunt: cùm iam ad meritum supplicium duceretur: nihil aliud locutus est, quàm ut uota pro incolumitate exercitus ab ipso nuncupata soluerentur.

De Simvlata religione. CAP. III.

Nvma Pompilius, ut populum Romanum sacris obligaret: uolebat uideri sibi cum dea Aegeria congressus esse nocturnos: eiusq; monitu, se, quæ accepta Diis immortalibus sacra forent, instituere.

De Scipione Africano.

Scipio Africanus non ante ad negotia publica, uel priuata ibat, quàm in cella Iouis Capitolini moratus fuisset: & ideo Ioue genitus credebatur.

De L. Sylla.

L. Sylla quoties prælium committere destinabat, paruum Apollinis signum Delphis sublatum, in conspectu militum complexus, orabat uti promissa maturaret.

De Q. Sertorio.

Q. Sertorius per asperos Lusitaniæ colles

Ceruam albam trahebat: ab ea se, quænam aut agenda, aut uitanda essent, prædicans admoneri.

EXTERNA.

De Minoe, Cretæ insulæ rege.

Minos Cretensium rex nono quoque anno quoddam prælium, & uetusta religione consecratum specus secedere solebat: & in eo moratus, tanquam à Ioue, quo sorsum ferebat, traditas sibi leges prærogabat.

De Pisistrato Athenien sium tyranno.

Pisistratus in recuperandam tyrannidem, quam amiserat, simulatione reducentis se in arcem Mineruæ est usus: cùm per ostentationem ignotæ mulieris, quæ Phya uocabatur, formatæ ad habitum Deæ, Atheniēses deciperet.

De Lycurgo Lacedæmoniorum legislatore.

Lycurgus consilio Apollinis grauissimæ Lacedæmoniorum ciuitati leges compositas ferre se persuasit.

De Seleucho.

Seleuchus sub nomine Mineruæ apud Locrenses prudentissimus habitus est. Bacchanalium sacrorum mos nouus institutus, cùm ad perniciosam uesaniam iretur, sublatus est.

DE AVSPICIIS.

CAP. IIII.

De Luctatio.

Luctatius

Luctatius, qui primum Punicum bellum cōfecit, à senatu prohibitus est sortes Fortunæ Prænestinæ adire. Auspicijs enim patrijs, non alienigenis Rempub. administrare oportere iudicabant.

De C. Cornelio Hispalo.

Caius Cornelius Hispalus prætor peregrinus M. Pompilio Lenate, L. Calpurn. COSS. edicto Chaldæos intra decimū diem abire ex urbe, atq; Italia iussit: leuibus, & ineptis ingenijs, fallaci syderū interpretatione quæstuosam mendacijs suis caligine injicientes. Idem, qui Sabazij Iouis cultu sublato mores Romanos inficere conati sunt, domos suas repetere coegit.

De L. Aemilio Paulo.

Lucius Aemilius Paulus Consul, cùm Senatus Isidis & Serapis phana diruenda censuisset, eaq; nemo opificum attingere auderet, posita prætexta securim arripuit, templiq; eius foribus inflixit.

De L. Tarquinio.

Lucius Tarquinius Rex centurijs equitum, quas Romulus auspicato conscripserat, alias adijcere cupiēs: cùm ab Decio Accio Nauio augere prohiberetur, offensus interrogauit, Possei ne fieri, quod ipse mente cōceperat. posse fieri dicēte: iussit nouacula cotem discindi: quā Decius allata, administrato incredibili facto, effectum suæ professionis oculis regis subiecit.

De Tiberio Graccho.

Tiberius Gracchus, cùm ad res nouas para retur, auſpicia domi prima luce petijt: quæ illi perquam triſtia reſpõderunt: & ianua egreſſus ita pedem offendit, ut digitus ei decuteretur: tres deinde corui in eum aduerſum occinẽtes, partem tegulæ decuſſam ante ipſum protulerunt: quibus omnibus contemptis, à Scipione Naſica Pontifice maximo decuſſus Capitolio, fragmento ſubſellij ictus procubuit.

De Publio Claudio.

Publius Claudius bello Punico primo, cùm prælium nauale committere uellet, auſpicia q; more maiorum petijſſet, & pullarius nõ exire pullos cauea nuntiaſſet: abyci eos in mare iuſſit: dicens, Quia eſſe nolunt, bibant.

De L. Iunio.

Lucius Iunius P. Cl. collega neglectis auſpicijs, claſſem tempeſtate amiſit: damnationisq; ignominiam uoluntaria morte præuenit.

De Metello.

Cùm Metellus Pontifex Maximus, Tuſculanum petens iret: corui duo in os eius aduerſum ueluti iter impedientes aduolauerũt: uixq; extuderunt, ut domũ rediret: inſequente nocte ædes Veſtæ arſit: quo incendio, Metellus inter ipſos ignes raptũ Palladiũ incolume ſeruauit.

De M. Tul. Cicerone.

Marco Ciceroni mors imminens auſpicio præ-

prædicta eſt: cùm enim in uilla Caietana eſſet, coruus in conſpectu eius horologij ferrum loco motũ exeuſſit. & protinus ad ipſum tetẽdit, ac laciniã togæ eò uſq; morſu tenuit, donec ſeruus ad occidendum eum milites uenisſe nuntiaret.

De M. Bruto.

Marcus Brutus cùm reliquias exercitus ſui aduerſus Cæſarem & Antonium eduxiſſet, duæ aquilæ ex diuerſis caſtris aduolauerunt, & edita inter ſe pugna, ea quæ ex parte Bruti fuerat, malè multata fugit.

EXTERNA.

De rege Alexandro.

Cùm rex Alexander urbem in Ægypto cõſtituere uellet: architectus Democrates cùm cretam non haberet, polentaq; futuræ urbis lineamenta deduxiſſet: ingens auium multitudo primo lacu emerſa, polentam depaſta eſt: quod ſacerdotes Ægyptiorũ interpretati ſunt, aduenarũ frequentiæ alimentis ſuffecturã urbem.

De Deiotaro rege.

Deiotaro uerò regi omnia ferè auſpicato gerenti ſalutaris aquilæ conſpectus fuit: qua uiſa, abſtinuit ſe ab eius tecti uſu: quod nocte inſequenti, ruina ſolo æquatum eſt.

DE OMINIBVS. CAP. V.

OMinum etiam obſeruatio aliquo cõtactu religionis innexa eſt: quoniã non fortuito motu, ſed diuina prouidentia cõſtare creditur

ditur: quæ efficit, ut Vrbe à Gallis deleta, deliberantibus P.C. utrum Veios migrarent, an sua mœnia restituerent: fortè eo tempore è præsidio cohortibus redeuntibus, centurio in Comitio exclamaret: Signifer, statue signũ: hic optimè manebimus: ea enim uoce audita, Senatus accipere omen se respondit, cuestigioq; Veios transfeundi consiliũ omisit. Quàm paucis uerbis de domicilio futuri summi imperij confirmata est conditio. Credo indignum Dijs existimantibus, prosperis auspicijs Romanũ nomen ortum, Veientanæ urbis appellationem mutari: inclytæq; victoriæ decus modo abiectæ urbis ruinis infundi. Huius tam præclari operis autor Camillus, cùm esset precatus, ut si cui Deorum nimia felicitas populi Rom. uideretur, eius inuidia, suo aliquo incõmodo satiaretur: subito lapsu decidit, quod omen ad damnationem, quæ postea oppressus est, pertinuisse uisum est: meritò autem de laude inter se, victoria, & pia precatio amplissimi uiri certauerunt: æquè enim uirtutis est & bona patriæ auxisse, & mala in se transferre uoluisse.

De L. Paulo, & filia.

Quid illud, quod L. Paulo consuli euenit, quam memorabile? cùm ei sorte euenisset, ut bellum cum rege Persa gereret, & domum è curia regressus, filiolam suam nomine Tertiã, quæ tum erat admodũ parvula, osculatus: tristem animaduerteret: interrogauit, quid ita eo uultu esset. Quæ respondit, Persam perisse. decesserat autem catellus, quem puella in deliciis habuerat, nomine Persa. arripuit igitur omen Paulus, eq; fortuito dicto, quasi certam spem clarissimi triumphi animo præsumpsit.

De Cæcilia Metelli.

At Cæcilia Metelli dũ sororis filiæ, adultæ ætatis uirginis, more prisco, nocte cõcubia nuptialia petit, omen ipsa fecit: nam cùm in sacello quodã eius rei gratia aliquandiu persedisset, nec aliqua uox proposito cõgruens esset audita: fessa longa stadi mora puella, rogauit materterã, ut sibi paulisper locũ residendi accõmodaret: cui illa: Ego uerò, inquit, libenter tibi mea sede cedo. Quod dictũ ab indulgẽtiæ profectũ, ad certi ominis præsitæ euentũ: quoniã Metellus nõ multò pòst, mortua Cæcilia, uirginem de qua loquor, in matrimonium duxit.

De C. Mario, & Omi-nis obseruatione.

Caio autẽ Mario obseruatio omnis proculdubio saluti fuit, quo tẽpore hostis à Senatu iudicatus, in domum Fanniæ Minturnis custodiæ causa deductus est: animaduertit enim asellũ, cùm ei pabulum obijceretur, neglecto eo, ad aquã procurrentẽ: quo spectaculo, Deorũ prouidentia quod sequeretur, oblatũ ratus: alioqui etiam interpretandarũ religionũ peritissimus, à mul

à multitudine, quæ ad opem illi ferendam cõfluxerat, impetrauit, ut ad mare perduceretur: ac protinus nauiculã cõscendit: eaq; in Africam prouectus, arma Syllæ uictricia effugit.

De Pompeio Magno.

Pompeius uerò Magnus in acie Pharsalicæ uictus à Cæsare, fugæ quærens salutem, cursu in insulam Cyprum (ut aliquid in ea uiriũ contraheret) classem direxit: appellensq; ad oppidum Paphum conspexit in littore speciosum ædificium: gubernatoremq; interrogauit, quod ei nomen esset: qui respondit, καταβατικὰ uocari: quæ uox spem eius, quantulacunq; restabat, cõminuit. Neq; id dissimulãter tulit: auertit enim oculos ab illis tectis, ac dolorem, quem ex diro omine conceperat, gemitu patefecit.

De M. Bruto.

Marci etiam Bruti dignus, admisso parricidio, cuẽtus est omine designatus: siquidẽ post illud nefarium opus, natalem suum celebrans, cùm Græcum uersum exprimere uellet, ad illud potissimum Homericum referẽdum animo tetẽdit: Ἀλλά μι μοῖρ ὀλοὴ ἠὲ Λητοῦς ἔντα- νῶ υἱός. qui Deus Philippensi acie, à Cæsare & Antonio signo datus, in eum tela cõuerit.

De C. Cassio.

Consentaneo uocis iactu C. Cassij aurem fortuna peruellit: quæ orantibus Rhodijs, ne ab eo cunctis deorum simulacris spoliarentur, Solem

à se

à se relinqui respondere uoluit: ut rapacissimi uictoris insolentiam, dicti tumore protraheret: abiectumq; Macedonicæ pugnæ, non effigiem Solis, quam tantummodo supplicibus cesserat: sed ipsum Solem re uera relinquere coëgit.

De Petilio.

Annotatu dignum illud quoque omen, sub quo Petilius consul in Liguria bellum gerens occiderit. Nam cùm montem, cui Lætum cognomen erat, oppugnaret: interq; adhortationem militum dixisset, Hodie ego Lætum utiq; capiam: inconsideratius præliando, fortuitum iactum uocis leto suo confirmauit.

De externis ominibus.

Adijci nostris duo eiusdem generis alienigena exẽpla non absurdè possunt. Samij Prienensibus auxilium aduersus Carras implorãtibus, arrogantia inflincti, pro classe & exercitu, Sibyllam eis derisus gratia miserunt, quam illi uelut diuinitus datum præsidium interpretati, libẽter receptam, uera fatorum prædictione, Victoriæ ducem habuerunt.

De Apolloniatarum omine.

Ne Apolloniatæ quidem pœnitẽtiam egerũt, qui cùm bello Illyrico pressi, Epidamnios, ut sibi opem ferrent, orassent: atque illi flumen uicinum mœnibus suis nomine Æantem in adiutorium se mittere dixissent: Accipimus, quod datur, respondernnt: eiq; primum in acie

locum

locum, perinde ac duci assignauerũt: ex insperato enim superatis hostibus, successum suum omini acceptum referentes, & tunc Acanti ut deo immolauerunt, & deinceps omnibus prælijs duce uti instituerunt.

DE PRODIGIIS.
CAP. VI.

De Seruio Tullo.

PRodigiorum quoq; quæ aut aduersa, aut secunda acciderunt, debita proposito nostro relatio est. Seruio Tullo etiam tum puerulo dormienti, circa caput flammã emicuisse domestici oculi annotauerunt. Quod prodigium Prisci Tarquinij regis uxor Tanaquil admirata, Seruiũ seruã natum, in modum filij educauit, & ad regium fastigium euexit.

De Martio.

Aequè felicis euentus illa flamma, quæ ex L. Martij ducis duorum exercituum, quos interitus Publij, & Cnei Scipionum in Hispania debilitauerat, capite concionantis eluxit. Nanq; eius aspectu pauidi adhuc milites, pristinam recuperare fortitudinem admoniti: octo & triginta hostium milibus cæsis, magnoq; numero in potestatem redacto, bina castra, Punicis opibus referta, receperunt.

De lacu Albano.

Item cùm bello acri, & diutino Veientes à Romanis intra mœnia compulsi, capi nõ possent

sent, eáq; mora non minus obsidentibus, quàm obsessis intolerabilis uideretur, exoptatæ uictoriæ iter miro prodigio Dij immortales patefecerunt. Subitò enim Albanus lacus, neq; cœlestibus auctus imbribus, neq; inundatione ullius amnis adiutus, solitũ stagni modum excessit: cuius rei explorandæ gratia, legati ad Delphicũ oraculum missi, retulerunt præcipi sortibus, ut aquã eiꝰ lacus emissam, per agros diffunderẽt, sic enim Veios in potestatẽ populi Romani uẽturos. Quod, priusquàm legati renuntiarẽt, Aruspex Veientiũ à milite nostro (quia domestici interpretes deerãt) raptus, & in castra perlatus futurũ dixerat. Ergo senatꝰ duplici prædictione monitus, eodẽ penè tẽpore & religioni paruit, & hostiũ urbe potitus est. Nec parũ prosperi successus est, quod sequitur.

De L. Sylla consule.

Lucius Sylla Consul Sociali bello cùm in agro Nolano ante prætorium immolaret, subitò ab una parte aræ prolapsam anguẽ prospexit: qua uisa, Posthumi aruspicis hortatu continuò exercitum in expeditionem eduxit, ac fortissima Samnitum castra cepit: quæ uictoriæ futuræ eius amplissimæ potentiæ gradus, & fundamentum extitit.

De C. Volumnio, & Seruio Sulpitio.

Præcipuæ admirationis etiã illa prodigia

quæ

quæ C. Volumnio, & Ser. Sulpitio COSS. in urbe nostra inter initia, motusq; bellorũ acciderunt. Bos nanq; mugitu suo in sermonẽ humanum cõuerso, nouitate monstri, audientium animos exterruit. Carnis quoq; in modũ nimbi dissipatæ partes ceciderunt: quarum maiorem numerum præpetes diripuere aues, reliquum humi per aliquot dies, neq; odore tetro, neque deformi aspectu mutatum iacuit. Eiusdem generis monstra alio tumultu credita sunt, puerũ infantem semestrem in foro Boario triumphũ proclamasse. Alium cum elephantino capite natum. In Piceno lapides pluisse. In Gallia lupum uigili è uagina gladium abstuliss. In Sicilia scuta duo sanguinem sudasse. Etiam metentibus cruentas spicas in orbem decidisse. Cerites aquas sanguine mistas fluxisse. Bello etiã Punico secundo constitit Cn. Domitio bouem dixisse: Caue tibi Roma.

De Caio Flaminio.

Caius autem Flaminius inaspicatò Consul creatus, cùm apud Lacum Thrasimenũ, cum Annibale conflicturus cõuelli signa iussisset, lapso equo, super caput eius humi prostratus est: nihilq; eo prodigio inhibitus, signiferis signa mouere sua sede posse negantibus, malum, ni continuò ea effodissent, minatus est. Verùm huius temeritatis utinam sua tantùm, nõ etiam populi Romani maxima clade pœnas pependisset

disset: in ea nanq; acie XV. millia Romanorũ cæsa, VI. millia capta, X X. millia fugata sunt. Consulis obtruncati corpus ad funerandum ab Annibale quæsitum est: qui quantum in ipso fuerat, Romanum sepelierat imperium.

De C. Hostilio.

Flaminij autem præcipitem audaciam C. Hostilius Mancinus uesana perseuerãtia subsequitur: cui Consuli in Hispaniã ituro hæc prodigia acciderunt. Cùm Lanuuij sacrificiũ facere uellet, pulli cauca emissi in proximã syluam fugerunt, summaq; diligentia quæsiti reperiri nequiuerunt: cumq; ab Herculis portu, quò pedibus peruenerat, nauem conscenderet: talis uox sine ullo autore ad aures eius peruenit: Mancine mane: qua territus, cùm itinere conuerso Genuam petisset, & ibi scaphã esset ingressus: anguis eximiæ magnitudinis uisus è conspectu abijt: ergo numerum prodigiorum numero calamitatum æquauit, infelici pugna, turpi fœdere, deditione funesta.

Aliud de Tito Graccho.

Minus miram in homine parum considerato temeritatem Titi Gracchi grauissimi ciuis exitus tristis, & prodigio denuntiatus, nec euitatus consilio facit. Consul enim cùm in Lucanis sacrificasset, angues duo ex occulto prolapsi repentè hostiã, quam immolauerat, adeso iocinore, in easdem latebras se retulerunt: ob id

deinde factum, instaurato sacrificio idē prodigij euenit. Tertia quoq; cæsa uictima, diligē-tiusq; asseruatis extis, neq; allapsus serpentū arceri, neq; fuga impediri potuit: quod quānis Aruspices ad salutem Imperatoris pertinere dixissent, Gracchus tamen non cauit, ne perfidi hospitis sui Flauij insidijs, in eum locum deductus, in quo Pœnorum Dux Mago cum armata manu deliuerat, inermis occideretur.

De Marcello.

Et Consulatus collegiū, & erroris societas, et par genus mortis à Tito Graccho, ad Marcelli memoriā me trahit. Is enim captarū Syracusarū, & Annibalis ante Nolana mœnia à se primum fugere coacti, gloria inflāmatus, cùm summo studio niteretur, ut Pœnorū exercitum aut in Italia prosterneret, aut Italia pelleret, solenniq; sacrificio uoluntates Deorum exploraret: quæ prima hostia ante foculū decidit, eius iecur sine capite inuentum est: proxima iocinoris duplex caput habuit, quibus inspectis Aruspex tristi ululu, non placere sibi exta, quia prima truncа, secunda nimis læta apparuissent, respondit ita monitus M. Marcellus ne quid temere conaretur: insequenti nocte speculandi gratia cum paucis egredi ausus, a multitudine hostium in Brutijs circumuentus, æquè magnum dolorem, ac detrimentum patriæ, interitu suo attulit.

De Octauio consule.

Iam Octauius Consul dirum omen quemadmodum timuit, ita uitare non potuit: è simulacro enim Apollinis per se abrupto capite, et ita infixo humi, ut euelli nequiret, armis à collega suo Cinna dissidens, præsumpsit animo ea re significari exitium suum: in quem metus augurij, tristi fine uitæ incidit: ac tum demum immobile Dei caput terra refigi potuit.

De M. Crasso.

Non sinit nos M. Crassus inter grauissimas Romani imperij iacturas numerādus, hoc loco de se silentium agere: plurimis, & euidentissimis, ante tantam ruinam monstrorum pulsatus ictibus (ducturus enim erat à Carris aduersus Parthos exercitum) pullum ei traditū est paludamentum, cùm in prælium exeuntibus album, aut purpureum dari soleret: mœsti, & taciti milites ad principia conuenerunt, qui uetere instituto cum clamore alacri accurrere debebant: aquilarum altera uix euelli à primi pilo potuit: altera ægerrimè extracta in cōtrariam, ac ferebatur, partem, scipsam conuertit. Magna hæc prodigia: sed & illæ clades aliquantò maiores: tot pulcherrimarum legionum interitus, tam multa signa hostilibus intercepta manibus, tantum Romanæ militiæ decus Barbarorū obtritū equitatu, optimæ indolis filij cruore paterni resperſi oculi, corpus

Imperatoris inter promiſcuas cadauerũ ſtrues, auium, ferarumq; laniatibus obiectum: uellem quidem placidius, ſed relatu ucrũ eſt. Sic Deorum ſpreti præmonitus excandeſcunt. Sic humana conſilia caſtigantur, ubi ſe cœleſtibus præferunt.

De Cn. Pompeio.

Cneum etiam Pompeiũ Iupiter omnipotens abunde monuerat, ne cum C. Cæſare ultimam belli fortunam experiri contenderet. Egreſſo à Dyrrhachio aduerſa agmini eius fulmina iaciens, examinibus apum ſigna obſcurãdo ſubita triſtitia implicatis militũ animis, nocturnis totius exercitus terroribus, ab ipſis altaribus hoſtiarũ fuga: ſed inuictæ leges neceſſitudinis, pectus alioqui procul ab amẽtia remotũ, prodigia iſta iuſta æſtimatione perpẽdere paſſæ non ſunt. Itaq; dũ ille eleuat autoritatẽ amplißimã, & opes priuato faſtigio excelſiores, omnia ornamẽta, quæ ab ineunte adoleſcentia ad inuidiã uſq; contraxerat, ſpatio unius diei confregit. Quo conſtat in delubris Dcũm, ſua ſponte ſigna conuerſa: militarẽ clamorẽ ſtrepitumq; armorum, adeò magnum Antiochiæ, & Ptolemaide auditum, ut in muros concurreretur: ſonum tympanorum Pergami abditis delubris editum: palmam uiridem Trallibus in æde Victoriæ, ſub Cæſaris ſtatua inter coagmenta lapidum iuſtæ magnitudinis enatã:

quibus

quibus appareret cœleſtium numen & Cæſaris gloriæ fauiſſe, & Pompeij errorem inhibere uoluiſſe. Tuas aras, tuaq; ſanctiſſima templa, Diue Iuli ueneratus oro, ut propitio, ac fauẽti numine tãtorum caſus uirorum ſub tui exempli præſidio, ac tutela deliteſcere patiaris. Te enim accepimus, eo die, quo purpurea uecte uelatus aurea in ſella conſediſti, ne maximo ſtudio Senatus exquiſitum, & delatum honorem ſpreuiſſe uidereris: prius quàm exoptatum ciuium oculis conſpectum tui offerres, cultui religionis, in quam mox eras tranſiturus, uacaſſe, mactatoq; opimo boue cor in extis non reperiſſe: ac reſponſum tibi à Spurina Aruſpice, pertinere id ſignum ad uitam, & conſilium tuum, quòd utraq; hæc corde continerẽtur: erupit deinde eorum parricidiũ, qui dum te hominum numero ſubtrahere uolunt, Deorum concilio adiecerunt. Claudatur hoc exẽplo talium oſtentorum domeſtica relatio, ne ſi ulterius Romana apprehendero, è cœleſti templo ad priuatas domos, non conſentaneos uſus tranſtuliſſe uidear. Attingam igitur externa: quæ Latinis inſerta literis, ut autoritatis minus habẽt, ita aliquid gratæ uarietatis afferre poſſunt.

EXTERNA.

De Equa pariente leporem.

In exercitu Xerxis, quem aduerſus prouinciam Græciam contraxerat, equæ partu lepo-

rem editum constat: quo genere monstri tanti apparatus significatus est euentus. Nam qui mare classibus, terram pedestri operuit exercitu, ut fugax animal pauido regressu regnum suum repetere est coactus. Eidem monte Athō iuxta Idam transgresso, prius quàm Athenas deleret, Lacedæmonis inuadendæ consiliū agitanti, admirabile inter cœnam prodigium incidit: infusum nanque pateræ eius uinum, in sanguinē nec semel, sed iterum, & tertiò conuersum est. Qua de re consulti magi monuerunt, ut se ab incœpto proposito abstineret: & si quod uestigium in uecordi pectore sensus fuisset, cauere potuisset: antè de Leonida, & Spartanis abunde monitus.

De Mida.

Midæ uerò, cuius imperio Phrygia fuit subiecta, puero dormienti formicæ in os grana tritici congesserunt. Parentibus deinde eius, quorsum prodigium tenderet explorantibus, Augures responderunt, omnium illum mortalium futurum ditissimum: nec uana prædictio extitit: Nam Midas cunctorum penè Regū opes, abundantia pecuniæ antecessit: infantiæq; incunabula utili Deorum munere donata, onustus auro, atque argento gazis pensauit.

De Platone aliud mirum.

Formicis Midæ, iure meritoq; apes Platonis prætulerim: illæ enim caducæ, ac fragiles, hæ solidæ

solidæ, & æternæ felicitatis indices extiterunt, dormientis in cunis paruuli labellis mel inserendo. Qua re audita, prodigiorum interpretes singularem eloquij suauitatem ore eius emanaturam dixerunt. At mihi quidem illæ apes non montem Hymetum thymi flore redolentem, sed musarum Heliconios colles omni genere doctrinæ uirentes, Dearum instinctu depastæ, maximo ingenio dulcissima alimenta summæ eloquentiæ instillasse uidentur.

DE SOMNIIS. CAP. VII.

Sed quoniam diuitias Midæ, discrimenque Platonis somnū attigi: referā, quàm certis imaginibus, multorū quies adumbrata sit: quē locum unde potius ordiar quàm à diui Augusti sacratissima memoria? Eius medico Artorio somnum capienti nocte, quam dies insecutus est, quo in campis Philippicis Romani inter se exercitus concurrere, Mineruæ species oborta præcepit, ut illum graui morbo implicitum moneret, ne propter aduersam ualetudinem proximo prælio non interesset. Quod cùm Cæsar audisset, lectica se deferri in aciē iussit: ubi dum supra uites corporis pro adipiscendæ uictoria excubat, castra eius à Bruto capta sunt. Quid ergo aliud putamus, quàm diuino munere effectū, ne destinatū iā immortalitati caput, indignā cœlesti spiritu Fortunæ uiolētiam sentiret? Augustū uerò præter naturalē

animi in omnibus rebus subtiliter prospiciẽdis rigorem etiã recens, & domesticũ exemplum, ut Artorij somnio obtẽperaret, admonuit. Audierat enim Diui Inlij patris sui uxorẽ Calphurniam nocte, quam is ultimã in terris egit, in quiete uidisse, multis eum confectũ uulneribus in suo sinu iacentẽ, somnijq; atrocitate uehemẽter exterritã, rogare non destitisse, ut proxima die à curia se abstineret. At illum ne muliebri somnio motus id fecisse existimarentur, Senatũ in quo ei parricidarũ manus allatæ sunt, adire contendisse. Non est inter patrẽ & filiũ ullius rei comparationẽ fieri, præsertim diuinitatis fastigio iunctos: sed iam alter operibus suis aditũ sibi ad cœlũ instruxerat, alteri longus adhuc terrestriũ uirtutum orbis restabat. Quapropter ab hoc tantũmodo pendentem mutationem status cognosci, ab illo etiam differri Dij immortales uoluerunt, ut aliud cœlo decus daretur, aliud promitteretur.

De P. Decio, & T. Manlio Torquato.

Illud etiam somnium magnæ admirationis, & clari exitus, quod eadem nocte duo COSS. P. Decius, & T. Manlius Torquatus, Latino bello, & graui, et periculoso, non procul à Vesuuij montis radicibus positis castris uiderunt. Virtq; enim quidã per quietis speciẽ prædixit, ex altera acie Imperatorẽ, ex altera exercitũ, Dijs Manibus, Matriq; Terræ deberi. Virtus autem

autem dux copias hostium aggrederetur, superq; eas sese ipsum deuouisset, uictoriam habiturum: id luce proxima COSS. sacrificio, uel expiaturis, si posset auerti, uel si certum Deorum etiam monitu uisum foret, executuris, hostiarum exta somnio congruerunt. Conueniteq; inter eos, cuius cornu prius laborare cœpisset, ut is capite suo fata patriæ lueret: quæ neutro formidante, Decium depoposcerunt.

Sequitur æquè ad publicam religionẽ pertinens somnium. Cùm plebeijs ludis quidam paterfamiliâs per circum Flaminiũ, prius quàm pompa duceretur, seruum suum uerberibus multatũ, sub furca ad supplicium egisset, Latino homini ex plebe Iupiter in quiete præcepit, ut COSS. diceret, sibi præsultorẽ ludis Circensibus proximis non placuisse: quæ res nisi attenta ludorum instauratione expiata esset, secuturum non mediocre urbis periculum. Ille ueritus ne cum aliquo incõmodo suo religione summum implicaret imperium, silentium egit. Æuestigioq; filius eius subita ui morbi correptus, interijt. Ipse etiam per quietem ab eodem Deo interrogatus, an satis magnam pœnam neglecti imperij sui pependisset, in proposito perseuerans, debilitate corporis solutus est: actum demum ex consilio amicorum, lectica ad tribunal COSS. & inde ad Senatũ perlatus, ordine totius casus sui exposito, magna cum

omnium admiratione, recuperata membrorum firmitate, pedibus domum rediit.

De M. Cicerone.

Ac ne illud quidem inuoluendum silentio: Inimicorũ conspiratione urbe pulsus M. Cicero, cùm in uilla quadã cãpi Atinatis diuersatur, is animo in somnũ profuso, per loca deserta, & inuias regiones uaganti sibi C. Marium consulatus ornatum insignibus, putauit obuium factum, interrogantem eum, quid ita tam tristi uultu, incerto itinere ferretur: audito deinde casu, quo conflictabatur, comprehẽdisse dexteram suam, ac sẽ proximo lictori in monimentum ipsius deducendum tradidisse, quòd diceret ibi esse ei lætiorẽ status spem repositam: nec aliter euenit. Nam in æde Iouis Mariana Senatusconsultum de reditu eius est factum.

De C. Graccho.

Caio autem Graccho imminentis casus atrocitas palàm, atque apertè per quietem denuntiata est: somno enim pressus, Tiberij Gracchi fratris effigiem uidit, dicentis sibi, nulla ratione eum uitare posse, ut eo fato non periret, quo ipse occidisset. Id ex Graccho prius, quàm tribunatum, in quo fraternũ exitum habuit, iniret, multi audierunt. Cœlius etiam certus Romanæ historiæ autor, sermonem de ea re ad suas aures, illo adhuc uiuo, peruenisse scribit.

De Casio Parmensi.

Vincit

Vincit huiusce modi somnij dirum aspectũ, quod sequitur. Apud Actium M. Antonij fractis opibus, Casius Parmensis, qui partes eius secutus fuerat, Athenas confugit: ubi cõcubia nocte, cùm solicitudinibus, et curis, mẽte sopita, in lectulo iacêret, existimauit ad se uenire hominẽ ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalidum barba, & capillo demisso. Interrogatumq; quisnam esset, respõdisse πανοαλιωνα. Perterritus deinde tam tetro uisu, & nomine horrendo, seruos inclamauit. Scisciatusq; est si quem talis habitus, aut intrantem cubiculum, aut exeuntem uidissent: quibus affirmantibus neminem illuc accessisse, iterum quieti & somno se dedit: atq; eadẽ animo eius obuersata est species. Itaq; fugato somno lumẽ introferri iussit, puerosq; à se discedere uetuit. Inter hanc noctẽ, & supplicij capitis, quo eũ Cæsar affecit, paruulũ admodũ tẽpus accessit.

De Atterio Rufo.

Propioribus tamen (ut ita dicã) lineis Atterij Rufi equitis Romani somniũ certo euentu admonitum est: qui, cùm gladiatorium munus Syracusis ederetur, inter quietem Retiarij se manu confodi uidit, idque postero die in spectaculo confessoribus narrauit. Incidit deinde, ut proximo ab equite loco, Retiarius cum Mirmillone introduceretur: cuius cùm faciem uidisset, idem dixit ab illo se Retiario trucidarũ

dari putasse, protinusq; inde discedere uoluit. Illi sermone suo metu eius discusso, causam exitij misero attulerunt. Retiarius enim in eũ locum compulso Mirmillone, & abiecto, dum iacentem ferire conatur, transiectum gladio Atterium interemit.

EXTERNA.

De Annibale.

Annibalis quoq; ut detestandum Romano sanguini, ita certæ prædictionis somniũ: cuius non uigiliæ tãtùm, sed etiam ipsa quies, hostilis imperio nostro fuit: hausit enim proposito & uotis suis conuenientem imaginem, existimauitq; missum sibi à Ioue mortali specie excelsiorem iuuenem, inuadendæ Italiæ ducem: cuius monitu, primo, uestigia nullam in partem secutis oculis, moxq; humani ingenij prona uoluntate uetita scrutandi ponè respiciens, animaduertit immensæ magnitudinis serpentem, concitato impetu, omne, quicquid obuium fuerat, proterentem: postq; eam magno cum cœli fragore erumpẽtes nimbos lucemq; caliginosis inuolutã tenebris. Attonitus deinde quidnam esset monstri, ecquid portenderet, interrogauit: hic Dux, Italiæ uides, inquit, nascitatem: proinde sile, & cætera tacitus permitte fatis.

De Alexandro.

Quàm bene Macedoniæ Rex Alexander per quietem uisa imagine præmonitus erat, ut uitæ

uitæ suæ custos esset diligentior, si cum etiam cauendi periculi consilio Fortuna instruere noluisset. Nanq; Cassandri pestiferam sibi dexteram somnio prius cognouit, quàm exitu sensit: existimauit enim se ab illo interfici, cùm eum nunquàm uidisset. Interposito deinde tempore, postquàm in conspectum uenisset: nocturni metus patefacta imagine, ut Antipatri filium esse cognouit, adiecto uersu Græco, qui fidem somniorum eleuat, præparati iam aduersus caput suum ueneficij, quo occidisse Cassandri manu creditur, suspitionem animo repulit.

De Simonide poëta.

Longè indulgentius Dij in poëta Simonide, cuius salutarem inter quietem admonitionem consilij firmitate roborauerunt. Is enim, cùm ad littus nauem appulisset, inhumatumq; corpus iacens, sepulturæ mandasset, admonitus ab eo, ne proximo die nauigaret: in terra remansit: qui inde soluerant, fluctibus & procellis, in conspectu eius obruti sunt. Ipse lætatus est, quòd uitam suam somnio, quàm naui credere maluisset. Memor autem beneficij, elegantissimo eum carmine æternitati consecrauit. Melius illi, & diuturnius, in animis hominum sepulcrum constituens, quàm in desertis, & ignotis arenis struxerat.

De Crœso.

Efficax & illa quietis imago, quæ Crœsi regis

regis animum maximo prius metu, deinde etiam dolore confecit. Nam è duobus filijs, & ingenti agilitate, & corporis dotibus præstantiorem, imperijq; successioni destinatũ Atym existimauit ferro sibi ereptum. Itaq; quicquid ad euitandam denunciatæ cladis acerbitatem pertinebat, nulla ex parte patria cura cessauit auertere. Solitus erat iuuenis ad bella gerenda mitti: domi detentus est. Habebat armamentarium omnis generis telorum copia refertum: id quoq; amoueri iussit. Gladio cinctis comitibus utebatur: uetiti sunt propius accedere: necessitas tamen aditum luctui dedit. Cum enim ingentis magnitudinis aper, Olympi montis cultæ, crebra cum agrestiũ strage uastaret, inusitatoq; malo regium imploratũ esset auxilium: filius à patre extorsit, ut ad eum opprimẽdum mitteretur: eò quidem facilius, quòd non dẽtis, sed ferri sæuitia in metu reponebatur. Verùm dum acri studio interficiendi suem omnes sunt intenti, pertinax casus imminentis uiolentiæ, lanceã petendæ feræ gratia missam, in eum detorsit: & quidẽ eam potissimũ dexteram nefariæ cædis crimine uoluit aspergi, cui tutela filij à patre mandata erat: quamq; Crœsus imprudentis homicidij sanguine uiolatam hospitales ueritus Deos, supplicem sacrificio expiauerat.

De Cyro.

Nec Cyrus quidem superior inuictæ fatorum necessi-

necessitatis parnulum argumentũ est: cuius ortus ad imperiũ totius Asiæ spectantis, maternus auus Astyages, duos prænuntios somnij frustra discutere tentauit: Mandanen filiam suam (quòd in quiete uiderat urina eius omnes Asiaticas gentes inundasse) non Medorũ excellentissimo, ne in eius familiam regni decus transferretur: sed Persarũ modicæ fortunæ uiro collocando, natumq; Cyrum exponi iubendo. Quia similiter quietis temporibus existimauerat genitali parte Mandanes enatam uitem eouisq; creuisse, donec cunctas dominationis suæ partes inumbraret: frustratus est enim se ipse, nepotis felicitatem, cœlestium iudicio distinatam humanis consilijs impedire conando.

De Dionysio.

Intra priuatum autem habitum Dionysio Syracusano adhuc se continente, Himera quædam, nõ obscuri generis fœmina, inter quietem opinione sua cœlum conscendit, atque ibidem Deorum omniũ lustratis sedibus, animaduertit prævalentem uirum flaui coloris, lentiginosi oris, ferreis catenis uinctum, Iouis solio, pedibusq; subiectum: interrogatóque iuuene, quo gratia considerandi cœli duce fuerat usa, quisnam esset: audiuit illum Siciliæ atque Italiæ dirum esse fatum, solutumq; uinculis multis urbibus exitio futurum: quod somnium postero die sermone uulgauit. Postquàm deinde Dionysium

sium inimica Syracusarum libertati, capitibusq; insontium insidia fortuna cœlesti custodia liberatum, uelut fulmen aliquod otio, ac tranquillitati iniecit, Himera cum mœnia inter effusam ad officium & ad spectaculũ eius turbam intrantem ut aspexit: hunc esse, quem in quiete uiderat, uociferata est. Id cognitum tyranno, curam tollendæ mulieris dedit. Tutioris somnij mater eiusdem Dionysij: quæ cùm eum conceptum utero haberet, parĕre uisa est Satyriscum: consultoq; prodigiorum interprete, clarissimum, ac potentissimum Graij sanguinis futurum, certo cum euentu cognouit.

De Amilcare.

At Carthaginiensium dux Amilcar, cùm obsideret Syracusas inter somnium uocem exaudisse credidit nunciantem futurum, ut proximo die in ea urbe cœnaret. Lætus igitur perinde, ac diuinitus promissa uictoria, exercitum pugnæ comparabat: in quo inter Siculos, & Pœnos, orta dissensione, castris eius Syracusani subita irruptione oppressis, ipsum intra mœnia sua uinctum pertraxerunt. Itaque magis spe, quàm somnio deceptus, cœnauit Syracusis captiuus: non ut animo præsumpserat, victor.

De Alcibiade.

Alcibiades quoque miserabilem exitum suum haud fallaci nocturna imagine speculatus est. quo enim pallio amicæ suæ dormiens opertum

opertum se uiderat, eo interfectus, & insepultus iacens, conteclus est.

De duobus Arcadibus.

Proximum somnium, etsi paulò est longius, propter nimiam tamen euidentiam ne omittatur, impetrat. Duo familiares Arcades iter unà facientes, Megaram uenerunt: quorum alter ad hospitem se contulit, alter in tabernam meritoriam diuertit. Is, qui in hospitio erat, uidit in somnijs comitem suum orantem, ut sibi cauponis insidijs circumuento subueniret: posse enim celeri eius accursu se imminenti periculo subtrahi: quo uiso excitatus, prosiluit, tabernamq;, in qua is diuersabatur, petere conatus est. Pestifero deinde fato eius humanissimum propositum tanquam supernacuum damnauit, & lectum, ac somnum repetijt. Tunc idem ei saucius oblatus obsecrauit, ut qui uitæ suæ auxilium ferre neglexisset, neci saltem ultionem non negaret. Corpus enim suum à caupone trucidatum, tum maximè plaustro ferri ad portam stercore coopertum. Tam constantibus familiaris precibus compulsus, protinus ad portam cucurrit, & plaustrum, quod in quiete demonstratum erat, comprehendit, cauponemq; ad capitale supplicium perduxit.

DE MIRACVLIS. CAP. VIII.

Multa etiam interdiu, & uigilantibus acciderũt, perinde ac tenebrarum, somnijsq;

nijq; nube inuoluta: quæ qa unde manauerint, aut qua ratione consliterint, dignoscere arduũ est, meritò miracula uocentur. Quorum è magno aceruo in primis illud occurrit. Cùm apud lacum Regillum Aulus Posthumius dictator & Tusculanorum dux Manilius Octauius magnis uiribus inter se concurrerent, ac neutræ acies aliquandiu pedem referret, Castor, ac Pollux Romanorum partium propugnatores uisi, hostiles copias penitus fuderunt.

De P. Vatiniò.

Item bello Macedonico Publius Vatinius, Reatinæ præfecturæ uir, noctu urbem petens, existimauit duos iuuenes excellentis formæ, albis equis residentes, obuios sibi factos nuntiare, die qui præterierat, Persen regem à Paulo captum. Quod cùm Senatui indicasset, tanquam maiestatis eius, & amplitudinis, uano sermone contemptor, in carcerem coniectus. postquam Pauli literis illo die Persen captum apparuit, & custodia liberatus, & insuper agro, ac uacatione donatus est. Castorem uerò, & Pollucem, etiam illo tempore pro imperio pop. Rom. excubuisse cognitum est, quo apud lacum Iuturnæ, suum equorumq; sudorem abluisse uisi sunt. Iunctaq; fonti ædes eorum, nullius hominum manu reserata patuit.

DE PESTILENTIA.

Sed ut cæterorum quoq; Deorum propẽsum huic

huic urbi numen exequamur: triennio continuo uexata pestilentia ciuitas nostra, cùm finem tanti, & tam diuturni mali, neque diuina misericordia neque humano auxilio, imponi uideret: cura sacerdotum, inspectis Sibyllinis libris, animaduertit, non aliter pristinam recuperari salubritatem posse, quàm si ab Epidauro Æsculapius esset accersitus. Itaq; eò legatis missis, unicam fatalis remedij opem autoritate sua, quæ iam in terris erat amplissima, impetraturam se credidit: neque eam opinio decepit: pari nanque studio petitum ac promissum est præsidium: cuestigioq; Epidaurij, Romanorum legatos in templum Æsculapij, quod ab eorum urbe quinque millibus passuum distat, perductos: ut quicquid inde salubre patriæ laturos se existimassent, pro suo iure sumerent, benignissimè inuitauerunt: quorum tam promptam indulgentiam, numen ipsius Dei subsecutum, uerba mortalium, cœlesti obsequio comprobauit. Siquidem is anguis, quem Epidaurij rarò sed nunquam sine magno ipsorum bono uisum, in modum Æsculapij uenerati fuerunt, per urbis celeberrimas partes, mitibus oculis, & leni tractu labi cœpit, triduoq; inter religiosam omnium admirationem conspectus, haud dubiam præ se appetitæ clarioris sedis alacritatem ferens, ad triremẽ Romanam perrexit: pauẽtibus q; insuetato spectaculo nam

Ex bibl. Univ. Bas

iis, cò conscendit, ubi Quinti Ogulini legati tabernaculum erat, inq; multiplicem orbem, per summam quietem est conuolutus. Tum legati perinde atq; exoptatæ rei cõpotes, expleta graziarum actione, cultuq; anguis à peritis excepto, læti inde soluerunt: ac prosperam emensi nauigationem, postquam Antium appulerũt: anguis, qui ubiq; in nauigio remãserat, prolapsus in uestibulo ædis Æsculapij, myrto frequentibus ramis diffusæ, supereminentem excelsæ altitudinis palmam circundedit: perq; tres dies positis, quibus uesci solebat, non sine magno metu legatorum, ne in triremem reuerti nollet, Antiensis templi hospitio usus, urbi se nostræ ad uehendum restituit, atq; in ripam Tyberis egressis legatis, in insulam, ubi templum dicatum est, transnauit: aduentuq; suo tempestatẽ, cui remedio quæsitus erat, dissipulit.

De Furio Camillo.

Nec minus uoluntarius in urbem nostram Iunonis trãsitus. Captis à Furio Camillo Veiis, milites iussu Imperatoris simulacrum Iunonis Monetæ, quod ibi præcipua religione cultum erat, in urbem tralaturi, side sua mouere conabantur: quorum ab uno per iocum interrogata Dea, an Romam migrare uellet: uelle se respondit. Hac uoce audita, lusus in admirationem uersus est. Iamq; non simulacrũ, sed ipsam cœlo Iunonem petitam, portare se credentes, læti

læti in ea parte Auentini montis, in qua nunc templum eius cernimus, collocauerunt.

De simulacro Fortunæ.

Fortunæ etiam muliebris simulacrum, quod est in Latina uia ad quartũ milliariũ, eo tempore cum ædes sua conseceratũ, quo Coriolanum ab excidio urbis maternæ preces repulerunt, nõ semel, sed bis locutũ constitit, prius his uerbis: Ritè me matronæ uidistis, riteq; dedicastis.

De Valerio Publicola.

Valerio autem Publicola COS. qui post exactos reges bellum cum Veientibus, & Hetruscis gessit: illis Tarquinio pristinũ imperiũ restituere, Romanis nuper partam libertatem retinere cupientibus: Hetruscis, & Tarquinio in cornu dextro prælio superioribus tãtus terror subitò incessit, ut non solùm uictores ipsi profugerent, sed etiã pauoris sui consortes secum Veientes traherent: cui rei pro argumento miraculum adiicitur ingens: repentè uox è proxima sylua Aristia, quæ ore Syluani in hunc penè modum missa trahitur: Vno plus Hetrusci cadent: Romanus exercitus uictor abibit. Miram dicti fidem digesta numero cadauera exhibuere.

De C. Fabricio.

Quid? Martis auxiliũ, quo uictoriam Romanorũ adiuuit, non ne memoria celebrandum est? cũ Brutij, atq; Lucani odio incitatissimo,

maximisq; uiribus Turinæ urbis peterent exitium, ac præcipuo studio eius incolumitatẽ C. Fabricius Luscinus COS. protegeret, resq; ancipiti euentu, collatis unum in locũ utriusq; partis copijs, gereretur: non audentibus Romanis præliũ ingredi, eximiæ magnitudinis iuuenis, primùm eos hortari ad capessendam fortitudinem cœpit: deinde, ubi tardiores animaduertit, arreptis scalis per mediã hostiũ aciem ad contraria castra euasit: & admotis, uallum conscendit. Inde uoce ingenti clamitãs, factum uictoriæ gradum, & nostros ad aliena castra capiẽda, & Lucanos, Brutiosq; ad sua defendẽda, illuc traxit, ubi cõserti dubio certamine terebantur. Sed idem impulsu armorum suorum prostratos hostes iugulandos, capiendosq; Romanis tradidit. XX enim millia cæsa, quinq; millia cum Statio Statilio duce utriusq; gẽtis, & tribus atque XX. militaribus signis capta sunt. Postero die cum COS. inter honorandos, quorum strenua opera fuerat usus, uallarem coronam ei se seruare dixisset, à quo castra erãt oppressa, nec inueniretur qui id præmium peteret, cognitum pariter: atque creditum est, Martem patrem tunc populo suo affuisse. Inter cætera huiusce rei manifesta iudicia, galea quoq; duabus distincta pinnis, qua cœleste caput tectum fuerat, argumentum præbuit. Itaq; Fabricij edicto, supplicatio Marti est habita: et

à lau

à laureatis militibus, magna cum animorũ lætitia oblati auxilij testimoniũ ei est redditum.

De Diis Troianis mirum.

Referam nunc quod suo seculo cognitũ manauit ad posteros, Penates Deos Æneam Troia aduectos Lauinij collocasse. Inde ab Ascanio filio eius Albam, quam ipse condiderat, translatos, pristinum sacrariũ repetisse: & quia id humana manu factum existimari poterat, relatos Albam, uoluntatem suã altero trãsitu significasse. Nec me præterit de motu, & uoce Deorũ immortalium, humanis oculis, auribusq; percepto, quàm ancipiti opinione æstimatio uersetur. Sed quia nõ noua dicuntur, sed tradita repetũtur, fidem autores uendicent: & nostrum sit, inclytis literarum monimentis consecrata, perinde ac uana non refugisse.

De diuo Iulio.

Facta mentione urbis, è qua primordia ciuitas nostra traxit, Diuus Iulius Faustæ proles eius se nobis offert: quem C. Cassius (nunquam sine præfatione publici parricidij nominãdus) cum acie Philippensi ardentissimo animo perstaret, uidit humano habitu augustiorem, purpureo paludamento amictũ, minaci uultu, & concitato equo, in se impetum facientem: quo aspectu perterritus, tergũ hosti dedit, uoce illa prius emissa: Quid enim amplius agas, si occidisse parum est? Nõ occideras tu quidẽ Cæsi

Cæsarẽ. Neq; enim extingui ulla diuinitas potest: sed mortali adhuc corpore utentem uiolãdo, meruisti ut tam infestum haberes Deum.

De L. Lentulo.

Iam quidẽ L. Lentulus littus prænauigãs, in quo Cnei Põpeij Magni, perfidia Ptolemæi regis interempti, corpus cõcisſæ ſcaphæ lignis cõburebatur: ignarus caſus eius, cùm ipſi Fortunæ erubeſcẽdum rogum uidiſſet, cõmilitonibus dixit: Quid ſcimus an in hac flãma Cneus Põpeius cremetur? diuinitus miſſæ uocis miraculum eſt. Atq; hoc quidem hominis. Illud tamen ore ipſius Apollinis editum, quo Appij interitũ ueridica Pythicæ uaticinationis fides præcurrit. Is bello ciuili, quo ſe Cneus Põpeius à Cæſaris concordia peſtifero ſibi, nec Reip. utili conſilio abruperat, euentum grauiſſimi motus explorare cupiens (uiribus nanq; imperij Achaiæ præerat) Antiſtitem Delphicæ Cortinæ, in intimam ſacri ſpecus partem coëgit deſcendere: unde ut certæ conſulentibus ſortes petuntur, ita nimius diuini ſpiritus hauſtus reddentibus peſtifer exiſtit. Igitur impulſu capti numinis inſtincta uirgo horrendo ſono uocis, Appio inter obſcuras uerborũ ambages fata cecinit. Nihil enim, inquit, ad te hoc Romane bellum: Eubœæ cellam obtinebis. At is ratus conſilijs ſe Apollinis moneri, ne illi diſcrimini intereſſet: in eam regionẽ ſeceſſit, quæ inter

inter Rhamnunta nobilem Attici ſõli partẽ, Cariſtumq; Chalcidico freto uicinã interiacẽs, cellæ Eubœæ nomen obtinet, ubi ante Pharſalicũ certamen morbo cõſumptus, prædictum à Deo locũ pro ſepultura poſſedit. Poſſunt & illa miraculorũ loco referri, quòd deuſto ſacrario Saliorũ, nihil in eo, præter lituum Romuli integrum repertũ eſt. Quòd Seruij Tullij ſtatua, cùm ædes Fortunæ cõflagraſſet, inuiolata permanſit. Quòd Q. Claud. ſtatua in ueſtibulo tẽpli Matris Deũm poſita, bis ea æde incendio conſumpta, prius P. Naſica Scipione, & L. Æmilia: item M. Seruio, & L. Lamia COSS. in ſua baſi flammis intacta ſteterit.

De Attilio.

Aliquid admirationis ciuitati noſtræ Attilij etiã Auiolæ rogus attulit, qui & à medicis, & à domeſticis mortuus creditus, cùm aliquãdiu humi iacuiſſet: elatus, poſtquã corpus eius ignis corripuit, uiuere ſe proclamauit, auxiliumq; pædagogi ſui (nam is ſolus ibi remãſerat) inuocauit. Sed iã flãmis circũdatus fato ſubtrahi nõ potuit. Lucio quoq; Lamiæ prætorio uiro æquè uocẽ fuiſſe ſuper rogum cõſtitit.

EXTERNA.

Quæ minus admirabilia Eri Pãphilij caſus facit: quẽ Plato ſcribit inter eos, qui in acie ceciderãt, decem diebus iacuiſſe, biduoq; poſtquàm inde ſublatus eſſet, impoſitũ rogo reui-

xisse, ac mira quædam tẽpore mortis uisa narrasse. Et quoniã ad externa transgressi sumus, quidam Athenis uir eruditissimus, cùm ictum lapidis capite excepisset, cætera omnia tenacissima memoria retinens, literarũ tantũmodo, quibus præcipuè inseruierat, oblitus est. Dirum, malignũq; uulnus in animo percussi, quasi de industria scrutatis sensibus, in eum potissimũ locũ, quò maximè letabatur, acerbitate nocendi erupit. singularem doctrinam hominis pleno inuidiæ funere efferendo, cui si talibus studijs perfrui fas non erat, utilius aliquanto fuit ad illa aditũ non impetrasse, quàm iam percepta eorum dulcedine caruisse.

De Nausimenis uxore.

Mirabilior tamen sequentis casus narratio. Nausimenis enim Atheniẽsis uxor, cùm filij, ac filiæ suæ stupro interuenisset, inopinati monstri perculsa conspectu, & in præsens tẽpus ad indignãdũ, & in posterũ ad loquendũ obmutuit. Illi nefariũ concubitum uoluntaria morte pensarunt. Hoc modo fortuna sæuiens, huic uocem, ijs uitam ademit: illi propitia donat.

De Aegle Samio.

Aegles Samius athleta mutus, cùm ei victoriæ, quam adeptus erat, titulus & præmiũ eriperetur, indignatione accẽsus, uocalis euasit.

De Gorgia Epirota.

Gorgiæ quoque Epirotæ fortis, & clari uiri origo

origo, qui in funere matris suæ utero elapsus, inopinato, uagitu suo lectum ferentes cõsistere coegit, nouumq; spectaculum patriæ præbuit: non tantum ex ipsò genitricis rogo lucem, sed etiam cunas assecutus: eodem enim momento temporis, altera iam fato functa parit, alter ante elatus quàm natus est.

De quodam Iasone.

Diuinæ fortunæ uulnus Pheræo Iasoni quidam exitij eius cupidus intulit. Nam cùm inter insidias gladio eum percussisset, nonnicam, quæ a nullo medicorũ sanari potuerat, ita rupit, ut hominem pestifero malo liberaret.

De Simonide.

Aequè Dijs immortalibus acceptus Simonides, cuius salus ab imminẽti exitio defensa, ruinæ quoq; subtracta est. Cœnanti enim apud Scopam in Cranone (quod est in Thessalia oppidum) nuntiatum est duos iuuenes ad ianuam uenisse, magnopere rogantes, ut ad eos cõtinuò prodiret: ad quos egressus, neminẽ reperit ibi. Cæterùm eo momento temporis triclinium in quo Scopas epulabatur, collapsum, & ipsum, & omnes conuiuas oppressit. Quid hac felicitate locupletius, quam nec mare, nec terra sæuiens extinguere ualuit?

De Daphida.

Non inuitus huic subnecto Daphidam, ne quis ignoret quantũ interfuerit cecinisse Deorũ laudes

laudes, & numen obtrectasse. Hic cùm eius studij esset, cuius professores Sophistæ uocãtur: ineptæ, & mordacis opinationis Apollinem Delphis irridendi causa consuluit: An equum inuenire posset, cùm omnino nullum habuisset. Cuius ex oracvlo reddita uox est, inuenturum equum, sed ut eo perturbatus, periret. Inde cùm iocabundus, quasi delusa sacrarũ sortiũ fide, reuerteretur, incidit in regem Attalum, sæpenumero à se contumeliosis dictis absentem lacessitum: eiusq; saxo, cui nomen erat Equi, præcipitatus, ad Deos usque cauillandos, dementis animi iusta supplicia pependit.

De rege Philippo.

Eodem oraculo Macedonũ rex Philippus admonitus, ut à quadrigæ uiolentia salutẽ suã custodiret, toto regno disiungi currus iussit, eumq; locũ, qui in Bœotia Quadriga uocatur, semper uitauit: nec tamen denuntiatũ periculi genus effugit: nam Pausanias in capulo gladij, quo eum occidit, quadrigã habuit cælatã.

De Calano.

Quæ tam pertinax necessitas in patre, & filio Alexãdro cõsimilis apparuit. Siquidẽ Calanus Indus sua sponte se ardentissimo rogo superiacturus, interpellatus ab eo, ecquid aut mãdaret, aut dicere uellet: Breui, inquit, te uidebo. Nec id sine causa, quia uoluptariũ ei è uita excessum, rapida mors Alexãdri subsecuta est.

De

De quodam remige.

Regios interitus magnitudine miraculi remigis casus æquat: quem in littore Tyriorum sentinam hauriẽtem, cùm è naui fluctus abiecisset, altero latere repercussum, contrarius fluctus in nauem retulit. Itaque miseri simul, ac felicis, complorationi permista fuit gratulatio.

De Prusia filio Regis Bithyniæ.

Quid illa? non'ne ludibria Naturæ in corporibus humanis fuisse credenda sunt? tolerabilia quidẽ, quia sæuitia caruerũt: cæterùm & ipsa miraculis annumeranda. Nam & Prusiæ regis filius eodẽ nomine quo pater, pro superiori ordine dentium unum os æqualiter extentum habuit, nec ad speciem deforme, nec ad usum ulla ex parte incommodum.

De filia Mithridatis regis.

Mithridatis uerò regis filia Dripetine Laodice regina nata, duplici ordine dentium deformi admodum, comes fugæ patris à Pompeio, deuicti fuit.

De Lynceo.

Nec illius quidem paruæ admirationis oculi, quem constat tam certa acie luminũ usum esse: ut à Lilybæo portu Carthaginiensiũ egredientes classes intueretur. Oculis eius admirabilius Aristomenis Messenij cor: quod Athenienses ob eximiam calliditatẽ exectum, pilis refertũ inuenerunt: cùm eum aliquoties capiũ

&

& astutia elapsum, cepissent.

De Antipatro poëta.

At poëta Antipater Sidonius, omnib⁹ annis, uno tantùmodo die, quo genitus erat, febri implicabatur. Cuiq; ad ultimã ætatẽ pueniſſet: natali ſuo certo illo circuitu morbi cõſump⁹ eſt.

De Poliſtrato, & Hippoclide.

Hoc loco apte referãtur Poliſtratus, et Hippoclides philoſophi eodẽ die nati, eiuſdem præceptoris Epicuri ſectam ſecuti, patrimonij etiã poſſidendi, alendæq; ſcholæ cõmunione cõiuncti, eodemq; momento tẽporis ultima ſenectute extincti. Tam æqualem fortunæ pariter, atque amicitiæ ſocietatẽ, quis nõ ipſius cœleſtis Concordiæ ſinu genitam, nutritã, & finitã putet? Quapropter hoc potiſſimũ fuerit, aut in liberis potentiſſimi regis, aut in rege clariſſimo, aut in uate ingenij florentis, aut in uiris eruditiſſimis, aut in homine ſortis ignotæ: ne ipſa quidẽ, omnis bonæ malæq; materiæ fœcunda artifex Natura rationem rerum reddiderit. Non magis quàm quid ita ſylueſtres capreas, Cretæ genitas, tãtopere dilexerit, quas ſagittis confixas ad ſalutare auxilium herbæ Dictami, tantum non ſuis manibus deduxit: efficiũq; ut concepta ea, cõtinuò & tela, & uim uenẽni, uulneribus reſpuant. Aut in Cephalenia inſula, cùm omnia ubique pecora hauſtu aquæ quotidie recreẽtur, in ea pecudes maiore ex parte anni ore aperto

aperto ex alto uentos recipiẽtes, ſitim ſuam ſedare inſtituerit. Aut quapropter Crotonæ in templo Iunonis Lacinię aram ad omnes uentos immobili cinere donauerit potiſſimũ. Vel quare alteram in Macedonia, alteram in Caleno agro, aquam proprietatem uini, qua homines inebrientur, poſſidere uoluerit. Non admiratione iſta, ſed memoria proſequi debem⁹: cùm ſciamus rectè ab ea plurimum licentiæ uendicari, penes quã infinitus cunctã gignendi labor conſiſtit.

De mirabili magnitudine, & longitudine ſerpentis.

Quæ quia ſupra uſitatã rationẽ excedentia attigimus, ſerpẽtis quoq; à Tito Liuio curioſè pariter, ac facundè relatæ fiat mentio. Is enim ait in Africa apud Bagradam flumen tantæ magnitudinis anguem fuiſſe, ut Attilij Reguli exercitũ uſu amnis prohiberet: multisq; militibus ingenti ore correptis, cõpluribus uoluminibus caudæ eliſis, cùm telorũ iactu perforari nequiret, ad ultimũ balliſtarũ tormẽtis undiq; petitã, ſilicũ crebris, & ponderoſis uerberibus pcubuiſſe, omnibusq; & cohortibus, & legionibus ipſa Carthagine uiſam terribiliorẽ: atq; etiã cruore ſuo gurgitibus imbutis, corporisq; iactẽtis peſtifero afflatu uicina regione polluta, Romana inde ſummoniſſe caſtra. dicit beluæ coriũ C X X. pedum longũ, in urbem miſſum.

VALERII MAXIMI LIBER SECVNDVS.

DE INSTITVTIS ANTIQVIS. CAP. I.

DIVES & præpotens Naturæ regnum scrutatus, inuiciam stylum tam nostræ urbis, quàm cæterarũ gentiũ priscis, ac memorabilibus institutis. Opus est enim cognosci huiusce uitæ, quã sub optimo principe felicem agimus, quænam fuerint elementa, ut eorũ quoq; respectus aliquid præsentibus moribus prosit.

De nuptiis.

Apud antiquos non solùm publicè, sed etiã priuatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumpto: quo ex more nuptijs etiamnum Auspices interponũtur: qui quamuis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine ueteris consuetudinis uestigia usurpantur. Fœminæ cum uiris cubantibus sedentes cœnitabant: quæ cõsuetudo ex hominum conuictu ad diuina penetrauit: nam Iouis epulo ipse in lectulum, Iuno & Minerua in sellas ad cœnam inuitabãtur. Quod genus seueritatis æras nostra diligentius in Capitolio, quàm in suis domibus seruat: uidelicet quia magis ad rem pertinet Dearum, quàm mulierum disciplina conti-

neri. Quæ uno contentæ matrimonio fuerant, coronã pudicitiæ honorabantur. Existimabãt enim eum præcipuè matronæ syncera fide incorruptum esse animum, qui post depositæ uirginitatis cubile, in publicum egredi nesciret: multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse credentes.

De primo repudio.

Repudium inter uxorẽ & uirum, à condita Vrbe usque ad uicesimum & quingentesimũ annum nullum intercessit. Primus autem Spurius Carbilius uxorem sterilitatis causa dimisit. Qui quanquam tolerabili ratione motus uidebatur, reprehensione tamen non caruit: quia nec cupiditatem quidem liberorum coniugali fidei præponi debuisse arbitrabantur. Sed quo matronale decus uerecundiæ munimento tutius esset, in ius uocanti matronam corpus eius attingere permiserunt, ut inuiolata manus alienæ tactu stolæ relinqueretur.

De usu uini mulieribus interdicto.

Vini usus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consueuit. Cæterùm ut non tristis earum & horrida pudicitia, sed honesto comitatis genere

temperata esset, indulgentibus maritis, & auro abundanti, & multa purpura usæ sunt: & quò formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt. Nulli enim tunc subsessores alienorum matrimoniorum oculi metuebantur: sed pariter & uidere sanctè, & aspici, mutuo pudore custodiebantur.

De sacello Deæ Viriplacæ.

Quoties uerò inter uirum & uxorẽ aliquid iurgij intercesserat, in sacellum Deæ Viriplacæ, quod est in palatio, uenichant: & ibi inuicem locuti, quæ uoluerant, contentione animorum depositâ, cõcordes reuertebantur. Dea nomen hoc à placandis uiris assecuta fertur: ueneranda quidem, & nescio an præcipuis, & exquisitis sacrificijs colenda: utpote quotidianæ ac domesticæ pacis custos, in pari iugo charitatis ipsa sui appellatione uirorum maiestati debitum ac fœminis reddens honorem. Huiusmodi inter coniuges uerecundia, quid? inter cæteras necessitudines, non'ne apparet consentanea? Nam ut minimo indicio maximã uim eius significem, aliquandiu nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lauabatur. manifestum igitur est tantum religionis sanguini & affinitati, quantum ipsis Dijs immortalibus tributum: quia inter ista tam sancta uincula, nõ magis, quàm in aliquo sacrato loco

loco nudare se nefas esse credebatur. Conuiuiũ etiam solenne maiores instituerunt, idq; Charistia appellauerunt, cui præter cognatos, & affines nemo interponebatur: ut siqua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorũ, sauoribus Concordiæ adhibitis, tolleretur.

De honore impenso senibus à iuuenibus.

Senectuti iuuentus ita cumulatum, & circumspectum honorem reddebat, tanquam maiores natu adulescentium communes patres essent. Quocirca iuuenes, Senatus die, utiq; aliquem ex patribus conscriptis, aut propinquũ, aut paternum amicum ad curiam deducebãt, affixiq; ualuis expectabant, donec reducendi officio etiam fungerentur: qua quidem uoluntaria statione & corpora, & animos ad publica officia sustinenda impigre roborabant, breuique processu morarum, claram in lucem uirtutum suarum uerecunda laboris meditatione, ipsi doctores erant. Inuitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei conuiuio essent interfuturi: ne seniores aduentum discubitu præcurrerent: sublatáque mensa priores consurgere, & abire patiebantur: è quibus apparet cœnæ quoque tempore quàm parco, & quàm modesto sermone his præsentibus soliti sint uti.

De maioribus dantibus exemplum uirtutis iuuenibus.

Maiores natu in conuiuijs ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitãda iuuentutẽ alacriorem redderẽt. Quid hoc splendidius? quid etiã utilius certamine? pubertas canis suum honorem reddebat: defuncta uirium cursu ætas, ingredientes actuosam uitam fauoris nutrimẽtis prosequebatur. Quas Athenas? quam scholam? quæ alienigena studia huic domesticæ disciplinæ prætulerim? Inde oriebãtur Camilli, Scipiones, Fabricij, Marcelli, Fabij, ac ne singula imperij nostri lumina simul percurrendo sim lõgior, inde inquàm cœli clarissima pars diui fulserunt Cæsares. Adeò autẽ magna charitate patriæ tenebãtur, ut arcana cõsilia patrum C. multis seculis nemo Senator enuntiauerit. Quintus Fabius Maximus tantummodo, & is ipse per imprudentiã de tertio Punico bello indicendo, quod secretò in curia erat actum, Publio Crasso, rus petens, domum reuertenti in itinere narrauit, memor eũ triennio antè Quæstorẽ factum, ignarusq; nõdum à Censoribus in ordinẽ senatorum electum: quo uno modo etiam ijs, qui iam honores gesserant, aditus in curiam dabatur. Sed quãuis honestus error Fabij esset, uehemẽter tamẽ à COSS. obiurgatus est. Nunquam enim taciturnitatem

tem, optimum ac tutissimum administrandarum rerum uinculum, labefactari uolebant.

De Eumene rege Asiæ.

Ergo cùm Asiæ rex Eumenes, amantissimus nostræ urbis, bellũ à Perse aduersus P. R. cõparari senatui nuntiasset, non antè scivi potuit, quid aut ille locutus esset, aut patres respondissent, quàm captum Persen cognitũ est. Fidũ erat, & altũ Reip. pectus cura, silentijq; salubritate munitũ, & uallatum undiq;: cuius limen intrantes, abiecta priuata charitate publicã induebant. Itaq; non dicã unum, sed neminem audisse credereS, quod tam multorũ auribus fuerat cõmissum. Magistratus uerò prisci quantopere suam, Populiq; Romani maiestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quòd inter cætera obtinendæ grauitatis indicia, illud quoque magna cum perseuerantia custodiebant, ne Græcis unquam, nisi Latinè responsa darent: quinetiam ipsa linguæ uolubilitate, qua plurimum ualent, excussa per interpretem loqui cogebant, non in urbe tãtum nostra, sed etiam in Græcia & Asia: quo scilicet Latinæ uocis honos, per omnes gentes uenerabilior diffunderetur: nec illis deerant studia doctrinæ, sed nulla non in re pallium togæ subijci debere arbitrabantur: indignum esse existimantes illecebris, & suauitati literarum imperij pondus & autoritatem donari.

De C. Mario.

Quapropter non es dammandus rigoris ruſtici crimine C. Mari, quia gemina lauro coronatam ſenectutẽ tuam Numidicis, & Germanicis illuſtrem trophæis, victor deuictæ gentis facundia politiorem fieri noluiſti: credo ne alienigena ingenij exercitatione, patrij ritus ſeruus tranſfuga exiſteres. Quis ergo huic cõſuetudini, qua nunc Græcis actionibus aures curiæ exurdãtur, ianuam patefecit? ut opinor, Molo Rhetor, qui ſtudia M. Ciceronis acuit. eum nanq; ante omnes exteratum gentium in ſenatu ſine interprete auditum conſtat, quem honorem non immerito cepit, quoniam ſummã uim Romanæ eloquentiæ adiuuerat. Conſpicuæ felicitatis Arpinas, unicum ſiue literarum glorioſiſſimum contemptorem, ſiue abundantiſſimum fontem intueri uelis.

De more quem maiores obſeruabant in urbe.

Maxima autem diligentia maiores hunc morem retinuerunt, ne quis ſe inter COS. *& proximum lictorem, quamuis officij cauſa una progrederetur interponeret: filio duntaxat, & ei puero ante patrem* COS. *ambulãdi ius erat. Qui mos adeò pertinaciter retentus eſt, ut Qu. Fabius Maximus quinquies* COS. *uir etiam pridem ſummæ autoritatis, & tũc ultimæ ſenectutis à filio* COS. *inuitatus, ut inter ſe, & lictor*

lictorem procederet, ne hoſtium Samnitiũ turba (ad quorum colloquium deſcendebant) elideretur, id facere noluerit. Idem à Senatu legatus miſſus ad filium COS. *ſueſſam, poſtquam animaduertit eum ad officiũ ſuum extra mœnia oppidi proceſsiſſe, indignatus quoque quòd ex lictoribus nemo ſe equo deſcendere iuſſiſſet, plenus iræ ſedere perſeuerauit: quod cùm filius ſenſiſſet, proximo lictori, ut ſibi appareret, imperauit: cuius uoci Fabius continuò obſecutus, Non ego, inquit, fili ſummum imperium tuum contempſi, ſed experiri uolui, an ſcires* COS. *agere: nec ignoro quid patriæ uenerationi debeatur: uerùm publica inſtituta priuata pietate potiora iudico.*

De mira conſtantia legatorum Ro.

Relatis Qu. Fabij laudibus, offerunt ſe miritum ad res petendas miſſi, cùm grauiſſimas ibi iniurias accepiſſent, unus etiã urina reſperſus eſſet, in theatrum (ut eſt conſuetudo Græciæ) introducti, legationẽ quibus acceperant uerbis, peregerunt: de his, quæ paſsi erãt queſti non ſunt: ne quid ultrà, ac mandatum eſſet, loquerentur: intimisq; pectoribus eorum antiqui moris reſpectus, dolore qui ex contumelia grauiſſimus ſentitur, conuelli non potuit. Finem profectò frugiferarum opum, quibus ad inuidiam diu abundaueras Tarentina ciuitas,

quæsisti. Nam dum horridæ uirtutis in seipsum connexum stabilimentum, nitore Fortunæ præsentis inflata fastidiosè æstimas, in prænalidũ imperij nostri mucronem cæca & amens irruisti. Sed ut à luxu perditis moribus, ad seuerissima maiorum instituta transgrediar, antea senatus assiduam stationẽ eo loci peragebat, qui hodie quoque Senaculum appellatur: nec expectabat, ut edicto contraheretur, sed inde citatus protinus in curiam ueniebat: ambiguæ laudis ciuem existimans, qui debitis R. P. officijs non sua sponte, sed iussus fungeretur: quia quicquid imperio cogitur, exigenti magis, quàm præstanti acceptum refertur.

Aliud institutum contra Tribb. ple.

Illud quoq; memoria repetendum est, quòd Tribb. pl. intrare Curiã non licebat: ante uallum autem positis subsellijs, decreta patrũ attentissima cura examinabant: ut si qua ex eis improbassent, rata esse non sinerent. Itaq; ueteribus Senatusconsultis T. litera subscribi solebat: eaq; nota significabatur, illa Tribb. quoq; censuisse: qui quãuis pro cõmodis plebis excubabant, in quę imperijs compescendis occupati erant, instrui tamen ea argenteis uasis, & anulis aureis publicè prębitis, patiebantur, quò talium rerum usu autoritas magistratuũ esset ornatior. Quorum quemadmodum maiestas amplificabatur, ita abstinentia arctissimè constrin

gebatur. Immolatarum enim ab his hostiarum exta, ad Quæstores ærarij delata ueniebant. Sacrificijsq; Pop. Rom. tum Deorum immortalium cultus, tum etiam hominum continentia inerat. Imperatoribus nostris quàm sacras manus habere deberent, apud ista altaria discentibus: continentiáque tantum tribuebatur, ut multorum æs alienum, quia prouincias sincerè administrauerant, à senatu persolutum sit. Nam quorum opera, publicam autoritatem, splendorem suum procul obtinuisse uiderant: eorũ dignitatem domi collabi indignũ, sibiq; deforme esse arbitrabãtur.

De ordine equestri.

Equestris uerò ordinis iuuentus omnibus annis bis urbem spectaculo sui, sub magnis autoribus celebrabat, die Lupercaliũ, & equitum probatione. Lupercalium enim mos à Romulo, & Remo inchoatus est, tunc cum lætitia exultantes, quòd his auus Numitor, rex Albanorum, eo loco, ubi educati erant, urbẽ condere permiserat sub monte Palatino (hortatu Faustuli educatoris sui) quẽ Euander Arginus cõsecrauerat: facto sacrificio, cæsisq; capris, epularũ hilaritate, ac uino largiore proucti, diuisa pastorali turba, cincti omnes pellibus immolatarũ hostiarũ, iocantes, obuios petierunt: cuius hilaritatis memoria annuo circuitu feriarũ repetitur. Trabeatos uerò equites

Idibus Iulij Q. Fabius transuehi instituit. Idē censor cum P. Decio seditionis finiendæ gratia, quia Comitia in humilimi cuiusq; potestatem redacta accesserant, omnem forensem turbam in quatuor tantummodo Tribus descripsit, easq; urbanas appellauit: quo tam salubri R. P. facto uir, alioqui bellicis operibus excellens, Maximus cognominatus est.

De C. Mario.

Laudanda etiam populi uerecundia est, qui impigre se laboribus & periculis militiæ offerendo, dabat operam ne imperatoribus Capitecensos sacramento rogare esset necesse, quorum nimia inopia suspecta erat, ideoq; his publica arma non cōmittebantur. Sed hanc diutina usurpatione formatam consuetudinem C. Marius Capitecensum legendo militem, abrupit. Ciuis alioqui magnificus, sed nouitatis suæ conscientia, uetustati non sanè propitius, memorq;, si militaris ignauiæ humilitatiē spernere perseueraret, se à maligno uirtutū interprete uelut Capitecensum imperatorem compellari posse. Itaque fastidiosum delectus genus in exercitibus Romanis obliterandum duxit, ne talis notæ contagio ad ipsius quoque gloriæ sugillationem penetraret.

De P. Rutilio, & C. Mallio Consulib.

Armorum tractandorū meditatio à P. Rutilio

lio cos. C. Mallij collega militibus est tradita. Is enim nullius ante se imperatoris exemplum secutus, ex ludo C. Aurelij Scauri doctoribus gladiatorum accersitis, uitandi atq; inferendi ictus subtiliorem rationem legibus ingenerauit, uirtutemq; arti, & artem rursus uirtuti miscuit, ut illa impetu huius fortior, hæc illius scientia cautior fieret.

De usu uelitum primò reperto.

Velitum usus eo bello primum repertus est, quo Capuam Fuluius Flaccus Imperator obsedit. Nam cùm equitatui Campanorum crebris excursationibus equites nostri, quia numero pauciores erant, resistere non possent, Q. Nævius Centurio è peditibus lectos expediti corporis, breuibus & incuruis septenis armatos hastis, paruo tegmine munitos, ueloci saltu iungere se equitantibus, & rursus celeri motu dilabi instituit: quò facilius equestri prælio subiecti pedites, uiros pariter atque equos hostium telis incesserent. Eaque nouitas pugnæ unicum Campanæ perfidiæ debilitauit auxilium. Ideoq; autori eius Nævio adhuc honos est habitus. Proximus militaribus institutis ad urbana castra, id est, theatra gradus faciēdus est: quoniam hæc quoque sæpenumero animosas acies instruxerunt. Excogitata nanq; cultus Deorum, & hominū delectationis causa, nō sine aliquo pacis rubore uoluptatem & religionem

ligionem ciuili sanguine, scenicorum portentorum gratia, maculârunt: quæ inchoata quidem sunt à Messala, & Cassio Cen. Cæterùm autore P. Scipione Nasica omnem apparatum operis eorum subiectum hastæ uenire placuit. Atq; etiam S. C. cautum est, ne quis in urbe propius'ue passus mille subsellia posuisse, sedensue ludos spectare uellet, ut scilicet remissioni animorum iniuncta standi uirilitas, propria Romanæ gentis nota esset.

Mos ludorum.

Per quingẽtos autem & quinquagintaocto annos Senatus Populo mistus spectaculo ludorum interfuit. Sed hũc morem Attilius Seranus, & L. Scribonius Aediles, ludos Matri deũm facientes, superioris Africani sententiam secuti, discretis Senatus & populi locis, soluerũt: eaq; res auertit uulgi animum: & fauorem Scipionis magnopere quassauit. Nunc causam instituẽdorum ludorum ab origine sua repetam. C. Sulpitio Bætico, C. Licinio Stolone COSS. intoleranda uis ortæ pestilentiæ, ciuitatem nostrã à bellicosis operibus reuocatam, domestici atque intestini mali cura afflixerat: iamq; plus in exquisito & nouo cultu religionis, quam in ullo humano consilio positum opis uidebatur. Itaque placandi cœlestis numinis gratia compositis carminibus uacuas aures præbuit, ad id tempus Circensi spectaculo contenta,

tenta, quòd primus Romulus, raptis uirginibus Sabinis, Consualium nomine celebrauit. Verùm ut est mos hominum, paruula initia pertinaci studio prosequẽdi, uenerabilibus erga deos obsequijs iuuentus, rudi atq; incomposito motu corporum iocabunda, gestus dedit: caq; res Ludium ex Hetruria accersendi causam præbuit: cuius decora pernicitas uetusto ex more Curetum, Lydorumq; (à quibus Hetrusci originem traxerunt) nouitate grata Romanorum oculos permulsit. Et quia Ludius apud eos Histrio appellabatur, scenico nomẽ histrionis inditum est. Paulatim deinde ludicra ars ad Satyrarum modos perrexit: à quibus primus omnium poëta Liuius, ad fabularum argumenta spectantium oculos & animos transtulit. Isq; sui operis actor, cùm sæpius à populo reuocatus, uocem obtudisset, adhibito pueri & tibicinis concentu, gesticulationem tacitus peregit. Attellani autem ab Oscis acciti sunt: quod genus delectationis Italica seueritate temperatum, ideoq; uacuum nota est: nam neque tribu mouetur, neq; à militaribus stipendijs repellitur. Et quia cæteri ludi ipsis appellationibus unde trahantur, apparet, non absurdum uidetur Secularibus initium suum, cuius generis minus trita notitia est, reddere.

De quodam Valesio.

Cùm ingenti pestilentia urbs antiqua, agriq; uasta

uastarẽtur: Valesius uir locuples, rusticæ uitæ, duobus filijs & filia ad desperationẽ usq; medicorum laborantibus, aquam calidam ijs à foco petens, genibus innixus, Lares familiares, ut puerorum periculũ in ipsius caput transferrent, orauit: orta deinde uox est, habiturum eos saluos, si cõtinuo flumine Tyberis deuectos Tarentum portasset, ibiq; ex Ditis patris, & Proserpinæ ara petita aqua calida, quam illi desiderarent, recreasset. Eo prædicto magnopere confusus, quòd & longa & periculosa nauigatio imperabatur: spe tamen dubia præsentem metum uincente, pueros ad ripam Tyberis protinus detulit: habitabat enim in uilla sua propè uicum Sabinæ regionis Heretum: ac lyntre Hostiam petens, nocte cõcubia ad Martiũ campum appulit, sitientibusq; ægris succurrere cupiens, igne in nauigio non suppetente, ex gubernatore cognoscit, haud procul apparere fumum: & ab eo iussus egredi Tarentum (id nomen ei loco est) cupidè arrepto calice, aquam flumine hausiam, eò unde fumus erat obortus, iam latior pertulit, diuinitus dati remedij quasi uestigia quædam in propinquo se existimans nactum: inq; solo magis fumante, quàm ullas ignis habente reliquias, dum tenacius omen apprehendit, contactis leuibus, & quæ fors obtulerat nutrimentis, pertinaci spiritu, flammam euomuit, calefactamq; aquam pueris bi-

bendam dedit: qua potata, salutari quiete sopiti, diutina ui morbi repentè sunt liberati, patriq; indicauerunt uidisse se in somnijs nescio à quo Deorum, spongia corpora sua pertergi, & præcipi, ut ad Ditis patris, & Proserpinæ aram, à qua potio ipsis fuerat allata, furuæ hostiæ immolarentur, Lectisterniaq;, & ludi nocturni fierent. Is qui eo loci nullã aram uiderat, desiderari credens, ut à se construeretur, aram empturus in urbem perrexit, relictis qui fundamentorum constituendorum gratia terram ad solidum foderent: ij domini imperium exequentes, cùm ad x x. pedum altitudinem humo egesta peruenissent, animaduerterũt aram Diti patri, Proserpinæq; inscriptã. Hoc postquàm Valesius nuntiante seruo accepit, omisso emendæ proposito, hostias nigras, quæ antiquitus furuæ dicebantur, Tarenti immolauit, ludosq; & Lectisternia, continuis tribus noctibus, quia totidem filij periculo liberati erant, fecit.

De P. Valerio Publicola.

Cuius exemplum Valerius Publicola, qui primus COS. fuit, studio succurrendi ciuibus, secutus, apud eandem aram publicè nuncupatis uotis, cæsis; atris bobus, Diti maribus, fœminis Proserpinæ, Lectisternioq;, ac ludis trinoctio factis, aram terra, ut antè fuerat, obruit.

De Q. Catulo.

Religionem Ludorum crescentibus opibus

secuta

secuta lætitia est. Eius instinctu Qu. Catulus Campanam imitatus luxuriam, primus spectantium confessum uelorum umbraculis texit.

De Cn. Pompeio.

Cneus Pompeius ante omnes, aquæ per semitas decursu, æstiuum minuit feruorem.

De Claudio Pulchro.

Claudius Pulcher scenam uarietate colorum adumbrauit, uacuis antè pictura tabulis extẽtam: quã totã argento C. Antonius, auro Petreius, ebore Qu. Catulus, prætexuit. Versatilẽ fecerunt Lucius & Cinna locũ, quẽ argentatis choragijs P. Lẽtulus Spinter adornauit. Trãslatũ antea Phœniceis induitũ tunicis M. Scaurus exquisito genere uestis cultum induxit. Nam gladiatorum munus primum Romæ datum est in foro Boario, Appio Claudio, Qu. Fuluio coss. dederũt M. & Decius filij Bruti funebri memoria patris cineres honorando.

De athletis.

Athletarum certamen à M. Scauri tractum est munificentia.

De prima statua aurata in Italia.

Statuam auratam nec in urbe, nec in ulla parte Italiæ quisquam prius aspexit, quàm à M. Atilio Glabrione equestris patri ponerẽtur in æde Pietatis: eam autem ædem P. Cornelio Lentulo, & M. Bebio Pamphilo coss. ipse

ipse dedicauerat, compos uoti factus, rege Antiocho apud Thermopylas superato.

De Cn. Flauio uulgante Ius ciuile.

Ius ciuile per multa secula inter sacra ceremoniasq; Deorum immortalium abditum, solisq; Pontificibus notum, Cn. Flauius libertino patre genitus, & scriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus Ædilis Curulis uulgauit, ac fastos penè toto foro exposuit: qui cùm ad uisendum ægrum collegam suum ueniret, neq; à nobilibus quorum frequentia cubiculum erat completum, sedendi loco reciperetur: sellam curulem afferri iussit, & in ea honoris pariter, atq; contemptus sui uindex, consedit.

De Veneficiis in urbe.

Veneficij quæstio & moribus, & legibus Romanis ignota, complurium matronarum patefacto scelere orta est: quæ cùm uiros suos clandestinis insidijs ueneno perimerent, unius ancillæ indicio protractæ, pars capitali iudicio damnatæ, centum septuaginta numerum compleuerunt.

De Tibicinum collegio.

Tibicinum quoq; collegium solet in foro uulgi oculos in se conuertere, cùm inter publicas, priuatasq; ferias actiones personis tecto capite, uariaq; uestis uelatis concentus edit. Inde tracta licentia quondam uetiti in æde Iouis, quod prisco more facitauerant, uesci: Tibur

irati se contulerunt. quorum ministerio senatus deserta sacra non æquo animo ferens, per legatos à Tiburtibus petijt, ut eos gratia sua Romanis templis restituerent. quos illi in proposito perseuerantes, interposita festæ epulationis simulatione, mero, somnoq; sopitos, plaustris in urbem deuehendos curauerunt: quibus & honos pristinus restitutus, & huiusce lusus ius est datum. Personarum usus pudorem circumuentæ temulentiæ causam habet.

De modo comedendi antiquorum.

Fuit etiam illa simplicitas antiquorũ in cibo capiendo, humanitatis simul, & continentiæ certissima index. Nam maximis uiris prãdere & cœnare in propatulo, nerecundiæ non erat: nec sanè ullas epulas habebãt, quas populi oculis subijcere erubescerent: erant autem adeò cõtinentiæ attenti, ut frequentior apud eos pulti usus, quàm panis esset. Ideoq; in sacrificijs mola, quæ uocabatur, ex farre & sale constat: exta farre sparguntur: & pullis, quibus auspicia petuntur, puls obijcitur: primitus enim ex libamentis uictus sui deos eò efficacius, quò simplicius placabant. Et cæteros quidem ad beneficiendũ uenerabantur: Febrem autem ad minus nocendum templis colebant, quorum adhuc unum in Palatio, alterum in area Marianorũ monimentorum, tertium in summa parte Vici longi extat. In eaq; remedia, quæ corporibus ægror

ægrorum adnexa fuerant, deferebantur. Hæc ad humanæ mẽtis æstus leniendos cum aliqua usus ratione excogitata, cæterum salubritatem suam industriæ certissimo ac fidelissimo monimento tuebantur: bonæq; ualetudinis eorum quasi quædam mater erat frugalitas, inimica luxuriosis epulis, & alienа nimiæ uini abũdãtiæ, et ab omni immoderato ueneris usu euersa.

EXTERNA.

De ciuitate Spartana.

Idem sensit proxima maiorum nostrorum grauitati Spartana ciuitas: quæ seuerissimis Lycurgi legibus obtemperans, aliquandiu ciuium suorum oculos à contemplanda Asiæ retraxit, ne illecebris eius capti, ad delicatius uitæ genus prolaberentur. Audierant enim lautitiam inde, & immodicos sumptus, & omnia non necessaria uoluptatis genera fluxisse: primosq; Ionas unguenti, coronarumq; in conuiuio dandarum, & secundæ mensæ ponendæ consuetudinem, haud parua luxuriæ irritamenta reperisse: ac minimè mirum est, quòd homines labore ac patientia gaudentes, tenacissimos patriæ neruos, externarum delitiarum cõtagione solui, & hebetari noluerunt: cùm aliquanto faciliorem uirtutis ad luxuriam, quàm luxuriæ ad uirtutem transitum uiderent.

De Pausania.

Quod eos non frustra timuisse dux ipsorum

Pausanias patefecit: Qui maximis operibus editis, ut primum se Asiæ moribus permisit, fortitudinem suam, effœminato eius cultu, mollire non erubuit.

De ciuitate ipsa.

Eiusdem ciuitatis exercitus non antè ad dimicandũ descendere solebant, quàm tibiæ concentu, & anapæsti pedis modulo cohortationis calorẽ animo traxissent, uegeto, et crebro ictus sono strenuè hostem inuadere admoniti. Idem ad dissimulandum, & occultandum uulnerum suorum cruorem, Puniceis tunicis in prælio utebantur, non ut ipsis aspectus earum terrorem, sed ne hostibus fiduciæ aliquid afferret.

De Athenienſibus.

Egregios uirtutis bellicæ spiritus Lacedæmoniorũ, prudentissimi pacis moribus Athenienses subsequuntur: apud quos inertia è latebris suis, languore marcens in forum perinde ac delictum aliquod protrahitur, fitq; ut sacrorosæ, ita erubescendæ rea culpæ.

De Areopago.

Eiusdẽ urbis & sanctissimũ cõsiliũ Areopagus, quid quisq; Athenienſium ageret, aut quonã quæstu sustentaretur, diligentissimè inquirere solebat, ut homines honestatẽ, uitæ rationem memores reddendam esse, sequerentur.

De eadem urbe.

Eadem bonos ciues corona decorandi primo consue

tudinẽ introduxit, duobus oleæ connexis ramulis clarũ Periclis cingendo caput. Probabile institutũ, siue rem, siue personã intueri uelis. Nam & uirtutis uberrimum alimẽtum est honos, & Pericles dignus à quo talis muneris dandi posteritas potissimum initium caperet.

Age quid illud institutum Athenarum, quam memorabile? quòd cõuictus à patrono libertus ingratus, iure libertatis exuitur. Supersedeo te, inquit, habere ciuem tãti muneris impium æstimatorẽ. Nec adduci possum, ut eredã urbi utilem, quem domi scelestum cerno: abi igitur & esto seruus, quoniã liber esse nescisti.

De Massilienſibus.

Inde Massilienses quoq; ad hoc tempus usurpant disciplinæ grauitatem, prisci moris obseruantia, charitate pop. Rom. præcipuè cõspicui, qui tres in eodẽ manumissiones rescindi permittunt, si ter ab eodem deceptum dominũ cognouerint: quarto errori subueniendum nõ putant: quia sua iam culpa iniuriam accepit, qui ei se toties obiecit. Eadem ciuitas seueritatis custos acerrima est. Nullum aditũ in scenam mimis dando, quorũ argumenta maiore ex parte stuprorum continent actus, ne talia spectandi cõsuetudo, etiam imitandi licentiã sumat. Omnibus autem, qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiæ quærũt, clausas portas habẽt, & mẽdacẽ, & fucosam superstitionem,

submouendam esse existimans. Cæterùm à cõdita urbe gladius est ibi, quo noxij iugulantur: rubigine quidẽ exesus, & uix sufficiens ministerio, sed index in minimis quoq; rebus omnia antiquæ consuetudinis momenta seruanda.

De duabus arcis.

Duæ etiam ante portas eorum arcæ iacent: altera, qua liberorum, altera qua seruorũ corpora ad sepulturæ locum plaustro deuehuntur, sine lamentatione, sine planctu, sine luctu: funeris dies, domestico sacrificio, adiectoq; necessariorum cõuiuio, finitur. Etenim quid attinet humano dolori indulgere? aut diuino numini inuidiam fieri, quòd immortalitatem suã nobiscum partiri noluerit? Venenum cicuta temperatum, in ea ciuitate publicè custoditur, quod datur ei, qui causas Sexcẽtis (id enim Senatus eius nomen est) exhibuit, propter quas mors sit illi expetenda, cognitione uirili, beneuolentia temperata: quæ neque egredi uita temere patitur, & sapienter excedere cupienti celerem fati uiam præbet, ut uel aduersa, uel prospera nimis usi Fortuna (utraque enim finiendi spiritus, illa ne persueret, hæc ne desinat, rationem præbuerit) comprobato exitu terminetur. Quam consuetudinem Massiliensium nõ in Gallia ortam, sed è Græcia traslatam inde existimo, quòd illam etiam in insula Cæa seruari animaduerti, quo tempore

Asiam cum Sex. Pompeio petens, Iulide oppidũ intrauit. Fortè enim tunc euenit, ut summæ dignitatis ibi fœmina, sed ultimæ iam senectutis, reddita ratione ciuibus, cur excedere uita deberet, ueneno consumere se destinarit, mortemq; suam Pomp. præsentia clariorẽ fieri magni æstimarit. Nec preces eius uir ille, ut omnibus uirtutibus, ita humanitatis quoq; laudibus instructissimꝰ, aspernari sustinuit. Venit itaque ad eam, facundissimoq; sermone, quã ore eius quasi è beato quodam eloquentiæ fonte manabat, ab incœpto consilio diu nequicquam reuocare conatus, ad ultimum propositum exequi passus est: quæ nonagesimum annum trãsgressa cum summa & animi & corporis synceritate, lectulo, quantum dignoscere erat, quotidiana consuetudine cultius structo recubans, & innixa cubito, Tibi, inquit, Sex. Pomp. Dij magis, quos relinquo, quam quos peto, gratias referant: quia nec hortator uitæ meæ, nec mortis spectator esse fastidisti. Cæterùm ipsa hilarem Fortunæ uultum semper experta, ne auiditate lucis tristem imitari cogar, reliquias spiritus mei prospero fine, duas filias, & unum nepotum gregem relicturæ superstitem, permitto. Cohortata deinde ad concordiam suos, distributo eis patrimonio, & cultu suo sacrisq; domesticis maiori filiæ traditis, poculum in quo uenenũ temperatũ erat,

constanti dextra arripuit. Tunc defusis Mercurio delibamentis, & inuocato numine eius, ut se placido itinere in meliorem sedis infernæ deduceret partem, cupido haustu mortiferam traxit potionem, ac sermone significans quasnam subinde partes corporis sui rigor occuparet: cùm iam uisceribus eum, & cordi immineret esset locuta, filiarum manus ad supremũ opprimẽdorum oculorum officium aduocauit: nostros autem, tametsi nouo spectaculo obstupefacti erant, suffusos tamen lacrymis dimisit.

De ritu Masilienſium.

Sed ut ad Maſſilienſium ciuitatem, unde in hoc diuerticulum excesi, reuertar: intrare oppidum eorum nulli cum telo licet, præstoq; est, qui id custodiæ gratia acceptum, exituro reddat, ut hospitia sua, quemadmodum aduenientibus humana sunt, ita ipsis quoq; tuta sint.

De more quem obſeruabant Galli.

Horũ mœnia egresso uetus ille mos Gallorũ occurrit, quos memoria proditum est, pecunias mutuas, quæ his apud inferos redderẽtur, dare: quia persuasum habuerint, animas hominũ immortales esse. dicerẽ stultos, nisi idem bracchati sensissent, quod palliatus Pythagoras credidit.

De Gallis.

Auara, & fœneratoria Gallorũ philosophia. Alacris, & fortis Cimbrorũ, & Celtiberorũ, qui in acie gaudio exultabãt, tanquã glorioſe

rioſe, et feliciter uita excessuri: lamẽtabãtur in morbo, quaſi turpiter, et miſerabiliter perituri.

De Celtiberis.

Celtiberi etiam nefas esse ducebãt præliosupereſſe, cùm is occidisset, pro cuius ſalute ſpiritum deuouerant. Laudanda utrorunq; populorum animi præstantia, quòd & patriæ incolumitatem fortiter tueri, & fidem amicitiæ constanter præstandam arbitrabantur.

De Thracia.

Thraciæ uerò illa natio meritò ſibi ſapientiæ laudem uendicauerit: quæ natales hominũ flebiliter, exequias cum hilaritate celebrat, ſine ullis doctorum præceptis: uerùm conditionis nostræ habitũ præuidit. Remoueatur itaq; naturalis omnium animalium dulcedo uitæ, quæ multa & facere, & pati turpiter cogit, ſi ea mortua, aliquantò eius felicior, ac beatior reperietur finis.

De moribus & ritu Lyciorum.

Quocirca rectè Lycij, cùm ijs luctum incidit, muliebrem ueſtem induunt: ut deformitate cultus commoniti, maturius ſtultum proijcere mœrorem uelint.

De fœminis Indicis.

Verum quid ego fortiſſimos in hoc genere prudentiæ uiros laudem? Reſpiciantur Indorũ fœminæ, quæ cùm more patrio complures eidem nuptæ esse ſoleant, mortuo marito, in cer-

tamen, iudicium q; uenium, quã ex ijs maximè dilexerit: uictrix gaudio exultans, deductaq; à necessarijs lætum præferens uultum, coniugis se flammis superiacit, & cum eo tanquã felicissima crematur: superatæ cum trisstitia, & mœrore in uita remanẽt. Protrahe in medium Cimbricã audaciam. Adijce Celtibericã fidẽ. Iunge animosam Thraciæ sapientiã. Annecte Lyciorum in luctibus abijciendis callidè quæsitã rationẽ. Indico tamen rogo nihil eorũ præferes, quem uxoris pietas in modum genialis tori propinquæ mortis secura conscendit.

De Punicis fœminis, & fano Veneris.

Cui gloriæ, Punicarum fœminarum, ut ex comparatione turpius appareat dedecus, subnectam. Sicæ enim fanum Veneris est, in quod se matronæ conferebant, atque inde procedentes, quæstum dotis, corporis iniuria contrahebant, honesta nimirum tam inhonesto uinculo coniugia iunctura.

De instituto probabili Persarum.

Nam Persarum admodum probabile institutum fuit, quòd liberos suos non prius aspiciebant, quàm septimum implessent annum, quò paruulorũ amissionẽ æquiore animo sustineret.

De Numidis.

Ne Numidæ quidem reges uituperandi, qui more gentis suæ nulli mortalium osculum ferebant. Quicquid enim in excelso fastigio positum

positum est, humili & trita consuetudine, quò sit uenerabilius, uacuum esse conuenit.

DE DISCIPLINA MILITARI. CAP. II.

VEnio nunc ad præcipuum decus, & ad stabilimentũ Rom. Imperij salutari perseuerantia ad hoc tempus syncerum, & incolume seruatum, militaris disciplinæ tenacissimum uinculum, in cuius sinu, ac tutela, serenus, trãquillusq; beatæ pacis status acquieuit.

De Scipione.

Publi⁹ Cor. Scipio, cui deleta Carthago auitum cognomen dedit, COS. in Hispaniam missus, ut insolentissimos Numantinæ urbis spiritus, superiorũ ducum culpa nutritos, contunderet, eodem temporis momento, quo castra intrauit, edixit, ut omnia ex ijs, quæ uoluptatis causa comparata erant, auferrẽtur, ac summouerentur. Nam cõstat tum maximum inde institorum, & lixarum numerum, cum duobus millibus scortorum abijsse. Hac turpi, atque erubescenda sentina uacuefactus exercitus noster, qui paulò antè, metu mortis, deformi se fœderis ictu maculauerat, erecta uirtute, recreataq;, acrem illam, & animosam Numantiam incendijs exustam, ruinisq; prostratam, solo æquauit. Itaque neglectæ disciplinæ militaris indiciũ, Mancini miserabilis deditio, seruatæ merces, speciosissim⁹ Scipionis triũphus extitit.

De

De Metello.

Eius sectam Metellus secutus, cùm exercitum in Africa, Iugurthino bello nimia Spu. Albini indulgentia corruptum COS. *accepisset: omnibus imperij neruis ad reuocandā pristinæ disciplinam militiæ connixus est, nec singulas partes apprehendit, sed totam continuò in statum suum redegit. Protinus nanq; Lixas è castris summouit, cibumq; coctum uenalem proponi uetuit: in agmine neminem militum ministerio seruorum, iumentorumq;, ut arma sua, & alimēta ipsi ferrent, uti passus est. Castrorum subinde locum mutauit: eadem tanquam Iugurtha semper adesset, uallo, fossaq; aptissimè cinxit. Quid ergo restituta continentia? quid repetita industria profecit? Crebras scilicet victorias, & multa trophæa peperit ex eo hoste, cuius tergum, sub ambitioso imperatore, Rom. militi uidere non contigerat. Bene etiam illi disciplinæ militari affuerunt, qui necessitudinum præruptis uinculis, ultionem, uindictamq; læsæ cum ignominia domuum suarū exigere non dubitauerunt. Nam P. Rutilius* COS. *eo bello, quod in Sicilia cum fugitiuis gessit, Qu. Fabium generum suum, quia negligentia Tauromenitanam arcem amiserat, prouincia iussit decedere.*

De Cotta.

Nam C. Cotta P. Aurelium Pecuniolam, sang

sanguine sibi iunctum, quem obsidioni Liparitanæ ad auspicia repetenda Messanam trāsiturus præfecerat, uirgis cæsum, militiæ munere inter pedites fungi coēgit, quòd eius culpa ager incensus, & penè castra erant capta.

De Quinto Fuluio.

Quintus etiā Fuluius Flaccus Censor, Fuluium fratrem cohortem legionis, in qua Trib. militum erat, iniussu Consulis domū dimittere ausum, Senatu amouit. Tam digna exempla, tam breuiter, nisi maioribus urgerer, nō referrentur. Quid enim tam difficile factu, quàm copulatæ societati generis, & imaginū, deformem in patriam reditum indicere? aut cōmunioni nominis, ac familiæ ueteris propinquitatis serie cohærenti, uirgarum contumeliosa uerbera adhibere? aut Censoriū superciliū aduersus fraternā charitatē distringere? Dentur hæc singula quāuis claris ciuitatibus, abūde tamen gloria disciplinæ militaris instructæ uidebūtur.

De Posthumio Tiburto, & T. Manlio Torquato.

At nostra urbs, quæ omni genere mirificorum exemplorū totum orbem terrarum repleuit: Imperatorum proprio sanguine manantes secures, ne turbato militiæ ordine uindicta deesset, è castris publicè speciosas, priuatim lugubres duplici uultu recepit: incerta gratulandi prius, an lugendi officio fungeretur. Igitur ego

quoq;

quoq; hæsitante animo uos bellicarũ rerum seuerissimi custodes, Posthumi Tiburte, et Mãli Torquate memoria ac relatione complector, quia animaduerto fore, ut pondere laudis, quã meruistis, obrutus, magis imbecillitatem ingenij mei detegam, quàm uestram uirtutem. sicut par est, repræsentem. Tu nanq; Posthumi Dictator, Aulum Posthumiũ, quem ad generis, penetraliumq; sacrorũ successionem propagandam genueras, cuius infantiæ blandimenta sinu atq; osculis foueras, quem puerum literis, quem iuuenem armis instruxeras, sanctum, fortem, amantem tui pariter ac patriæ, quia nõ tuo iussu, sed sua sponte præsidio progressus hostes fuderat, uictorẽ securi feriri iussisti, & ad hoc imperiũ peragendum, paternæ uocis ministerio sufficere ualuisti: nam oculos tuos, certũ scio, clarissima in luce tenebris offusos, ingens opus animi intueri nequiuisse. Tu item Manli Torquate Latino bello COS. filiũ, quòd prouocatus à Geminio Metio duce Tusculanorũ ad dimicandum te ignaro descẽderat, gloriosam uictoriam, & speciosa spolia referentẽ, abripi à lictore, & in modum hostiæ mactari iussisti: satius esse iudicans, patrẽ forti filio, quàm patriam militari disciplina carere.

De L. Quintio Cincinnato.

Age quãto spiritu putamus usum L. Quintium Cincinnatũ Dictatorem eo tempore, quo deuictis

deuictis Æquiculis, & sub iugũ missis, L. Minutium Consulatum deponere cõgit, quòd castra eius hostes ijdem obsederant? Indignum enim maximo imperio credidit, quem non suæ uirtus, sed fossa, uallumq; tutum præstiterat: cuiq; uerecundiæ non fuerat, arma Romana metu trepida, clausis portis cõtineri. Ergo imperiosissimi XII. fasces, penes quos Senatus, et Æquestris ordinis, & uniuersæ plebis summum decus erat, quorumq; nutu Latium, ac totius Italiæ uires regebãtur, contusi atq; fracti Dictatoriæ se animaduersioni substraucrunt. Ac ne inulta foret gloria militaris, COS. delicti omnis uindex punitus est. His (ut ita dicam) piaculis, Mars imperij nostri pater, ubi aliqua ex parte à tuis auspicijs degeneratum erat, numen tuum propitiabatur, nota affinium & cognatorum, fratrum, filiorumq; strage, ignominiosa Consulum eiuratione.

De Papirio.

Eiusdem ordinis, quod sequitur. Papirius Dictator, cùm aduersus imperium eius Quintus Fabius Rutilianus magister equitum exercitũ in aciem eduxisset, quanquàm fusis Samnitibus in castra redierat, tamen neq; uirtute eius, neq; successu, neq; nobilitate motus uirgas expediri, eumq; nudari iussit. O spectaculum admirabile: & Rutilianus, & magister equitũ, & uictor, scissa ueste, spoliatoq; corpore, lictorum

rum se uerberibus lacerandum præbuit, ut in acie exceptorũ uulnerũ nodosis ictibus cruore renouato, uictoriarum, quas modò speciosissimas adeptus erat, titulos respergeret: precibus deinde sui exercitus, occasionem Fabio confugiendi in urbem dedit, ubi frustra Senatus auxilium implorauit. Nihilo minus enim Papirius in exigenda pœna perseuerauit: itaq; coactus est pater eius, post Dictaturã, tertiumq; Consulatum, rem ad populum deuocare, auxiliumq; Trib. pleb. supplex pro filio petere: neq; hac re seueritas Papiriȳ refrænari potuit. Cæterùm, cũ ab uniuersis ciuibus, & Trib. plebis rogaretur, testatus est, non pœnam illam se Fabio, sed populo Romano & Trib. concedere potestati.

De L. Calphurnio.

Lucius quoq; Calphurnius Piso Consul, cùm in Sicilia bellum aduersus fugitiuos gereret, & Titius equitum præfectus, fugitiuorũ multitudine hostiũ circumuentus arma his tradidisset, his præfectũ ignominiæ generibus affici iussit, eũ toga lacinijs abscisis amictũ, discinctaq; tunica indutum, nudis pedibus à manè noctem usq;, ad principia per omne tẽpus militiæ adesse. Interdixit etiam ei conuictum hominum, usumq; balnearũ: turmasq; equitum, quibus præfuerat, ademptis equis in funditorũ alas trãscripsit. Magnũ profectò dedecus patriæ

triæ magno Pisonis decore uindicatum est: quoniam quidem id egit Piso, ut qui cupiditate uitæ adducti, cruce dignissimis fugitiuis trophæa de se statuere concesserant, libertati'que suæ seruili manu flagitiosum imponi iugum non erubuerant, amarum lucis usum experirentur, mortemq;, quam effœminatè timuerant, uiriliter optarent.

De Q. Metello.

Nec minus Pisone acriter Q. Metellus: qui, cùm apud Trebiam res gereretur, collocatas à se in quadam statione quinque cohortes, atque ex ea uiribus hostium depulsas, repetere eandem stationem cursitigio iussit: non quòd speraret ab ijs amissum locum recuperari posse, sed ut præteritæ culpam pugnæ, insequentis certaminis manifesto periculo puniret. Edixit etiam, ut si quis ex his fugiens castra petüsset, pro hoste interficeretur: qua seueritate compressi milites, corporibus fatigatis, & animis desperatione uitæ implicatis, loci tamen iniquitatem, multitudinem'que hostium superarunt. Humanæ igitur imbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas.

De Q. Fabio.

In eadem prouincia Q. Fabius Maximus ferocissimæ gentis animos contundere, & debilitare cupiens, mansuetissimum ingenium suum, ad tempus deposita clementia, sæuiore

uti seueritate coëgit: omniũ enim, qui ex præsidijs Romanorum ad hostes transfugerant, capti que erant, manus abscidit: ut truncæ præ se brachia gestantes, metum defectionis reliquis inycerent: rebelles itaque manus à corporibus suis distractæ, in que cruentato solo sparsæ, cæteris, ne idem committere auderent, documento fuerunt.

De Africano superiore.

Nihil nitius superiore Africano: is tamen ad firmandam disciplinam militarẽ, aliquid ab alienissima crudelitate sibi amaritudinis mutuandum existimauit: si quidem deuicta Carthagine, cùm omnes, qui ex nostris exercitibus ad Pœnos transierant, in suam potestatem redegisset, grauius in Romanos, quàm in Latinos transfugas animaduertit. Hos enim tanquam patriæ fugitiuos crucibus affixit, illos autem tanquam perfidos socios securi percussit. Non prosequar hoc factum ulterius, & quia Scipionis est, & quia Romano sanguini, quamuis merito perpesso, seruile supplicium insultare non attinet: cùm præsertim transire ad ea liceat, quæ sine domestico uulnere gesta narrari possunt.

De Africano posteriore.

Nam posterior Africanus, euerso Punico imperio, exterarum gentium transfugas, in edendis populo spectaculis, feris bestijs obiecit.

Et

Et L. Paulus Perse Rege superato, eiusdem generis & culpæ homines, elephantis protrendos substrauit: utilissimo quidem exemplo, si tamen acta excellentissimorum uirorum humiliter æstimare sine insolentiæ reprehensione permittitur. Aspero enim, & abscisso castigationis genere militaris disciplina indiget: quia nires armis constant, quæ ubi à recto itinere desciuerunt, oppressura sunt, nisi opprimantur.

De L. Martio Tribuno militum.

Sed tempus est eorum quoque mentionẽ fieri, quæ iam non à singulis, uerùm ab uniuerso Senatu pro militari more obtinendo defendendóq; administrata sunt. L. Martius trib. militum, cùm reliquias duorũ exercituũ Publij & Cnei Scipionũ, quos arma Punica in Hispaniâ absumpserãt, dispersas mira uirtute collegisset, earumq; suffragijs dux esset creatus, Senatui de rebus actis à se scribens in hunc modũ orsus est: L. M. Propratore, cuius honoris usurpatiõe uti eũ patribus C. non placuit: quia duces à populo, non à militibus solerent creari: quo tẽpore tam angusto, tam que graui, propter immane Reip. damnum, etiã Tribunus militũ adulandus erat, quoniã quidẽ ad statum totius ciuitatis corrigendũ unus sufficerat: sed nulla clades, nullũ meritũ, ualẽtius militari disciplinæ fuit. Succurrebat enim illis quàm animosa seuerita

te Tarētino bello maiores eorū usi fuissent. In quo quassatis & attritis Reip. uiribus, cùm magnum captiuorum ciuium suorum numerum à Pyrrho rege ultrò missum recepissent, decreuerunt, ut ex ijs, qui equo meruerant, pediti numero militarent: qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transcriberentur: ne'ue quis eorum intra castra tenderet, ne'ue locum extra assignatum, uallo aut fossa cingeret, ne'ue tentorium ex pellibus haberet: recursum autem ijs ad pristinū militiæ ordinem proposuerunt, si quis bina spolia ex hostibus tulisset: quibus supplicijs cōpressi ex deformibus Pyrrhi munusculis, acerrimi hostes extiterunt. Parē iram aduersus illos Senatus distrinxit, qui apud Cannas Remp. deseruerunt. Nam cùm eos grauitate decreti, ultra mortalium conditionē relegasset, acceptis à M. Marcello literis, ut eorum sibi opera ad expugnationem Syracusanorum uti liceret: rescripsit indignos esse, qui in castra reciperentur. Cæterùm sē ei permittere, ut faceret quod expedire Reipubl. iudicasset, dum ne quis ex eis munere uacaret, aut dono militiæ donaretur, aut in Italiam, donec hostes in ea essent, accederet. Sic enerues animos odisse uirtus solet.

Ligè, quàm grauiter Senatus tulit, quòd Quintum Petilium COS. fortissimè aduersus Ligures pugnantem occidere milites passi essent?

essent? Legioni neque stipendium anni procedere, neque æra dari uoluit, quia pro salute Imperatoris, hostium telis se non obtulerant. Id'que decretū amplissimi ordinis, speciosum, & æternum Petilij monimentum extitit, sub quo in acie morte, in Curia ultione clari cineres eius acquieſcunt. Consimili animo, cùm ei Annibal sex milium Romanorum, quæ capta in castris habebat, redimendorum potestatem fecisset, conditionē spreuit, memor tantam multitudinem armatorum iuuenum, si honestè mori uoluissent, turpiter capi nō potuisse. Quorum nescio utrum maius dedecus fuerit, quòd patria spei, an quòd hostis metus nihil in his reposuerit: hæc pro se, ille ne aduersus se dimicarent, parui ducendo.

Sed cùm aliquoties Senatus pro militari disciplina seuerè excubuerit, nescio an tunc præcipuè, cùm milites, qui Rhegyum iniusto bello occupauerant, mortuoq; duce Bubelio, M. Cæsium scribam eius sua sponte Imperatorē delegerant, carcere inclusit, ac M. Furio Flacco Trib. plebis denuntiante, ne in ciues Romanos aduersus morem maiorum animaduerteret, nihilominus propositum executus est. Cæterùm minore cum inuidia, ut id perageretur, quinquagenos per singulos dies uirgis cæsos, securi percuti iussit, eorumq; nullum sepulturæ mandari, mortem'que lugeri uetuit.

EXTERNA.

De Carthaginiensium Senatu.

Leniter hoc patres C. si Carthaginiensiũ Senatus in militiæ negotijs procurandis uiolentiam intueri uelimus, à quo duces bella prauo consilio gerentes, etiã si prospera fortuna subsecuta esset, cruci tamẽ affigebãtur: quod bene gesserant, Deorum immortaliũ adiutorio: quod malè commiserant, ipsorum culpæ imputantes.

De Clearcho.

Clearchus uerò Lacedæmoniorũ dux egregio dicto disciplinam militiæ continebat, idemidem exercitus sui auribus inculcãdo, à militibus imperatorem, potius, quàm hostem metui debere. Quo apertè denuntiabat futurũ, ut spiritum pœnæ impenderent, quem pugnæ acceptum ferre dubitassent. Idq; à duce præcipi non mirabantur, maternarũ blanditiarũ memores: quæ exituros eos ad præliandum monebant, ut aut uiui cũ armis in conspectũ earũ uenirent, aut mortui in armis referrẽtur. Hoc intra domesticos parietes accepto signo, Spartanæ acies dimicabant. Sed aliena prospexisse tantummodo satis est, cùm propriis, multoque uberioribus, & felicioribus exẽplis gloriari liceat. Disciplina militaris acriter retenta, principatũ Italiæ Romano imperio peperit: et malarum urbium, magnorum Regum ualidissimarum gentiũ regimen largita est: fauces Pontici

sinus patefecit: Alpium, Tauriq; montis conuulsa claustra tradidit: ortumq; è paruula Romuli casa totius terrarũ orbis fecit columen. Ex cuius sinu quoniã omnes triũphi manarũt, sequitur ut de iure triũphandi dicere incipiam.

DE IVRE TRIVMPHANDI.

CAPVT III.

OB leuia prælia quidã Imperatores triũphos sibi decerni desiderabãt: quibus ut occurreretur, lege cautum est, ne quis triũpharet, nisi quinque millia hostium una acie cæcidisset. Non enim numero, sed gloria triumphorum excelsius urbis nostræ futurum decus mæiores existimabant. Cæterum ne tam præclaræ lex cupiditate laureæ obliteraretur, legis alterius adiutorio sulta est, quam L. Marius, & M. Cato Tribb. Pl. tulerunt. Pœnã enim Imperatoribus minatur, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum ciuium falsum numerum, literis Senatui ausi essent referre. Iubet'que eos, cum primum urbẽ intrassent, apud Quæstores urbanos iurare de utroque numero uerè ab his Senatui esse scriptum. Post has leges iudicij illius tempestiua mentio introducetur, in quo de iure triumphandi inter clarissimas personas & actum, & excussum est. Luctatius COS. & Qu. Valerius PR. circa Siciliam insignem Pœnorum classem deleuerant, quo nomine Luctatio COS. triumphum

Senatus decreuit. Cùm autẽ Valerius sibi cum quoq; decerni desideraret, negauit id fieri oportere Luctatius, ne in honore triumphi minor potestas maiori æquaretur: pertinaciusq; progressa cõtentione, Valerius sponsione Luctatium prouocauit, non se petiturũ triumphũ, nisi suo ductu Punica classis esset oppressa: nec dubitauit restipulari Luctatius. Itaq; iudex inter eos conuenit Atilius Calatinus, apud quem Valerius in hunc modum egit: Consulem ea pugna in lectica claudum iacuisse, se autẽ omnibus imperatorijs partibus functum. Tunc Calatinus prius, quàm Luctatius causam suam ordiretur, Quæro, inquit, Valeri à te, si dimicandũ nec'ne esset, contrarijs inter uos sententijs dissedisse tis, utrũ quod C O S. an quod P R. imperasset, maius habiturum fuerit momentum? Respondit Valerius non facere se cõtrouersiã, quin priores partes C O S. essent futuræ. Age deinde, inquit Calatinus, Si diuersa auspicia accepissetis, cuius magis auspicio staretur? Ité respondit Valerius, C O S. Iam mehercule, inquit, cùm de Imperio, et auspicio, inter uos disceptationem susceperim, & tu utroq; aduersarium tuum superiorem fuisse fatearis, nihil est, quod ulterius dubitem. Itaque Luctati, quãuis adhuc tacueris, secundum te litem do. Mirificè iudex, quòd in manifesto negotio tempus terpassus non est. Probabilius Luctatius, quòd ius

ius amplissimi honoris constanter defendit. Sed nec Valerius quidem improbè, quia foris & prosperæ pugnæ ut non legitimum, ita se dignum præmium petijt.

De Cn. Fuluio Flacco.

Quid Facias Cn. Fuluio Flacco, qui tam expetendum alijs honorem triumphi, decretũ sibi à senatu ob res bene gestas spreuit, ac repudiauit? Nimirum non plura percerpens, quam acciderunt. Nam ut urbem intrauit, continuo quæstione publica afflictus, exilio mulctatus est: ut si quid religionis insolentia commisisset, pœna expiaret.

De Q. Fuluio.

Sapientiores igitur Qu. Fuluius, qui Capuæ capta, & L. Opimius, qui Fregellanis ad deditionem compulsis triumphandi potestatem à senatu petierunt. Vterque editis operibus magnificus, sed neuter petitæ rei compos. Non quidem inuidia Patrum C. cui nunquam aditum in curia esse uoluerunt: sed summa diligentia obseruandi iuris, quo cautum erat, ut pro aucto imperio, non pro recuperatis, quæ Pop. Rom. fuissent, triumphus decerneretur. Tantum enim interest adijcias aliquid, an detractum restituas, quantum distat beneficij initium ab iniuriæ fine.

De P. Scipione, & Marco Marcello.

Quinetiam ius de quo loquor, sic custoditum

est, ut P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, M. Marcello ob captas Syracusas triumphus non decerneretur, quòd ad eas res gerendas sine ullo missi erant magistratu. Probentur nunc cuiuslibet gloriæ cupidi, qui ex desertis mõtibus Myoparonumq; piraticis rostris, laudis inopes, laureæ ramulos festinabũda manu decerpserunt. Carthaginis imperio rupta Hispania, & Siciliæ caput abscissum Syracusæ, triumphales iungere currus nequiuerunt: & quibus uiris? Scipioni & Marcello: quorum ipsa nomina instar sunt æterni triumphi. Sed clarissimos solidæ, ueraeq; uirtutis autores, humeris suis salutẽ patriæ gestantes, etsi coronatos intueri senatus cupiebat, iustiori tamen reseruandos laureæ putauit. His illud subnectam. Moris erat ab Imperatore triumphum ducturo, COSS. inuitari ad cœnam, deinde rogari, ut uenire supersedeant, nequis eo die, quo ille triumphauerit, maioris in eodem conuiuio sit imperij. Verùm quamuis quis præclaras res, maximeq; utiles Reip. ciuili bello gessisset, Imperator tamen eo nomine appellatus non est, neq; ullæ supplicationes decretæ sunt, neque aut ouans, aut curru triumphauit, quia ut necessariæ istæ, ita lugubres semper existimatæ uictoriæ sunt: utpote non externo, sed domestico partæ cruore. Itaq; et Nasica Tiberium Gracchum, & Opimius C. Gracchi factiones

factiones mœsti trucidarunt.

De Q. Catulo.

Q. Catulus Marco Lepido collega suo cum omnibus copijs seditiosis extincto, moderatum præ se ferens gaudium, in urbem reuertitur. C. etiam Antonius Catilinæ uictor, abstersos gladios in castra retulit.

De Cinna.

L. Cinna, & C. Marius hauserant quidem auidi ciuilem sanguinem: sed non protinus ad templa Deorum, & aras tetenderunt. Iam L. Sylla, qui plurima bella ciuilia confecit, cuius crudelissimi, & insolentissimi successus fuerunt, cum consummata, ac constructa potentia sua triumphum duceret, ut Græciæ, & Asiæ multas urbes, ita ciuium Rom. nullum oppidum uexit. Piget, tædetq; per uulnera Reipub. ulterius procedere: lauream nec Senatus cuiquam dedit, nec quisquam sibi dari desiderauit, ciuitatis parte lacrymante. Cæterùm ad quercum pronæ manus porriguntur, ubi ob ciues seruatos corona danda est, qua postes Augustæ domus sempiterna gloria triumphant.

DE CENSORIA NOTA. CAP. IIII.

CAstrensis disciplinæ tenacissimum uinculum, & militaris rationis diligens obseruatio, admonet me, ut ad Censurã pacis magistrã, custodemq;, transgrediar. Nam ut opes

Pop.

Pop. Rom. in tantum amplitudinis imperatorij uirtutibus excesserunt, ita probitas, & continentia censorio supercilio examinata est. Opus effectu par bellicis laudibus. Quid enim prodest foris esse strenuum, si domi male uinitur? Expugnẽtur licet urbes, corripiãtur gẽtes, regnis manus injiciantur, nisi foro & curiæ officium, ac uerecundia sua constiterit, partarum rerum cœlo cumulus æquatus, sedem stabilem non habebit. Ad rem igitur pertinet nosse, atque adeò recordari acta censoriæ potestatis.

De Camillo, & Posthumio.

Camillus, & Posthumius censores, æra pœnæ nomine eos qui ad senectutem cœlibes peruenerant, in ærarium deferre iusserunt: iterum puniri dignos, si quo modo de tam iusta constitutione queri sunt ausi. Cùm in hunc modũ inveparentur: Natura uobis quẽadmodum nascendi, ita gignendi legem scribit, parentesq; uos alendo nepotum nutriendorum debito (si quis est pudor) alligauerunt. Accedit etiã ijs, quòd in Fortuna longã præstandi huiusce muneris uacationem estis assecuti, cùm interim consumpti sunt anni uestri, & mariti, & patris nomine uacui. Ite igitur, & nodosam exoluite stipem, utilem posteritati numerosæ.

De M. Valerio Max. & C. Iunio.

Horum seueritatem M. Valerius Max. & C. Iunius Brutus Bubulcus censores in consim

consimili genere animaduersionis imitati, L. Antoniũ senatu mouerunt: quòd quam uirginem in matrimoniũ duxerat, repudiasset, nullo amicorum in consilium adhibito. At hoc crimen nescio an superiore maius: illo nanq; coniugalia sacra spreta tantùm, hoc etiam iniuriosè tractata sunt. Optimo ergo iudicio censores indignum eum aditu curiæ existimauerunt.

De Porcio Catone.

Sicut Porcius Cato L. Flaminium, quem è numero Senatorum sustulit, quia in prouincia quendam damnatum securi percusserat: tempore supplicij ad arbitrium, & spectaculum mulierculæ, cuius amore tenebatur, electo. Et poterat inhiberi respectu consulatus, quem is gesserat, atq; autoritate fratris eius Titi Flaminij. Sed & censor, & Cato duplex seueritatis exemplum, eo magis illum notandum statuit, quòd amplissimi honoris maiestatem, tam tetro facinore inquinauerat: nec indignum pensi duxerat, ijsdem imaginibus adscribi, meretricis oculos humano sanguine delectatos, & Regis Philippi supplices manus.

De Fabricio Lucino.

Quid de Fabricij Lucini censura loquar? narrauit enim omnis ætas, & deinceps narrabit, ab eo Cor. Rufinum duobus consulatibus, & dictatura speciosissimè functũ, quòd decem pondo uasa argentea comparasset, perinde ac

malo

malo exemplo luxuriosum, in ordine senatorio retentum non esse. Ipsæ mediusfidius mihi litteræ seculi nostri obstupescere uidentur, cùm ad tantam seueritatem referendam ministerium accommodare coguntur, ac uereri, ne non nostræ urbis acta commemorare existimentur. Vix enim credibile est intra idem pomerium decem pondo argenti, & inuidiosum fuisse censum, & inopiam haberi contemptissimum.

De M. Antonio, & L. Flacco.

Marcus autē Antonius, & L. Flaccus cēsores Duronium Senatu mouerūt, quòd legem de coërcendis conuiuiorum sumptibus latam Trib. Pleb. abrogauerat, murifica nota causa. Quàm enim impudenter Duronius Rostra cōscendit, illa dicturus: Frani sunt iniecti nobis Quirites nullo modo perpetiendi: alligati, & constricti estis amaro uinculo seruitutis: lex enim lata est, quæ nos esse frugi iubet: abrogemus igitur istud horridæ uetustatis rubigine obsitum imperium. Etenim quid opus est libertate, si uolentibus luxu perire, non licet?

De Cl. Nerone, & L. Salinatore.

Age, par proferamus æquali iugo uirtutis, honorumq; societate iunctum, insinctu autem æmulationis animo dissidēs. Cl. Nero, Liuiusq; Salinator secundi Punici belli temporibus firmissima Reip. latera, quàm districtam simul egerunt censuram? Nam cùm equitum centurias

rias recognoscerent, & ipsi propter robur ætatis etiamnum eorum è numero essent: ut est ad Poliam uentum tribum, præco lecto nomine Salinatoris, citandum nec'ne sibi esset, hæsitauit: quod ut intellexit Nero, et citari collegam, & arma, & equum uendere iussit, quia populi iudicio damnatus esset. Salinator quoque eadem animaduersione Neronem persecutus est, adiecta causa, quòd non syncera fide secum in gratiam redisset. Quibus uiris si quis cœlestium significasset futurum, ut eorum sanguis illustrium imaginum serie deductus, in ortum salutaris principis nostri confluereret, depositis inimiciijs, arctissimo se amicitiæ fœdere iunxissent, seruatam ab ipsis patriam communi stirpe seruādam relicturi. Salinator uerò quatuor, atq; triginta Tribus inter ærarios referre non dubitauit, quòd cùm se damnassent, posteà COS. & censorem fecissent: prætexuitq; causam, quia necesse esset eas alterutro facto, crimine temeritatis, uel periurij teneri. Vnam tantummodo tribum Metiam uacuam nota reliquit, quæ cum suffragijs suis, ut non damnatione, ita nec honore quidem dignum iudicauerat. Quàm putemus constātis, & prævalidi illum ingenij fuisse, qui neq; tristi iudiciorum exitu compelli, neq; honorum magnitudine adduci potuit, quo se blandiorem in administratione Reipublicæ gereret?

De M.

De M. Val. & L. Sempronio.

Equestris quoq; ordinis bona, magnaq; pars quadringenti iuuenes, censoriã notam patiente animo sustinuerunt, quos M. Val. & L. Semp. quia in Sicilia ad munitionum opus explicandũ ire iussi, facere id neglexerant, equis publicis spoliatos, in numerum ærariorum retulerũt.

De M. Attilio regulo, & L. Furio.

Turpis etiam metus pœnam cẽsores summa cum seueritate exegerunt. M. enim Attilius Regulus, & L. Furius Philippus M. Metellũ Quæstorem, complures q; equites Romanos, qui post infeliciter cõmissam Cannensem pugnam cum eo abituros se Italia iurauerant, direptis equis publicis, inter ærarios referendos curauerunt, eosq; graui nota affecerunt: qui cùm in potestatẽ Annibalis uenissent, legati ab eo missi ad senatum de permutandis captiuis, neq; impetrassent, quod petebant, in urbe manserunt: quia & Romano sanguini fidem præstare cõueniens erat, & M. Attilius Regulus censor perfidiã notabat, cuius pater per summos cruciatus expirare, quàm fallere Carthaginienses satius esse duxerat. Iam hæc censura ex foro in castra transcendit, quæ neq; timeri, neq; decipi uoluit hostem. Sequuntur duo eiusdem generis exempla, eaq; adiecisse satis erit. Geta, cum à Lucio Metello, & Cn. Domitio Censoribus senatu motus esset, postea Censor factus.

De M.

De M. Valerio.

Item M. Valerius Messala censoria notæ perstrictus, censoria postmodum potestate imperauit: quorum ignominia uirtutem acuit: rubore enim eius excitati, omnibus uiribus incubuerunt, ut digni ciuibus uiderentur, quibus dari potius, quàm abiici censura deberet.

DE MAIESTATE.

Est & illa quasi priuata cẽsura, maiestas clarorum uirorũ sine tribunalium fastigio, sine apparitorum ministerio, potẽs in amplitudine sua obtinenda. Grato enim, & iucundo introitu animis hominum illabitur admirationis prætexta uelata: quam rectè quis dixerit longum & beatum honorem esse sine honore. Nã quid plus honoris tribui potuit C O S. quàm est datũ reo Metello? qui cùm causam repetundarum diceret, tabulæq; eius ab accusatore expostulatæ, & ad nomen inspiciendum circa iudicium ferrentur, totum consilium ab earũ contemplatione oculos auertit: ne de aliqua re, quæ in his relata erat, uideretur dubitasse. Non in tabulis, sed in uita Q. Metelli argumẽta syncerè administratæ prouinciæ legenda sibi iudices crediderunt: indignũ rati integritatem tanti uiri, exigua cera, & paucis literis perpendi.

De rege Antiocho, & superiore Africano.

Sed quid mirum, si debitus honos à ciuibus

Metello tributus est, quem superiori Africano etiam hostis præstare non dubitauit? Siquidem rex Antiochus bello, quod cum Romanis gerebat, filium eius à militibus suis interceptum, honoratissimè excepit, regijsq; muneribus donatum, ultro, & celeriter patri remisit: quanquàm ab eo tum maximè finibus Imperij pellebatur. Sed & rex lacessitus, maiestatem excellentissimi uiri uenerari, quàm dolorem suum ulcisci maluit.

De Africano Scipione.

Ad Africanum eundem, in Linternina uilla se continentem, complures prædonum duces uidendum eodem tempore fortè confluxerant: quos cùm ad uim faciendam uenire existimasset, præsidium domesticorum in tecto collocauit, eratq; in his repellendis & animo & apparatu occupatus. Quod ut prædones animaduerterũt, dimissis militibus, abiectisq; armis ianuæ appropinquant, & clara uoce nuntiant Scipioni, Non uitæ eius hostes, sed uirtutis admiratores uenisse: conspectum, & cõgressum tanti uiri, quasi cœleste aliquod beneficiũ expetentes: proinde securum se nobis spectandum præbere ne grauetur. Hæc postquam domestici Scipioni retulerunt: fores reserari, cosq; intromitti iussit: qui postes ianuæ tãquam aliquam religiosissimam aram, sanctumq; templum uenerati, cupidè Scipionis dexteram

appre

apprehenderunt, ac diu osculati, positis ante uestibulum donis, quæ deorum immortalium numini consecrari solent, læti, quia Scipionem uidisse contigisset, ad lares proprios reuerterunt. Quid hoc fructu maiestatis excelsius? Quid etiam iucundius? Hostis iram admiratione sui placauit: spectaculo præsentiæ suæ latronum gestientes oculos obstupefecit. Delapsa cœlo sydera hominibus si se offerant, uenerationis amplius non recipient.

De Paulo Aemilio.

Hoc quidem uiuo Scipioni, illud autẽ Aemilio Paulo exanimi contigit. Nam cùm exequiæ eius celebrarentur, ac fortè tunc principes Macedoniæ, legationis nomine Romæ morarentur, funebri lecto sponte sua sese subiecerunt. Quod aliquantò maius uidebitur, si quis cognoscat lecti illius frontem Macedonicis triumphis fuisse adornatam. Quantum enim Paulo tribuerunt, propter quem gentis suæ clarum indicia, per ora uulgi ferre non exhoruerunt? quod spectaculum, funeri speciem alterius triumphi adiecit. Bis enim te Paule Macedonia urbi nostræ illustrem ostendit: incolumem, spolijs suis fato functum humeris.

De Aemiliano Scipione.

Nec filij quidem tui Scipionis Aemiliani, quẽ in adoptionem dando, duarum similiarum ornamentum esse uoluisti, maiestati parum

honoris tributum est: cùm eum adolescentẽ admodum à Lucullo COS. petendi auxilij gratia ex Hispania in Africam missum, Carthaginienses, & Masinissa Rex de pace disceptatorem uelut COS. & Imperatorem habuerũt. Ignara quidem fatorum suorum Carthago. Orientis enim illud iuuentæ decus, deorum, atque hominum indulgentia, ad excidium eius alebatur: ut superius cognomen Africanum capta, posterius euersa Corneliæ genti daret.

De P. Rutilio.

Quid damnatione, quid exilio miserius? Atqui P. Rutilio conspiratione publicanorum perculso, autoritatem adimere non ualuerunt. Cui Asiam petenti omnes prouinciæ illius ciuitates legatos eius secessum opperientes obuiam miserunt. Exulare aliquis hoc loco, an triumphare iustius dixerit?

De Mario.

Caius etiam Marius in profundum ultimarum miseriarũ abiectus, ex ipso uitæ discrimine, beneficio maiestatis emersit. missus enim ad eũ occidendũ in priuata domo Minturnis clausum seruus publicus, natione Cimber, & senẽ, & inermem, & squalore obsitum, stricturũ gladium tenẽs, aggredi non sustinuit: sed claritate uiri occæcatus, abiecto ferro attonitus inde, ac tremens fugit. Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis perstrinxit, deiectæq; suæ gentis in

tis interitus, animum cõminuit: etiã Dijs immortalibus indignũ ratis, ab uno nationis eius interfici Mariũ, quam totam deleuerat. Minturnenses autẽ maiestate illius capti, compressum iam, & constrictum dira fati necessitate, incolumẽ præstiterunt: nec fuit eis timori asperrima Syllæ uictoria, cùm præsertim ipse Marius eos à cõseruando Mario absterrere posset.

De M Porcio Catone.

Marcũ quoq; Porciũ Catonẽ admiratio fortis, ac synceræ uitæ, adeò admirabilẽ Senatui fecit, ut cùm inuito C. Cæsare COS. aduersus publicanos dicendo in curia dicẽ extraheret, & ob id eius iussu à lictore in carcerem duceretur, uniuersus Senatus illum sequi non dubitaret: quæ res diuini animi perseuerantiam flexit.

De eodem.

Eodem ludos Florales, quos Messius ædilis faciebat, spectãte: populus, ut mimæ nudarentur, postulare erubuit: quod cùm ex Fauonio amicissimo sibi unà sedente cognouisset, discessit è theatro, ne præsentia sua spectaculi cõsuetudinem impediret: quem abeuntẽ in gẽti plausu populus prosecutus, priscum morem iocorum in scenam reuocauit, confessus se plus maiestatis illi uni tribuere, quam uniuerso sibi uindicare. Quibus opibus, quibus imperijs, quibus triumphis hoc datum est? exiguum uiri patrimonium: astricti continentia mores, modicæ

clientelæ, domus ambitioni clausa, paterni generis una imago, minimè blãda frõs. sed omnibus numeris perfecta uirtus, quæ quidem effecit, ut si quis sanctum & egregium ciuem significare uelit, sub nomine Catonis definiat.

EXTERNA.

De Harmodio, & Aristogitone.

Dandũ est aliquid loci etiam alienigenis exemplis: ut domesticis asperſa, uarietate ipsa delectent. Harmodij, & Aristogitonis, qui Athenas tyrannide liberare conati sunt, effigies æneas Xerxes rex ea urbe deuicta in regnum suum transtulit: longo deinde interiecto tempore, Seleucus in pristinam sedem reportandas curauit. Rhodij quoq; eas urbi suæ appulsas, cùm in hospitium publicè inuitasſent, sacris etiam puluinaribus collocauerunt. Nihil hac memoria felicius, quæ tantùm uenerationis, in tam paruulo ære possedit.

De Xenocrate.

Quantum porrò honoris Athenis Xenocratì sapientia pariter, ac sanctitate clarò, tribuendum est? cùm testimonium dicere coactus ad aram accessisset, ut more eius ciuitatis iuraret, omnia se uerè retulisse: uniuersi iudices consurrexerunt, proclamarunt q;, ne iusiurandum diceret: quod q; sibimetipsis postmodum dicenda sententiæ loco remissuri non erant, syncerita ti eius concedendum existimarunt.

VAL.

VALERII MAXIMI LIBER TERTIVS.

DE INDOLE. CAP. I.

ATTINGAM nunc quasi cunabula quædam, & elementa uirtutis: animi q; procedente tempore ad summũ gloriæ cumulum peruenturi, certo cum indolis experimento, dictos gestus referam.

De Aemilio Lepido.

Aemilius Lepidus puer etiam tum progressus in aciem, hostem interemit, ciuem seruauit: cuius tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata, & incincta prætexta Senatusconsulto posita. Iniquum enim putauit eum honori nondum tempestiuum uideri, qui iam uirtuti maturus fuisset. Præcurrit igitur Lepidus ætatis stabilimentum fortiter faciendi celeritate: duplicemq; laudem è prælio retulit, cuius eum uix spectatorem anni esse patiebantur. Arma enim infesta, & districti gladij, & discursus telorum, & aduentantis equitatus fragor, & concurrentium exercituum impetus, iuuenibus quoque aliquantum terroris incutit. Inter quæ Aemiliæ gẽtis puericia, coronam mereri, spolia rapere ualuit.

De M. Catone.

Hic spiritus ne Marci quidem Catonis pueritiæ defuit. Nam cùm in domo M. Drusi auunculi sui educaretur, & ad eum Tribunũ tunc P. Latini de ciuitate impetranda conuenissent, à Qu. Popedio Latinorũ principe, Drusi autem hospite rogatus, ut socios apud Auunculum adiuuaret: constanti uultu non facturum se respondit. Iterum deinde, ac sæpius interpellatus, in proposito perstitit. Tunc Popedius in excelsam ædium partem eleuatum, abiecturũ se eum inde, nisi precibus obtemperaret, minatus est: nec hac re ab incœpto moueri potuit. Expressa est itaque illa uox hominum, Gratulemur nobis Latini, & socij, hunc esse tam paruum, quo senatore ne sperare quidem nobis ciuitatem licuisset. Tenero ergo animo Cato totius curiæ grauitatem percepit, perseuerantiaq; sua Latinos iura nostræ ciuitatis apprehendere cupientes, repulit.

De eodem Catone.

Idem cùm salutandi gratia prætextatus ad Syllã uenisset, & capita proscriptorũ in atriũ allata uidisset: atrocitate rei commotus, pædagogum suum Sarpedonem nomine interrogauit, quapropter nemo inueniretur, qui tam crudelem tyrannum occideret: cumq; is, nõ uoluntatem hominibus, sed facultatem deesse, quòd salus eius magno militum præsidio custodiretur,

respondisset: ut ferrũ sibi daret, obsecrauit, affirmando persacile se eum interfecturũ, quòd in lecto illius consedere soleret. Pædagogus & animũ Catonis agnouit, & exhorruit propositum, cumq; postea ad Syllam excussum semper adduxit. Nihil hoc admirabilius. Puer in officina crudelitatis deprehensus, uictorem nõ extimuit, tum maximè COSS. Municipia, Legiones, Equestris ordinis maiorem partem trucidantem: ipsum Mariũ si quis eo loci statuisset, celerius aliquid de fuga sua, quam de Syllæ nece cogitasset.

De Caio Cassio.

Cuius filium Faustum. C. Cassius condiscipulum suum in schola proscriptionem paternam laudãtem, ipsumq; cùm per ætatem potuisset, idem facturum minitantem, colapho percussit. Dignam manum, quæ se publico parricidio non contaminaret.

EXTERNA.

Et ut à Græcis aliquid, Alcibiades ille, cuius nescio utrũ bona, an uitia patriæ perniciosiora fuerint: illis enim ciues suos decepit, his afflixit: cùm adhuc puer ad Periclem auunculum suum uenisset, eumq; secretò tristem sedentem uidisset, interrogauit, quid ita tantam in uultu confusionem gereret: at illo dicente, mandato se ciuitatis Propylæa Minervæ, quæ sunt ianuæ arcis, ædificasse, consumptaq; in id

opus ingenti pecunia, non inuenire quo pacto ministerij rationē redderet, atq; ideo cōsiliari. Ergo, inquit, quære potius quemadmodum rationē nō reddas. Itaq; uir amplissimus, & prudentissimus, suo consilio defectus, puerili usus est, atq; id egit, ut Atheniēses finitimo implicati bello rationibus exigendis nō uacarēt. Sed uiderint Athenæ utrū Alcibiadem lamententur, an glorientur: quoniā adhuc inter exerationem hominis, & admirationem, dubio mentis iudicio fluctuatur. Nos quia iam initia, procursusq; uirtutis patefecimus, actū ipsum prosequemur, cuius ponderosissima uis, & efficacissimi lacerti, in fortitudine consistunt.

DE FORTITVDINE.

CAP. II.

De Horatio Coclite.

NEc præterit me, conditor urbis nostræ Romule, principatū tibi hoc in genere laudis assignari oportere. Sed patere obsecro uno te præcurri exemplo, cui & ipse aliquantum honoris debes: quia beneficio illius effectū est, ne tam præclarum opus tuum Roma dilaberetur. Hetruscis in Vrbem, ponte Sublicio irrumpentibus, Horatius Cocles extremam eius partem occupauit: totumq; hostium agmen donec post tergum suum pons abrumperetur, infatigabili pugna sustinuit: atq; ut patriam periculo imminenti liberatam uidit, armatus se in

se in Tyberim misit: cuius fortitudinē Dij immortales admirati, incolumitatem syncerā ei præstiterunt. Nam neque altitudine deiectus, quassatus'ue, neque pondere armorum pressus, nec ullo uorticis circuitu actus, nec telis quidem, quæ undiq; congerebantur, læsus, tutum natandi euentum habuit. Vnus itaq; tot ciuiū, tot hostium in se oculos conuertit, stupentes illos admiratione, hos inter lætitiam, metumq; hæsitantes: unusq; duos acerrima pugna consertos exercitus, alterum repellendo, alterum propugnando, distraxit. Deniq; unus urbi nostræ tantum scuto suo, quantum Tyberis alueo, munimenti attulit: quapropter discedentes Hetrusci dicere potuerunt: Romanos uicimus, ab Horatio uicti sumus.

De Chlœlia uirgine.

Immemorem me propositi mei Chlœlia penè facit: eadem enim tempestate, certè aduersus eundem hostem, & in eodem Tyberi inclytum ausa facimus. Inter cæteras enim uirgines obsses Porsenæ data hosti, nocturno tempore custodiam egressa, equum conscendit, celeriq; traiectu fluminis, non solum obsidione, sed etiā metu, patriam soluit. Viris puella lumine uirtutis præferenda.

De Romulo.

Redeo nunc ad Romulum, qui ab Acrone Ceninensium rege ad dimicādum prouocatus, quanq

quanquam & numero, & fortitudine militũ, superiorem se crederet, tutiusq; erat toto cum exercitu, quàm solum in aciem descendere, sua potissimũ dextra omen victoriæ rapuit: nec incœpto ci⁹ Fortuna defuit. Occiso enim Acrone fusisq; hostibus, opima de eo spolia Ioui Feretrio retulit. Hactenus istud: quia publica religione consecrata uirtus, nulla priuata laudatione indiget.

De Cornelio Cosso.

A Romulo proximus Cornelius Cossus, eidem deo spolia consecrauit, cùm Magistr equitum ducem Fidenatiũ in aciem congressus interemisset. Magnus initio huiusce generis inchoatæ gloriæ Romulus: Cosso quoq; multum acquisitum est, qui imitari Romulum ualuit.

De M. Marcello.

Nec Marci quidem Marcelli memoriã ab his exemplis separare debemus, in quo tantus animi uigor fuit, ut apud Padum Gallorũ regem, ingenti exercitu stipatum, cum paucis equitibus inuaderet: quem protinus obtruncatum, armis exuit, eaq; Ioui Feretrio dicauit.

De T. Manlio Torquato, & Scipione Aemiliano.

Eodẽ & uirtutis, & pugnæ genere usi sunt T. Manlius Torquatus, & Valerius Corui-nus, & Aemilianus Scipio. Hi etiam ultro prouocatos hostiũ duces interemerunt: sed quia sub

sub alienis auspicijs rem gesserant, spolia Ioui Feretrio nõ posuerunt consecranda. Item Scipio Aemilianus, cùm in Hispania sub Lucullo duce militaret, atq; Intercacia præualidum oppidum circunsederetur, primis mœnia eius conscẽdit: neq; erat in eo exercitu quisquã aut nobilitate, aut animi indole, aut futuris actis, cuius magis saluti consuli, & parci deberet: sed tunc clarissimus quisq; iuuenum, pro amplificãda, & tuenda patria, plurimũ laboris, ac periculi sustinebat, deforme sibi existimans, quos dignitate præstaret, ab ijs uirtute superari. Ideoq; Aemilian⁹ hãc militiã alijs propter difficultatẽ uitantibus, sibi depoposcit.

De C. Attilio.

Magnum inter hæc fortitudinis exemplum antiquitas offert. Romani Gallorum exercitu pulsi, cùm se in Capitolium, & in arcem conferrent, inq; his collibus morari omnes nõ possent, necessariũ consilium in plana parte urbis relinquendorum seniorum ceperũt, quo facilius iuuentus reliquias imperij tueretur. Cæterùm ne illo quidem tam misero, tamq; luctuoso tẽpore, ciuitas nostra uirtutis suæ oblita est: defunctis enim honoribus, apertis ianuis, in curulibus sellis, cum insignibus magistratuũ, quos gesserant, sacerdotiorumq; quæ erant adepti, consederunt: ut & ipsi in occasu suo, splendorẽ, & ornamẽta uitæ præteritæ retinerẽt, & plebem

bem ad fortius sustinendos casus suos prouocarent. Venerabilis eorũ aspectus primo hostibus fuit, & nouitate rei, & magnificentia cultus, & ipso audaciæ genere cõmotis. Sed quis dubitaret, quin & Galli, & uictores illã admirationem mox in risum, & in omne cõtumeliæ genus conuersuri essent? Non expectauit igitur hanc iniuriæ maturitatem C. Attilius, uerum barbã suam permulcẽti Gallo Scipionẽ uehementi ictu capiti inflixit, eiq; propter dolorem ad se occidendũ ruenti corpus cupidius obtulit.

Capi ergo uirtus nescit, patientia dedecus ignorat. Fortunæ succũbere, trisstius omni fato ducit, noua & speciosa genera interitus excogitat, si quisquã interit, qui sic extinguitur.

De C. Sempronio.

Reddendus est nunc Romanæ iuuentuti delitus gloriæ titulus. Q. Catulo Sempronio Atracinio COS. cum Volscis apud Verruginem parum prospere dimicante, ne acies nostra iam inclinata propelleretur, equis delapsa, seipsam centuriauit, atque hostium exercitum irrupit: quo dimoto, proximum tumulum occupauit, effecitq; , ut omnis Volscorum in se conuersus impetus, legionibus nostris ad confirmandos animos salutare laxamẽtum daret. Itaq; cùm iam de trophæis statuendis cogitarent, prælium nocte dirimente uictores ne, an uicti discederent, incerti abierunt.

De

De Fabio Maximo.

Strenuus ille quoque flos ordinis equestris, cuius mira uirtute Fabius Max. Rutilianus magister equitũ bello, quod aduersus Samnites gerebatur, malè commissi prælij crimine leuatus est. Nanq; Papyrio Cursore propter auspicia repetenda in urbem proficiscente, castris præpositus, ac uetitus in aciem exercitum ducere, nihilominus manus cum hoste, sed non tam felicier, quàm temere cõseruit. procul enim dubio superabatur. Cæterùm optimæ indolis iuuentus, detractis equorum frænis, uehementer eos calcaribus stimulatos, in aduersos Samnites egit, obstinataq; animi præstantia extortam manibus hostium uictoriam, & cum ea spem maximi ciuis Rutiliani patriæ restituit. Qualis deinde roboris illi milites? qui uehementi ictu remorum cõcitatam fugæ Punicam classem, nantes lubrici pelagi quasi cãporum firmitate pedites in littus retraxerunt? Eiusdem temporis, & notæ miles, qui Cannẽsi prælio, quo Annibal magis uires Romanorum contudit, quàm animos fregit, cùm ad retinenda arma inutiles uulneribus manus haberet, spoliare se conantis Numidæ ceruicem cõplexus, os, naribus, & auribus corrosis, deforme reddidit: inq; plenæ ultionis morsibus expirauit. Sepone imquũ pugnæ euentũ, quãtum interfectore fortior interfectus? Pœnus

enim

enim in victoria obnoxius, morieti solatio fuit: Romanus in ipso fine uitæ uindex sui extitit.

De P. Crasso.

Militis huius in aduerso casu tam egregius, tãq; uirilis animus, quàm relaturus sum imperatoris. P. enim Crassus cũ Aristonico bellum in Asia gerens, à Thracibus, quorum is magnum numerum in præsidio habebat, inter Eleam, & Smyrnam exceptus: ne in ditionem eius peruenire, dedecus, accersita ratione mortis, effugit. Virgã enim, qua ad regendũ equũ usus fuerat, in unius barbari oculũ direxit, qui ui doloris accensus, latus Crassi sica confodit: dumq; se ulciscitur, Romanũ imperatorẽ maiestatis amissæ turpitudine liberauit. Ostendit Fortunæ Crassus quam indignũ uirũ tam graui cõtumelia afficere uoluisset, quoniã quidem iniectos ab ea libertati suæ miserabiles laqueos prudenter pariter, ac fortiter rupit, donatumq; iam se Aristonico, dignitati suæ reddidit.

De Scipione.

Eodẽ mentis proposito usus est Scipio. Nãq; infeliciter Cn. Pompeÿ generis sui defensis in Africa partibus, classe Hispaniã petens, cùm animaduertisset nauem, qua uehebatur, ab hostibus captam, gladio præcordia sua transuerberauit: ac deinde prostratus, in puppi, quæ rẽtibus Cæsarianis militibus, ubinam esset imperator: Respondit, Imperator bene se habet: tant

tantum'que eloqui ualuit, quãtum ad testandã animi magnitudinem, æternæ laudi satis erat.

De Catone.

Tui quoque clarissimi excessus Cato Vticæ monimentum est, in quæ ex fortissimis uulneribus tuis, plus gloriæ quàm sanguinis manauit. Siquidem constantissimè in gladium incumbendo, magnum hominibus documentum dedisti, quantò potior esse debeat probis dignitas sine uita, quàm uita sine dignitate.

De Porcia Catonis filia, & Bruti uxore.

Cuius filia minimè muliebris animi: quæ cùm Bruti uiri sui consiliũ, quod de interficiẽdo Cæsare ceperat, ea nocte, qua dies teterrimi facti secutus est, cognouisset, egresso cubiculum Bruto, cultellũ tonsorium, quasi unguiũ resecandorũ causa poposcit, eoq; uelut fortè elapso, se uulnerauit: clamore deinde ancillarũ in cubiculum reuocatus Brutus, obiurgare eam cœpit, quòd tonsoris præripuisset officiũ. Cui secretò Porcia, Non est hoc, inquit, temerarium factum meum, sed in tali statu nostro, amoris mei erga te certissimũ indiciũ. Experiri enim uolui, si tibi proposituũ ex sentẽtia parũcessisset, quàm æquo animo me ferro essem interẽpturа.

De Catone.

Felicior progenie sua superior Cato, à quo Porciæ familiæ principia manarunt. qui cùm

ab hoste in acie uehementi periculo peteretur, uagina gladius eius elapsus decidit: quē subiectum præliantium globo, atq; undiq; hostilibus pedibus circundatum, postquàm abesse sibi animaduertit, adeò constanti animo in suā potestatem redegit, ut illum non periculo oppressus rapere, sed metu uacuus sumere uideretur: quo spectaculo attoniti hostes, postero die ad eum supplices pacem petentes uenerunt.

De P. Scipione Nasica.

Togæ quoq; fortitudo, militaribus operibus inserenda est, quia eandē laudem foro, atq; castris edita meretur. Cum Trib. Gracchus in tribunatu profusis largitiōibus faueor populi occupato Remp. oppressam teneret, palamq; diceret, interempto senatu, omnia per plebem agi debere, in ædem Fidei publicæ conuocati Patres C. à COS. Mutio Scæuola, quidnam in tali tempestate faciundum esset, deliberabant, cunctisq; censentibus, ut COS. armis Respublica tueretur, Scæuola negauit se quidquā ui esse acturum. Tunc Scipio Nasica, quoniā, inquit, COS. dum iuris ordinē sequitur, id agit, ut cum omnibus legibus Romanum imperiū corruat, egomet priuatus, uolūtati uestræ me offero ducem: ac deinde læuam manum apertè togæ circundedit, sublataq; dextera proclamauit: Qui Remp. saluam esse uolunt, me sequantur: eaq; uoce cunctatione bonorū ciuium discussa,

Gracch

Gracchum cum scelerata factione, quas merebatur pœnas persoluere coëgit.

De C. Mario sene.

Item cum Trib. pleb. Saturninus, & Prætor Glaucia, & Equitius designatus Trib. pl. maximos in ciuitate nostra seditionum motus excitassent, nec quisquam se populo concitato opponeret: primum M. Æmilius Scaurus, C. Marium consulatum sextum gerentem hortatus est, ut libertatem, legesq; manu defenderet: protinusq; arma sibi afferri iussit, quibus alliatis, ultima senectute confectum, & penè dilapsum corpus induit, spiculoq; innixus ante fores curiæ constitit, ac paruulis extremi spiritus reliquijs ne Respub. expiraret, effecit: præstantia enim animi sui, senatum, & equestrem ordinem ad uindictam exigendam impulit.

De diuo Iulio.

Sed ut armorum, & togæ superius, ita nunc etiam syderum clarum decus Diuum Iulium, certissimā ueræ uirtutis effigiē repræsentemus. Cùm innumerabili multitudine, & feroci impetu Neruiorū, inclinari aciem suā uideret, timidius pugnanti militi scutum detraxit, eoq; tectus, acerrimè præliari cœpit: quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentēq; belli fortunā diuino animi ardore restituit.

Idem alio prælio legionis Martiæ aquiliferum incundæ fugæ gratia iam conuersum fu-

cibus comprehensum, in contrariã partem detraxit, dextramq; ad hostem tendens, Quorsum tu, inquit, abis? illic sunt, cum quibus dimicamus: et manibus quidẽ unum militẽ, adhortatione uerò tã acri omniũ legionũ trepidationẽ correxit, uinciq; paratas, uincere docuit.

De Vibio, & Val. Flacco, & Pedanio Centurione.

Cæterùm ut humanæ uirtutis actũ exequamur: cùm Annibal Capuã, in qua Romanus exercitus erat, obsideret: Vibius Aceus Peligna cohortis præfectus, uexillũ trans Punicum uallum proiecit: seipsum, suosq; cõmilitones, si eo hostes potiti essent, execratus: & ad id petendum subsequente cohorte primus impetũ fecit: quod ut Valerius Flaccus tribunus tertiæ legionis aspexit, conuersus ad suos, Spectatores, inquit, ut uideo, alienæ uirtutis huc uenimus: sed absit istud dedecus à sanguine nostro, ut Romani gloria cedere Latinis uelint. Ego certè aut speciosam optaui mortẽ, aut felicem audaciæ exitum, uel solus præcurrere paratus sum. His auditis, Pedanius Centurio cõuulsum signum dextra retinens: Iam hoc, inquit, intra hostile uallum mecum erit, proinde sequantur, qui id capi nolunt: & cum eo in castra Pœnorum irruptt, totamq; secum traxit legionẽ. Ita trium uirorum fortis temeritas, Annibalem paulò antè spe sua Capuæ potitorem, ne castro

rum quidem suum potientem esse passa est.

De Q. Cotio.

Quorum uirtuti nihil cedit Qu. Cotius: qui propter fortitudinẽ Achilles cognominatus est. Nam ut reliqua eius opera non exequar, abũde tamẽ duobus factis, quæ relaturus sum, quantus bellator fuerit cognoscetur. Qu. Metello COS. legatus in Hispaniam profectus, Celtibericũ sub eo bellũ gerens, postquã cognouit à quodam gentis huius iuuene, se ad dimicãdum prouocari: erat autẽ illi fortè prandẽdi gratia posita mensa: relictã ea, arma sua extra uallũ deferri, equumq; duci clàm iussit, ne à Metello impediretur. Et illum Celtiberũ insolentissimè obequitantẽ cõfectatus interemit, detractasq; corpori eius exuuias, ouans lætitiæ in castra retulit. Idem Piresim nobilitate, ac uirtute omnes Celtiberos præstantẽ, cùm ab eo in certamen pugnæ prouocatus esset, succũbere sibi coëgit: nec erubuit flagrantissimi pectoris iuuenis, gladiũ ei suum, & sagulũ utroq; exercitu spectante tradere. Ille uerò etiam petijt, ut hospitij iure inter se iuncti essent, quando inter Romanos, & Celtiberos pax foret restituta.

De Attilio.

Nec Attilium quidẽ præterire possumus: qui cùm decimæ legionis miles pro C. Cæsaris partibus mariiima pugna præliaretur: abscissa dextera, quam Massiliensium naui iniecerat,

laua puppim apprehendit: nec antè dimicare destitit, quàm captam profundo mergeret: quod factum parum iusta notitia patet.

De Cynegiro.

At Cynegirum Athenienſem ſimili pertinacia in conſectandis hoſtibus uſum, uerboſa cantu laudum ſuarum Græcia, omnium ſeculorum memoriæ literarum præconio inculcat.

De M. Scæua, & Scæuola.

Claſſicam Attilij gloriam, terreſtri laude M. Scæua eiuſdem Imperatoris Centurio ſubſecutus eſt: cùm enim pro caſtello, cui præpoſitus erat, dimicaret, Cneiq; Pompeij præfectus, iuſſu eius ſummo ſtudio, & magno militũ numero ad id capiendum mitteretur: omnes, qui propius acceſſerant, interemit, ac ſine ullo regreſſu pedes pugnans, ſuper ingentem ſtragẽ, quam ipſe fecerat, corruit, cuius corpus capite, humero, femore ſaucio, oculo eruto, ſcutum centum & uiginti ictibus perfoſſum apparuit. Tales in caſtris diui Iulij diſciplina milites aluit, quorum alter dextera, alter oculo amiſſo hoſtibus inhæſit: Ille poſt hanc iacturã uictor: Hic nec hac quidem iactura uictus.

Tum uerò Scæuola inexuperabilem ſpiritũ in utraq; parte rerum naturæ, qua admiratiõe proſequar, neſcio: quoniã excellenti uirtute, dubium reliquiſti, inter undas'ne pugnã fortiorẽ ediderit, an in terra uocẽ emiſeris. Bello namq;

Gallico

Gallico, quo C. Cæſar non contentus opera ſua littoribus Oceani claudere, Britannicæ inſulæ cœleſtes iniecit manus, cum quatuor cõmilitonibus rate tranſuectus, in ſcopulum uicinum inſulæ, quam hoſtium ingentes copiæ obtinebant, poſtquam æſtus regreſſu ſuo ſpatiũ, quo ſcopulus, & inſula diuidebãtur, in uadũ trãſitu facili redegit, ingenti multitudine Barbarorum affluente, cæteris rate ad littus regreſſis, ſolus immobilem ſtationis gradum retinens, undiq; ruentibus telis, & ab omni parte acri ſtudio ad te inuadendum nitentibus, quinque militum diuerſo prælio ſuffectura pila, una dextra, hoſtium corporibus adegiſti: ad ultimum diſtricto gladio, audaciſſimam quenque modò umbonis impulſu, modò mucronis ictu depellens, hinc Romanis, illinc Britãnicis oculis incredibili, dũ cernereris, ſpectaculo fuiſti: poſt quàm deinde ira, ac pudor cũcta conari feſſos coëgit, tragula femur traiectus, ſaxiq; põdere ora cõtuſus, galea iã ictibus diſcuſſa, & ſcuto crebris foraminib⁹ abſumpto, profundo te credidiſti, ac duabus loricis onuſtus, inter undas, quas hoſtili cruore infeceras, enataſti: uiſo'que Imperatore armis nõ amiſsis, ſed bene impenſis, cùm laudẽ mereveris, ueniã petiſti. Magnus prælio, ſed maior diſciplinæ militaris memoria: itaq; ab optimo uirtutis æſtimatore, tũ factã, tũ etiã uerba tua, Cẽturionat⁹ honore donata ſunt.

De L. Sicinio Dentato.

Sed quod ad præliatorum excellentem fortitudinem attinet, meritò L. Sicinij Dentati cõmemoratio omnia Romana exempla finierit: cuius opera, honoresq; operũ, ultra fidem ueri, excedere iudicari possent, nisi ea certi autores, inter quos Marcus Varro, monumẽtis suis testata esse uoluissent: quem centies & uigesies in aciem descendisse tradunt, eo robore animi, atque corporis utentem, ut maiorẽ semper uictoriæ partẽ traxisse uideretur, sex & XXX. spolia ex hoste retulisse, quorum in numero octo fuisse, cum quibus spectante utroq; exercitu ex prouocatione dimicasset, XIIII. ciues ex media morte raptos seruasse, quinq; & XL. uulnera in pectore excepisse, tergo cicatricibus nacuo, nouẽ triũphales Imperatorũ currus secutũ, totius ciuitatis oculos in se numerosa donorum pompa conuertentẽ. Præferebantur enim Aureæ coronæ octo: Ciuicæ XIIII. Murales tres: Obsidionalis una: Torques CLXXXIII. Armillæ CLX. Hastæ XVIII. Phaleræ XXV. ornamenta etiã legioni, nedũ militi satis multa.

De T. Iubelio Campano.

Ille quoque ex pluribus corporibus in unum magna cum admiratione Calibus cruor confusus est: in quo oppido cùm Fuluius Flaccus, propter Campanam perfidiã principes ciuitatis ante tribunal suũ capitali supplicio afficiendos

dos iudicaret, literisq; à Senatu acceptis, finẽ pœnæ eorum statuere cogeretur, ultrò se ei T. Iubelius Taurea Campanus obtulit: & quàm potuit clara uoce: Quoniam, inquit, Fului cupiditate tanta hauriẽdi sanguinis nostri teneris, quid cessas in me cruentã securim distringere? ut gloriari possis aliquantò uirũ fortiorem, quàm ipse es, tuo iussu esse interemptum. Eo deinde, libenter id se esse facturũ, nisi Senatus uolũtate impediretur, affirmante: At me, inquit, cui nihil Patres C. præceperunt, aspice: oculis tuis quidẽ gratum, animo uerò tuo maius opus edentem, protinusq; interfecta cõiuge, ac liberis, gladio incubuit. Quem uirum illum putemus fuisse, qui suorum, ac sua cæde te stari uoluit, se Fului crudelitatem fugillare, quàm Senatus misericordia uti maluisse?

EXTERNA. De Gobria.

Age Gobriæ quãtus ardor animi: qui cùm sordida, & crudeli Magorum tyrannide Persas liberaret, unumq; ex ijs obscuro loco abiectum corporis pondere urgeret, præclari operis socio plagam ei inferre dubitanti, ne dum Magum petit, ipsum uulneraret: Tu uerò, inquit, nihil est, quod respectu mei timidius gladio utaris: uel per utrunque illum agas licet, dum hic quàm celerrimè pereat.

De Leonida.

Hoc loci Leonidas Spartanus nobis occurrit:

eius proposito opere, exitu nihil fortius. Nam cùm CCC. ciuib⁹ apud Thermopylas toti Asiæ obiectus, grauè illum, & mari, & terræ Xerxem, nec hominibus tantum terribilẽ, sed Neptuno quoq; cõpedes, & cœlo tenebras minitantem, pertinacia uirtutis ad ultimã desperationem redegit. Cæterùm perfidia, & scelere incolarũ eius regionis, & loci opportunitate, qua plurimùm adiuuabatur, spoliatus, occidere dimicans, quàm assignatã sibi à patria stationem deserere maluit. Idcoq; tam alacri animo suos ad id prælium, quo perituri erãt, cohortatus est, ut diceret: Sic prandete commilitones mei, tanquã apud inferos cœnaturi. Mors erat denũtiata: Lacedæmonij perinde, ac uictoria esset promissa, ductori intrepidè paruerunt.

De Othryade.

Othryade quoque pugna pariter, ac morte speciosa Thyreatium laude, quàm spatio latius solum cernitur: qui sanguine suo scriptis literis, direptam hostibus uictoriam, tantum non post fata sua in sinum patriæ, cruento trophæi titulo retulit.

De Epaminunda.

Excellentissimos Spartanæ uirtutis proeuentus, miserabilis lapsus sequitur. Epaminundas maxima Thebarũ felicitas, idemq; Lacedæmonis prima clades, cùm uetustã eius urbis gloriam, inuictamq; ad id tẽpus publicã uirtutẽ apud

apud Leuctram, & Mantineã, secũdis prælijs contudisset, traiectus hasta, sanguine, & spiritu deficiens, recreare se conantes, primum an clypeus suus saluus esset, deinde an fusi hostes penitus forent, interrogauit. quæ postquam ex animi sentẽtia cõperit: Non finis, inquit, cõmilitones meæ uitæ, sed melius & altius initiũ aduenit. Nunc enim uester Epaminundas nascitur, quia sic moritur. Thebas ductu, & auspicijs meis caput Græciæ factas uideo: & fortis, & animosa ciuitas Spartana iacet, armis nostris obiecta: et amara dominatione Græciæ liberata est, orbus quoq;, non tamen sine liberis morior, quoniã mirificas filias Leuctrã, et Mãtineã relinquo. E corpore deinde suo hastã eduxit, eoq; uulnere expirauit. Quod si eũ Diij immortales uictorijs suis perfrui passi essent, so spes glorioſior patriæ mœnia non intrasset.

De Theramene, & Theogene.

Ac ne Theramenis quidẽ Athenienſis in publica custodia mori coacti, parua mẽtis constantia, in qua triginta tyrannorũ inssu porrectã ueneni potionẽ nõ dubitãter hausit. Quodq; ex ea superfuerat iocabũdus illisum humo clarum edere sonũ coegit. Reddẽsq; seruo publico, qui eã tradiderat, Critiæ, inquit, propino: uide igitur ut hoc poculũ ad eũ cõtinuo pferas: erat autẽ is ex XXX. tyrãnis crudeliſſimus. Profectò est supplicio se liberare, tam facilè supplicium

perpeti

perpeti. Itaque Theramenes perinde ac in domestico lectulo moriens, uita excessit. Inimicorum æstimatione punitus, suo iudicio finitus. Sed Theramenes à literis, ad doctrinam uirilitatem traxit. Numantino uerò Theogeni ad consimilem uirtutem capessendam, quasi magistra gentis suæ feracitas extitit. perditis nanque, & afflictis rebus Numantinorum, cùm omnes eius ciues nobilitate, pecunia, honoribusq; præstaret: uicum suum, qui in ea urbe speciosissimus erat, contractis undiq; nutrimentis ignis incendit, protinus strictum gladiũ in medio posuit, ac binos inter se dimicare iussit: ut uictus, incisa ceruice ardentibus tectis, superaceretur: qui cùm tam forti lege mortis omnes assumpsisset, ad ultimũ scipsũ flammis immisit.

De uxore Asdrubalis.

Verùm ut æquè pop. Ro. inimicæ urbis excidiũ referã: Carthagine capta, uxor Asdrubalis exprobrata ei impietate, quòd à Scipione soli sibi impetrare uitã contentus fuisset, dextrã, læuaq; tres communes filios moriẽ non recusantes, trahens, incẽdio se flagrãtis patriæ obiecit.

De duabus puellis Syracusanis.

Muliebris fortitudinis exemplo, æquè fortem duarum puellarum casum adijciam. Cùm pestifera seditione Syracusarum, toga regis Gelonis stirps, euidentissimis exhausta cladibus ad unicam filiam Harmoniam uirginem esset

redacta, & in eam certatim ab inimicis impetus fieret: nutrix eius, æqualem illi puellam, regio cultu ornatam, hostilibus gladijs obiecit: quæ ne cùm ferro quidem trucidaretur, cuius esset conditionis, edoceret: proclamauit admirata illius animum Harmonia, & tantæ fidei superesse non sustinuit: Reuocatosq; interfectores, professa quænam esset, in sedem suam conuertit. Ita alteri tectum mendacium, alteri ueritas aperta finis uitæ fuit.

DE PATIENTIA. CAP. III.

Egregijs pariter uirorum, ac fœminarum operibus fortitudo se oculis hominũ subtecit. Patientiamq; in medium procedere hortata est, non sanè infirmioribus radicibus stabilitam, aut minus generoso spiritu abundantem, sed ita simi litudine iunctam, ut cum ea, uel ex ea nata uideri possit.

De Mutio Scæuola.

Quid enim ijs, quæ suprà retuli, facto Mutij conuenientius? cùm a Porsena Rege Hetruscorum urbem nostram graui, ac diutino bello urgeri ægre ferret, castra eius clàm ferro cinctus intrauit: immolãtẽq; ante altaria, conatus est occidere. Cæterùm inter molitionẽ pij pariter ac fortis propositi oppressus, nec causam aduentus texit: & tormẽta quantopere contemneret, mira patientia ostendit. Dextrasus enim (credo) dexteram suam, quòd eius ministerio in cæde

Regis uti nequisset, iniectã foculo exuri passus est. Nullũ profectò Dij immortales admotum aris cultum attentioribus oculis uiderũt. Ipsum quoq; Porsenam oblitum periculi suã, ultionem suam uertere in admirationẽ coëgit. Nam, Reuertere, inquit, ad tuos Muti, & eis refer, te cũ uitam meam petieris, à me uita donatum: cuius clementiam non adulatus Mutius, tristior Porsenæ salute, quàm sua lætior, urbi se cum æternæ gloriæ cognomine, Scæuolam reddidit.

De Pompeii patientia.

Pompeij etiam probabilis uirtus: qui dum legationis officio fungeretur, à Genthio Rege interceptus, cùm Senatus consilia prodere uoluerat, ardẽti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit: eaq; patientia regi simul, & desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi excussit, & expetendæ P. R. amicitiæ magnam cupiditatem ingenerauit. Ac ne plura huiusce generis exempla domi seruando, sæpius ad ciuilium bellorum detestandam memoriam progredi cogar, duobus Romanis exemplis contemus, quæ ut clarissimarũ familiarum commendationem, ita nullũ publicum mœrorem continent, externa subnectam.

EXTERNA.

Vetusto Macedoniæ more Regi Alexandro nobilissimi pueri præstò erant sacrificanti. E quibus unus turibulo accepto, ante ipsum astitit,

astitit, in cuius brachio carbo ardens delapsus est: quo, etsi ita urebatur, ut adusti corporis eius odor ad circumstantium nares peruenirent, tamen & dolorem silentio pressit, & brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri, aut excusso turibulo impediret, aut edito gemitu aures Regias aspergeret. Rex quoq; patientia pueri magis delectatus, hoc certius perseuerantiæ experimentum sumere uoluit: solitò enim sacrificauit diutius, nec hac re eũ à proposito repulit. Si huic miraculo Darius inseruisset oculos, scisset eius stirpis milites uinci non posse, cuius infirmam ætatem tanto robore præditam animaduertisset. Est & illa uehemens & constans animi militia, literis pollens uenerabilium doctrinæ sacrorum Antistes Philosophia, quæ ubi pectore recepta est hominum, inhonesto, atq; inutili affectu depulso, totum in solidæ uirtutis munimento confirmat, potentiuseq; metu, ac dolore facit.

Philosophia, cæus & fortitudo

De Zenone Eleate.

Incipiam autem à Zenone Eleate: qui cùm esset in dispiciẽda rerum natura maximæ prudentiæ, inq; excitandis ad uigorem iuuenum animis promptissimus, præceptorum fidem exemplo uirtutis suæ publicauit. patriam enim egressus, in qua frui secura libertate poterat, Agrigentum miserabili seruitute obrutũ, peruenit, tanta fiducia ingenij, ac morũ suorũ fretus, ut sp

ut speraverit & tyranno, & Phalaridi uesanæ mentis feritatem à se diripi posse. postquam deinde apud illum plus consuetudinem dominationis, quàm consilij salubritatem ualere animaduerit, nobilissimos eius ciuitatis adolescentes, cupiditate liberandæ patriæ inflãmauit. cuius rei cùm iudicium ad tyrannum manasset, conuocato in forum populo, torquere eum uario cruciatus genere cœpit: subinde quærens quosnam consilij participes haberet: at ille nec eorum quempiam nominauit, & proximum quenq;, ac fidissimum tyranno suspectum reddidit. increpitansq; Agrigentinis ignauiã, ac timiditatẽ, effecit, ut subito mẽtis impulsu concitati, Phalarim lapidibus prosternerent. Senis ergo unius oculeo impositi, nõ supplex uox, nec miserabilis eiulatus, sed fortis cohortatio totius urbis animum fortunamq; mutauit.

De alio Zenone.

Eiusdẽ nominis philosophus, cùm à Nearcho tyranno de cuius nece consilium inierat, torqueretur, supplicij pariter, atque indicandorum gratia conscios, doloris uictor, sed ultionis cupidus, esse dixit, quod secreto audire eum admodum expediret: laxatoque oculeo, postquam insidijs opportunum tempus animaduerit, aurem eius morsu corripuit, nec ante dimisit, quàm & ipse uita, & ille corporis parte priuaretur.

De

De Anaxarcho.

Talis patientiæ æmulus Anaxarchus, cùm à tyranno Cypriorum Nicocreõte torqueretur, nec ulla ui inhiberi posset, quò minus amarissimorũ eum maledictorum uerberibus inuicem ipse torqueret: ad ultimum amputationem linguæ minitanti, Non erit, inquit, effœminate adolescens, hæc quoq; pars corporis mei tuæ ditionis. protinusq; dentibus abscissam, & commanducatã linguam, in os eius ira patens expuit. Multorũ autem aures illa lingua, & in primis Alexãdri regis admiratione sui attonitas habuerat, dum terræ cõditionẽ, ambitum maris, syderũ motus, totiusq; denique mundi naturam prudentissimè & facundissimè exprõpsit. penè tamen occidit gloriosius, quàm uiguit, quia tam forti fine illustrem professionis actum cõprobauit, Anaxarchiq; non uitam modò deseruit, sed mortem reddidit clariorem.

De Theodoro.

In Theodoro quoq; uiro grauissimo Hieronymus tyrannus tortorũ manus frustra fatigauit. Rupit enim uerbera, fidiculas laxauit, solui it eculeum, lamĩnas extinxit prius, quàm effi ceret, ut tyrannicidij conscios indicaret. Quinetiam satellitẽ, in quo totius dominationis summa quasi quodam cardine uersabatur, falsa crimĩatione inquinando, fidum lateri eius custodem eripuit, beneficioq; pàtientiæ, non solum,

quæ occulta fuerunt, texit, sed etiam tormenta sua ultus est: quibus Hieronymus dum inimicum cupidè lacerat, amicum temere perdidit. Apud Indos uerò patientiæ meditatio tam obstinatè usurpari creditur, ut sint, qui omne uitæ tempus nudi exigant, modo Caucasi montis gelido rigore corpora sua durantes, modò flammis sine ullo gemitu obijcientes: atque haud parua his gloria contemptu doloris acquiritur, titulus nanque sapientiæ datur. Hæc è pectoribus altis, & eruditis orta sunt.

De quodam seruo.

Illud tamen non minus admirabile, quod seruilis animus cepit. Seruus Barbarus Asdrubalem, quòd dominũ suũ occidisset, grauiter ferens, subitò aggressus interemit. Cumq; comprehensus omni modo cruciaretur, latitiam tamen, quam ex uindicta ceperat, in ore constantissimè retinuit. Non ergo fastidioso aditu uirtus excitata, ingenia uiuida ad se penetrare patitur. Neq; hausturn sui cum aliquo personarum discrimine largum, malignumue præbet, sed omnibus æqualiter exposita, quid cupiditatis potius, quam quid dignitatis attuleris, æstimat: inq; captu bonorum suorum tibi ipsi pondus examinandum relinquit, ut quantum subire animo sustinueris, tantum tecum auferas. Quo euenit, ut & humili loco nati, ad summam dignitatem consurgant, & generosissima

sissimarum imaginum fœtus, in aliquod reuoluti dedecus acceptam à maioribus lucem, in tenebras conuertant. quæ quidem planiora suis exemplis redduntur: ac prius de ijs ordiar, quorum in meliorem statum facta mutatio, splendidam relatu præbet materiam.

DE IIS, QVI HVMILI LOco nati, clari euaserunt.

CAP. IIII.

INcunabula Tullij Hostilij agreste tugurium cepit: Eiusdem adolescentia in pecore pascendo fuit occupata: Validior ætas imperium Romanum rexit, & duplicauit: Senectus excellentissimis ornamentis decorata in excellentissimo maiestatis fastigio fulsit. uerùm Tullius etsi magni & admirabilis incrementi, domestlicum tamen exemplum est.

De Tarquinio Prisco.

Tarquinium autem Priscum ad Romanum imperium occupandum fortuna in urbem nostram aduexit: alienum, quòd exactum: alieniorem, quòd ortum Corintho: fastidiendum, quòd mercatore genitum: erubescendum, quòd etiam exule Demarato natum patre. Cæterum tam prosperum conditionis suæ euentum, industrium, pro inuidioso: glorioſum, pro inuiso reddidit: dilatauit enim fines Rom. po. cultũ Deorum nouis sacerdotijs auxit, numerum Senatus amplificauit, equestrem ordinẽ uberiorem reliquit:

quit: quod que laudum eius consummatio est, præclaris uirtutibus effecit, ne hæc ciuitas pœnitentiam ageret, quòd regem de finitimis potius mutuata esset, quàm de suis elegisset.

De Tullio Seruio rege.

In Tullio uerò Seruio fortuna præcipuè uires suas ostendit: Vernam huic urbi natum, regem dando: cui quidem diutissimè imperium obtinere, quater lustrum condere, ter triumphare contigit: ad summam autem unde processerit, aut quò peruenerit, statuæ ipsius titulus abunde testatur. seruili cognomine, & regia appellatione perplexus.

De Varrone.

Miro quoq; gradu Varro ad consulatum ex macellaria patris taberna conscendit: & quidem fortuna parum duxit sordidissimæ mercis capturis inquinari solito, XII. fasces largiri, nisi etiam L. Aemilium Paulum dedisset collegam, atq; ita se in eius sinum infudit, ut cùm apud Cannas culpa sua uires pop. Rom. exhausisset, Paulum quoq;, qui prælium committere noluerat, occidere pateretur, illum in urbem incolumem reduceret. Quinetiam Senatum gratias ei agentem, quòd redire uoluisset, ante portas eduxit, extuditq;, ut grauissimæ cladis autori Dictatura deferretur.

De M. Perpenna.

Non paruus consulatus rubor Marcus Perpennæ

penna, utpote qui COS. antè, quàm ciuis, sed in bello gerendo utilior aliquanto Reip. Varrone imperatore. Regem enim Aristonicum cepit: Crassianæq; stragis punitor extitit. Cùm interim cuius uita triumphauit, mors Papia lege damnata est. Nanq; patrem illius, nihil ad se pertinētia ciuis Romani iura complexum, Sabelli iudicio petitum, redire in pristinas sedes coëgerūt. Ita Marci Perpennæ nomen adumbratum falsus Consulatus, caliginis simile imperiū, caducus triumphus, aliena in urbe improbè peregrinatus est.

De M. Porcio Catone.

Marci uerò Porcij Catonis incrementa publicis uotis expetenda fuerunt: qui nomen suum Tusculi ignobile, Romæ nobilissimum reddidit. Ornata sunt enim ab eo literarum Latinarum monimenta, adiuta disciplina militaris, aucta maiestas senatus, prorogata familia, in qua maximum decus posterior est ortus Cato.

EXTERNA.

De Socrate.

Sed ut Romanis externa iungamus: Socrates non solùm hominum consensu, uerumetiam Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus, Phenarete matre obstetrice, & Sophroniſco patre marmorario genitus, ad clarissimum lumen gloriæ excessit: neq; immeritò. Nam cùm eruditissimorum uirorum ingenia in disputa-

tione cæca uagarentur, mensurasq; Solis, & Lunæ, & cæterorũ syderũ loquacibus magis, quàm certis argumentis explicare conarentur, totius etiam mundi ambitum complecti auderent, primus ab his indoctis erroribus abductum animum suum in intima conditionis humanæ, & in secessum pectoris repositos affectus scrutari coëgit: si uirtus per seipsam æstimetur, uitæ magister optimus.

De Euripide, & Demosthene.

Quam matrem Euripides, aut quẽ patrem Demosthenes habuerit, ipsorum quoque seculo ignotum fuit: alterius autem matrem olera, alterius patrem cultellos uendita sse omnium penè doctorum literæ loquuntur: sed quid aut illius tragica, aut huius oratoria ui clarius?

DE IIS QVI A PARENTIBVS claris degenerauerunt.

CAP. V.

SEquitur duplicis promiscui pars adoptiuis illustrium uirorum imaginibus reddenda: quoniam quidem sunt referendi, qui ab earum splendore degenerauerunt, teterrimis ignauiæ, ac nequitiæ sordibus, imbuta nobilia portenta.

De Scipione ignobili fil. Afric.

Quid enim monstro simi lius, quàm superioris Africani filius Scipio? Qui in tanta domestica gloria ortus, à paruulo admodũ regis Antiochi præsidio capi sustinuit: cùm ei uoluntaria

ria morte absumi satius fuerit, quàm inter duo fulgẽtissima cognomina patris & patrui, altero oppressa Africa iam parto, altero iam maiore ex parte recuperata Asia, surgere incipiẽte, manus uinciendas hosti tradere, eiusq; beneficio precariũ spiritũ obtinere: de quo mox L. Scipio speciosissimũ Deorum, hominumq; oculis subiecturus erat triumphũ. Idem prætura petitor candidam togam adeò turpitudinis maculis obsoleface tam in campum detulit, ut nisi gratia Ciceronis, qui patris eius scriba fuerat, adiutus esset, honorem à Pop. impetraturus nõ uideretur: quãquàm quid interfuit utrũ repulsam, an sic adeptam præturam domũ referret? quam cùm propinqui ab eo pollui animaduerterẽt, id egerunt, ne aut sellam ponere, aut ius dicere auderet. Insuperq; è manu eius anulum, in quo caput Africani sculptũ erat, detraxerunt. Dij boni quas tenebras è quo fulmine nasci passi estis?

De Filio Q. Fabii degenere.

Age Q. Fabij Max. Allobrogici & ciuis, & imperatoris clarissimi filius Qu. Fabius Max. quam perditã luxuria uitam egit? cuius ut cætera flagitia obliterentur, tamen abunde illo dedecore mores nudari posset, quòd ei Qu. Pompeius prætor urbanus, paternis bonis interdixit: neq; in tanta ciuitate, qui illud decretum reprehenderet, inuentus est: dolenter enim

homines ferebant pecuniam, quæ Fabiæ genuis splendori seruire debebat, flagitijs disyci. Ergo quem nimia patris indulgẽtia hæredem reliquerat, publica seueritas exhæredauit.

De filio Clodii Pulchri.

Possedit fauorẽ plebis Clodius Pulcher, adhærensq; Fuluianæ stolæ pugio, militare decus muliebri imperio subiectũ habuit: quorũ filius Pulcher, præterquàm quòd enerucm, & frigidam iuuentam egit, perdito etiam amore vulgatißimæ meretricis infamis fuit, mortisque erubescendo genere consumptus est: abdomine enim auidè deuorato fœdæ, ac sordidæ intemperantiæ spiritum reddidit.

De Hortensio Corbione.

Iam Quidem Hortensy, qui in maximo & ingenuorũ ciuium, & ampliſsimorum prouentu, summũ autoritatis, atq; eloquentiæ gradum obtinuit: nepos Hortensius Corbio omnibus scortis abiectiorem, & obscœniorem uitã exegit: ad ultimumq; lingua eius tam libidini cunctorum inter lupanaria proſtitit, quàm ani pro salute ciuium in foro excubuerat. Animaduerto in quàm periculosum iter processerim. Itaque meipsum reuocabo, ne si reliqua eiusdem generis naufragia consectari perseuerauero, aliqua inutili relatione implicer. Referam igitur pedem, deformesq; umbras in imo gurgite turpitudinis suæ iacere patiar. Satius est

est enim narrare qui illustres uiri in cultu, cæteroq; uitæ ritu, aliqua ex parte nouando sibi indulserunt.

QVI EX ILLVSTRIBVS IN ueste aut in cætero cultu licentius, quàm mos patrius permittebat, indulserunt. CAP. VI.

De P. Scipione.

Pvblius Scipio, cùm in Sicilia augẽdo exercitum, trayciendoq; in Africam opportunum quærẽdo gradum, Carthaginis ruinam animo uolueret, inter cõsilia, ac molitiones tãtæ rei operam gymnasio dedit, pallioq;, & crepidis usus est: nec hac re segniores Punicis exercitibus manus intulit: sed nescio an ideo alaciores, quia uegeta, & strenua ingenia, quo plus recessus sumunt, hoc uehementiores impetus edunt. Crediderim etiam fauorem eum sociorum uberiorem se adepturum existimasse, si uictum eorum & solennes exercitationes comprobasset: ad quas tum ueniebat, cùm multum, ac diu fatigasset humeros, & cætera membra militari agitatione firmitatem suam probare coëgisset: consistebatq; in illis labor eius, in ijs remissio laboris.

De L. Scipione.

Lucij uerò Scipionis statuam chlamydatã, & crepidatam in Capitolio cernimus: quo habitu uidelicet, quia aliquando usus erat, effi-

giem suam formatam poni voluit.

De L. Sylla.

Lucius quoque Sylla, cùm Imperator esset, chlamidato sibi, & crepidato Neapoli ambulare deforme non duxit.

De Caio Duellio.

Caius autem Duellius, qui primus nauale triumphum ex Pœnis retulit, quotiescũq; epulaturus erat, ad funalem cereum præeunte tibicine, & fidicine, à cœna domum reuerti solitus est, insignem bellicæ rei successum nocturna celebratione testando.

De Papyrio Massone.

Nam Papyrius quidem Masso, cùm bene gesta Repub. triumphum à Senatu non impetrasset, in Albano monte triumphãdi & ipse initium fecit, & cæteris postea exemplum præbuit, proq; laurea corona cùm alicui spectaculo interesset, myrtea usus est.

De C. Mario.

Num C. Marij penè insolens factum? Nam post Iugurthinum, Cimbricumq;, & Theutonicum triumphum, cantharo semper potauit: quòd Liber pater inclytum ex Asia ducens triumphum hoc usus poculi genere ferebatur, ut inter ipsum haustum uini, uictoriæ eius suas uictorias compararet.

De M. Catone.

Marcus autem Cato Prætor M. Scauri, cæteror-

terorumq; reorũ iudicia nulla indutus tunica, sed tantũmodo amictꝰ prætexta, egit: sed hæc, atq; his similia, uirtutis aliquid sibi in consuetudine nouanda licentiæ sumentis indicia sunt. Illis autem, quæ deinceps subnectam, quantum sui habere fiduciam soleat, cognoscetur.

DE FIDVCIA SVI.

CAP. VII.

Prob. & Cn. Scipionibus in Hispania cum maiore parte exercitus acie Punica oppressis, omnibusq; prouinciæ eius nationibus Carthaginiensium amicitiã secutis, nullo ducum nostrorum illic ad corrigendam rem proficisci audente, P. Scipio quartum & uigesimum annum agens iturũ se pollicitus est. Quæ quidẽ fiducia P. R. salutis ac uictoriæ spem dedit. Eademq; in ipsa Hispania usus est. Nam, cùm oppidum Badiam circumsideret, tribunal suum adeuntes, in ædem, quæ intra mœnia hostium erat, nadimonium in posterum diem facere iussit. cõtinuoq; urbe potitus, & tempore, & loco, quo prædixerat, sella posita, ius eis dixit. Nihil hac fiducia generosius, nihil prædictione uerius, nihil celeritate efficacius, nihil etiam dignitate dignius. Nec minus animosus, minus'ue prosper illius in Africã transitus, in quam è Sicilia exercitũ Senatu uetante traduxit, quia nisi plus in ea re suo, quam PA. CONSC. cõsilio credidisset, secũdi Punici belli

finis

finis inuentus non esset. Cui facto par illa fiducia, quòd postquam Africam attigit, speculatores Annibalis in castris deprehensos, & ad se perductos, nec supplicio affecit, nec de consilijs ac uiribus Pœnorũ percunctatus est. Sed circa omnes manipulos diligentissimè deducẽdos curauit. Interrogatosq; an satis ea cõsyderassent, quæ speculari iussi erant, prandio dato ipsis, iumentisq; corũ, incolumes dimisit: quo tam pleno fiduciæ spiritu prius animos hostium, quàm arma cõtudit. Verùm ut ad domestica eximiæ eius fiduciæ acta ueniamus: cùm à L. Scipione ex Antiochensi pecunia HS. quadragies ratio in curia reposceretur, prolato ab eo libro, quo acceptæ, expensæq; summæ cõtinebantur, refelliq; inimicorũ accusatio poterat, discerpsit: indignatꝰ de ea re dubitari, quæ sub ipso legato administrata fuerat. Quinetiã in hunc modum egit: Non reddo P. C. ærario uestro HS. quadragies rationẽ, alieni imperij minister, quòd meo ductu, meis'que auspicijs bis millies HS. uberius feci. Neq; enim adhuc puto eò malignitatis uentum, ut de mea innocentia quærẽdum sit. Nam cum Africam totam potestati uestræ subiecerim, nihil ex ea quod meum dicerem, præter cognomen, retuli. Non igitur me Punicæ, non fratrem meum Asiaticæ gazæ auarum reddiderunt: sed uterq; nostrũ inuidia magis, quàm pecunia locupletior est.

est. Tam constantem defensionẽ Scipionis uniuersus Senatus cõprobauit. Sicut illud factũ: quod cùm ad necessarium Reipub. usum pecuniam ex ærario promi opus esset, idq; Quæstores, quia lex obstare uideretur, aperire nõ auderent, priuatus claues poposcit, patefactoq; ærario, legem utilitati cedere coëgit: quã quidem fiduciam conscientia illa dedit, quia meminerat omnes leges à se esse seruatas. Non fatigabor eiusdem facta identidem referendo, quoniam nec ille quidem in consimili genere uirtutis edendo fatigatus est. Diem illi ad populum M. Næuius Trib. pleb. aut (ut quidam memorant) duo Petilij dixerãt, qui ingenti frequentia in forum deductus, rostra conscendit, capitiq; suo corona triumphali imposita, Hac ego, inquit, Quirites, die Carthaginem magna sperantem, leges nostras accipere iussi: proinde æquum est uos mecũ ire in Capitolium supplicatum, speciosissimam deinde eius uocem æquè clarus euentus secutus est: siquidem & senatũ totum, & uniuersum equestrem ordinem, & cunctam plebem Iouis Opt. Max. puluinaria petẽs, comitem habuit. Restabat ut Trib. apud populum sine populo ageret, deservtusq; in foro cum magno calumniæ suæ ludibrio, solus moraretur: cuius deuitandi ruboris causa, in Capitolium processit, deq; accusatore, Scipionis uenerator est factus.

De

De Scipione Aemiliano.

Auiti spiritus egregius successor Scipio Aemilianus, cùm urbem præualidam obsideret, suadentibus quibusdã ut circa mœnia eius ferreos muricis spargeret, omniáq; uada tabulis plumbatis cõsterneret, habentibus clauorũ cacumina, ne subita eruptione hostes in præsidia nostra impetũ facere possent: respondit, non esse eiusdem, & capere aliquos uelle, & timere.

De Scip. Nasica.

In quamcunq; memorabiliũ partem exemplorum conuertor, uelim, nolim'ue, in cognomine Scipionum hæream necesse est: cui enim licet hoc loci Nasicã præterire fidentis animi, dictiq; clarissimum autorem? Annonæ caritate increbrescẽte, C. Curiatius Trib. pleb. productos in concionem COSS. compellabat, ut de frumento emendo, atq; ad id negotium explicandum mittendis legatis in curiam referrent. Cuius instituti, minimè utilis, interpellãdi gratia Nasica contrariam actionem ordiri cœpit: obstrepente deinde plebe, Tacete quæso Quirites, inquit: plus enim ego, quàm uos quid Reip. expediat, intelligo: qua uoce audita, omnes pleno uenerationis silentio, maiorem autoritatem eius, quàm suorum alimentorum respectum egerunt.

De Liuio Salinatore.

Liuij quoque Salinatoris æternæ memoriæ autor

autoritate tradendus animus: qui cùm Asdrubalem, exercitumq; Pœnorum in Vmbria deesset, & ei diceretur, Gallos, ac Ligures exacie sine ducibus & signis sparsos, ac palantes parua manu opprimi posse: respõdit, in hoc eis oportere parci, ne hostibus tantæ cladis domestici nuntij deessent.

De P. Furio Philo.

Bellica hæc præstantia animi: togata illa, sed non minus laudabilis, quàm Publius Furius Philus COS. in senatu exhibuit. Qu. enim Metellum, Qu. q; Pompeium consulares uiros uehementer inimicos suos, cupitam sibi profectionem in prouinciam Hispaniam, quam sortitus erat, identidem exprobrantes, legatos secum illuc ire coëgit: fiduciam non solùm sortem, sed penè etiam temerariam exhibens: quæ duobus acerrimis odijs latera sua cingere ausa est, usumq; ministerij uix tutum in amicis, è sinu inimicorum petere sustinuit.

De L. Crasso.

Cuius factũ, si cui placet, necesse est L. etiã Crassi, qui apud maiores eloquentia clarissimus fuit, propositum non displiceat: nam cùm ex consule prouinciam Galliam obtineret, atque in eam Cn. Carbo, cuius patrem damnauerat, ad speculanda acta sua uenisset, non solum eum inde non summouit, sed insuper locum ei in tribunali assignauit, nec ulla de re, nisi

niſi eo in conſilium adhibito, cognouit. Itaque acer, & uehemens Carbo, nihil aliud Gallica peregrinatione conſecutus eſt, quàm ut animaduerteret, ſontem patrem ſuum, ab integerrimo uiro in exilium miſſum.

De Catone ſuperiore.

Cato uerò ſuperior ſæpenumero ab inimicis ad cauſæ dictionem uocatus, nec ullo unquam crimine conuictus: ad ultimum tantum fiduciæ in ſua innocentia repoſuit, ut ab his in quæſtionem publicam deductus, T. Gracchũ à quo in adminiſtrationem Reipub. ad multum odiũ diſſidebat, iudicem depoſceret. Qua quidem animi præſtantia, pertinaciam eorum inſectandi ſe inhibuit.

De M. Scauro.

Eadem M. Scauri fortuna, aquè ſenectus longa ac robuſta, idem animus: qui cùm pro Roſtris accuſaretur, quòd à rege Mithridate ob Remp. prodendam pecuniã accepiſſet, cauſam ſuam ita egit: Eſt enim Quirites iniquũ, cùm inter alios uixerim, apud alios me rationem uitæ reddere. Sed tamen audebo uos, quorum maior pars honoribus, & actis meis intereſſe non potuit, interrogare: Varius Sucronenſis M. Aemiliũ Scaurum regia mercede corrupiũ imperiũ pop. Rom. prodidiſſe ait: M. Aemilius Scaurus huic ſe affinem eſſe culpæ negat. Vtri creditis? cuius dicti admiratione

populus commotus, Varium ab illa dementiſſima actione pertinaci clamore depulit.

De M. Antonio.

Contrà M. Antonius ille diſertus. Non enim reſpuendo, ſed amplectendo cauſæ dictionem, quàm innocens eſſet, teſtatus eſt. Quæſtor proficiſcens in Aſiam, Brunduſium iam peruenerat: ubi literis certior factus, inceſti ſe poſtulatum apud L. Caſſium Prætorem, cuius tribunal propter nimiam ſeueritatem Scopulus reorum dicebatur: cùm id uitare beneficio legis Memiæ liceret, quæ eorum, qui Reip. cauſa abeſſent, recipi nomina uetabat: in urbẽ tamen recurrit, quo tam pleno fiduciæ bonæ conſilio, tum abſolutionem celerem, tum profectionem honeſtiorem conſecutus eſt.

De Senatu Romano.

Sunt & illa ſpecioſæ fiduciæ publicæ exẽpla. Nam cùm eo bello, quod aduerſus Pyrrhũ gerebatur, Carthaginienſes C. ac XXX. nauium claſſem in præſidium Romanis Hoſtiam ultro miſiſſent, ſenatui placuit, legatos eorum ad ducem ire, qui dicerent, pop. Rom. bella ſuſcipere ſolere, quæ ſuo milite gerere poſſet: proinde claſſem Carthaginẽ reducerent. Idem poſt aliquot annos Cannenſi clade exhauſtis Romani imperij uiribus, ſupplemẽtũ exercitus in Hiſpaniã mittere auſus, fecit ne hoſtiliũ locus caſtrorum, tum maximè Capenam portam

armis Annibale pulsante, minoris uenirent, quàm si illum Pœni non obtinerent. Ita se gerere in aduersis rebus, quid aliud est, quam sæuientem fortunam, in adiutorium sui, pudore uictam conuertere?

De Accio Poëta.

Magno spatio diuisus est à senatu ad poëtã Accium transitus. Cæterùm ut ab eo decentius ad externa trãsiamus, producatur in medium. Is Iulio CAESARI amplißimo, & florentißimo uiro, in collegium poëtarum uenienti nunquàm assurrexit: non maiestatis eius immemor, sed quòd in comparatione communium studiorum, aliquanto superiorem se esse consideret: quapropter insolentiæ crimine caruit, quia ibi uoluminum non imaginum certamina exercebantur.

EXTERNA.

De Euripide Tragico.

Nec Euripides quidem Athenis arrogans uisus est, cũ postulante populo, ut ex ragœdia quandam sentẽtiam tolleret, progressus in scenam, dixit, se ut eum doceret, non ut ab eo disceret, fabulas componere solere. Laudanda profectò fiducia est, quæ æstimationem sui certo pondere examinat, tantum sibi arrogans, quantum à contemptu, & insolentia distare satis est. Itaq; & qd' Alcestidi tragico poëta respondit probabile, apud quem cùm quereretur, quòd eo triduo non ultra tres uersus maximo impenso labore deducere potuisset, atque is, se centum perfacilè scripsisse gloriaretur: Sed hoc, inquit, interest, quòd tui in triduum tantummodo, mei uerò in omne tempus sufficient. Alterius enim fœcundi cursus scripta, intra primas memoriæ metas corruerunt, alterius cunctante stylo elucubratum opus, per omne ævi tempus plenis gloriæ uelis feretur.

De Antigenida.

Adijciam scenæ eiusdem exemplũ: Antigenidas tibicen discipulo suo magni profectus, sed parum feliciter populo se approbanti, cunctis audientibus, dixit: Mihi cane, & Musis, quia uidelicet perfecta ars fortunæ lenocinio defecta, iusta fiducia non exuitur: quamq; scit se laudem meritam, eam etsi ab aliis impetrat, domestico tamen acceptam iudicio refert.

De Zeusi pictore.

Zeusis autẽ cùm Helenã pinxisset, quid de eo opere homines censuri essent, expectãdũ non putauit: sed protinus hos uersus Græcos adiecit.

Οὐ νέμεσις Τρῶάς τε, καὶ ἐυκνημίδας ἀχαιὸὺς
Τοιῆδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν,
Αἰνῶς ἀθανάτῃσι θεαῖς ἐις ὦπα ἐοικὼς.

Adeò dextræ suæ multũ pictor arrogauit, ut ea tantum forma comprehensum crederet, quãtũ aut Leda cœlesti partu edere, aut Home

rus diuino ingenio exprimere potuit.

De Phidia.

Phidias quoq; Homeri uersibus egregio dicto alluſit. Simulacro enim Iouis Olympij perfecto, quo nullum præſtantius, aut admirabilius humanæ fabricatæ ſunt manus, interrogatus ab amico, quonam mentem ſuam dirigens, uultum Iouis propemodum ex ipſo cœlo petitum, eboris lineamentis eſſet amplexus: illis ſe uerſibus quaſi magiſtro uſum reſpondit:

Ἦ καὶ νωμήσας κελαινεφὲς κῦμα Κρονίων.
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

De Epaminunda.

Non patiūtur me tenuioribus exēplis diutius īnſiſtere fortiſſimi duces: ſiquidē Epaminundas, cū ei ciuesirati, ſternēdarū in oppido uiarū cōtumeliæ cauſa curam mādarēt (erat enim illud miniſteriū apud eos ſordidiſſimū) ſine ulla cūctatiōe id recepit, daturūq; ſe operā, ut breui ſpecioſiſſimū fieret, aſſeueravit: mirificaq; deinde procuratiōe, abiectiſſimū negotiū, pro ampliſſimo ornamēto expetendū Thebis reddidit.

De Annibale.

Annibal uerò, cùm apud regē Pruſiā exularet, autorq; ei committendi prælij eſſet, atq; is non idē ſibi extis portēdi diceret: An tu, inquit, quit, uitulinæ caruncularum, quàm imperatori ueteri mauis credere? Si uerba numeres, breuiter, & abſciſſe: ſi ſenſum æſtimes, copioſe, & ualenter. Hiſpanias enim dereptas Pop. Rom. & Galliarū, ac Liguriæ uires in ſuā redactas poteſtatē, & nouo trāſitu Alpiū iuga patefactā, et Thraſimenū lacū diræ inuſtū memoriæ, & Cannas Punicæ uictoriæ clariſſimū monimentum, & Capuā poſſeſſam, & Italiā lacerātam, ante pedes hominis effudit, uniusq; hoſtiæ iocinori, longo experimēto teſtatā gloriam ſuam, poſtponi æquo animo non tulit: & ſanè quòd ad exploranda bellica ſacrificia, æſtimandoſq; que militares ductus attinebat, omnes foculos, omnes aras Bithyniæ, Marte ipſo iudice, pectus Annibalis prægrauaſſet.

De Cotye.

Capax generoſi ſpiritus illud quoq; dictum regis Cotys: ut enim ab Atheniēſibus ciuitatē ſibi datam cognouit, Et ego, inquit, illis meæ gentis ius dabo. Æquauit Athenis Thraciā, ne uiciſſitudine talis beneficij imparē ſe iudicādo humili? de origine ſua ſentire exiſtimaretur.

De utroque Spartano.

Nobiliter etiam uterque Spartanus, & qui increpitus à quodā, quòd in aciē claudus deſcenderet: pugnare, non fugere propoſitum ſibi eſſe reſpondit: & qui referente quodā, ſagittis Perſarum ſolem obſcurari ſolere: Bene nar-

vas, inquit, in umbra enim melius præliabimur. Vir eiusdem urbis, atque animi, hospiti suo patriæ muros excelsos latosque ostendenti dixit: Si mulieribus istos comparastis, recte: si uiris, turpiter.

DE CONSTANTIA.

CAPVT VIII.

Aptum, & animosum bonæ fiduciæ perfectus emensō, quasi debitum opus superest, Constantiæ repræsentare naturam. Natura enim sic comparatum est, ut quisquis se aliquid ordine, ac recta mente complexum cōfidit, uel iam gestum, si obtrectetur, acriter tueatur: uel nondum editum, si interpelletur, sine ulla cunctatione ad effectum perducat.

De Fuluio.

Sed dum exemplar præpositæ rei prosequor, latius mihi circunspicienti, ante omnia se Fuluij Flacci constantia offert. Capuam fallacibus Annibalis promissis Italiæ regnum nefaria defectione paciſci persuasum, armis occupauerat: tandem culpæ hostium tam iustus æstimator, quàm speciosus uictor, Capuanum Senatum impij decreti autorem, fundituς delere constituit. Itaq; catenis onustum in duas custodias, Theanā, Calenamq; diuisit: consiliū executurus, cùm ea peregisset, quorū administrādorū celerior esse necessitas uidebatur. Rumore deinde de Senatus mitiore sententia orto, ne debitam

bitam pœnam scelerati effugerent, nocte admisso equo, Theanam contendit, interfectis q; qui ibi asservabantur, cuesligio Calenā transgressus, perseuerantiæ suæ opus executus est: & iam deligatis ad palum hostibus, literas à P. C. nequicquā Capuanis salutares accepit. In sinistra enim eas manu sicut erant traditæ, reposuit: ac iusso lictore lege agere, tunc demū aperuit, postquàm illis obtēperari nō poterat. Quæ cōstātia uictoria quoq; gloriā antecellit: quia si eū intra scipsum partita æstimes, maiorē punita Capua, quàm capta reperies.

De Q. Fabio Maximo.

Atque ista quidē seueritatis, illa uerò pietatis constantia admirabilis, quam Q. Fabius Max. infatigabilē patriæ præstitit: pecuniam pro captiuis Annibali numerauit, fraudatus ea publicè tacuit. Dictatori ei magistrū equitum Minutiū iure imperij senatus æquauerat, silentiū egit: cōpluribus præterea iniurijs lacessitus in eodē animi habitu permansit, nec unquam sibi Reipub. permisit irasci, tam perseuerans in amore ciuiū fuit. Quid in bello gerēdo: non'ne par eius constantia? Imperium Rom. Camensi prælio penè destructum uix sufficere ad exercitus comparandos uidebatur. Itaq: frustrari, & eludere Pœnorum impetus, quàm manum cum ijs tota acie conserere melius ratus: pluribus cōminationibus Annibalis irrita-

tus, sæpe etiam spe bene gerendæ rei oblatæ, nũquam à consiliis salubritate, ne parui quidẽ certaminis discrimine recessit: quodq; est difficillimũ, ubiq; ira, ac spe superior apparuit. Ergo ut Scipio pugnãdo, ita hic nõ dimicãdo, maximè ciuitati nostræ succurrisse uisus est: alter enim celeritate sua Carthaginẽ oppressit: alter cũctatiõe id egit, ne Roma opprimi posset.

De C. Pisone, & M. Palicano.

Caium etiam Pisonem mirificè & cõstanter turbulento Reipu. statu egisse COS. narratione insequẽti patebit. M. Palicani seditiosissimi hominis pestiferis blãditiis præreptus populi fauor, cõsularibus comitiis summũ dedecus admittere conabatur, amplissimũ ei deferre imperiũ cupiens, cuius teterrimis actis exquisitũ potius supplicium, quàm ullus honos debebatur. Nec decerat consternatæ multitudini furialis fax tribunitia, quæ temeritatẽ eius et rucẽtẽ comitaretur, & lãguẽtẽ actionibus suis inflãmaret. In hoc miserãdo pariter atq; erubescẽdo statu ciuitatis, tantũmodo manibus Tribunorum pro rostris Piso collocatus est: cùm hinc, atq; illinc eum ambissent, an Palicanum suffragiis populi COS. creatum, an renuntiaturus esset interrogaretur: primò respõdit, non existimare se tantis tenebris offusam esse Rempub. ut huc indignitatis ueniretur. Deinde cùm persueranter instarent, ac dicerent: Agè, si uentũ fuer

fuerit: Non renuntiabo, inquit. quo quidẽ tam abscisso responso consulatum Palicano, prius quam illum adipiscereturi, eripuit. Multa & terribilia Piso contempsit, dum speciosum mentis suæ flecti non uult rigorem.

De Metello.

Metellus autẽ Numidicus, propter consimile perseuerantiæ genus, excepit quoq; indignam maiestate, ac moribus sui procellã. Cùm enim animaduerteret, quò tenderent Saturnini Trib. pleb. funesti conatus: quantoq; malo Reipub. si non his occurreretur, erepturi essent: in exilium, quàm in legem eius ire maluit. Potest aliquis hoc uiro dici constantior? qui ne sententia sua pelleretur, patria in qua summum dignitatis gradum obtinebat, carere sustinuit.

De Q. Scæuola.

Cæterùm ut neminem ei prætulerim, ita Qu. Scæuolam Augurẽ meritò cõpararim. Depulsis prostratisq; inimicorum partibus, Sylla occupata urbe, Senatum armatus coegerat, ac summa cupiditate ferebatur, ut C. Marius quã celerrimè hostis iudicaretur: cuius uoluntati nullis obuiã ire audentibus, solus Scæuola interrogatus de hac re, sententiam dicere noluit: quinetiã truculentius sibi minitanti Sullæ, Licet, inquit, mihi agmina militum, quibus curiam circũsedisti, ostentes: licet mortẽ identidẽ miniteris, nunquàm tamen efficies, ut propter

exiguum, senilemq; sanguinẽ meum, Mariũ, à quo urbs, et Italia cõseruata est, hostẽ iudicẽ.

De Sempronia.

Quid fœminæ cum concione? si patrius mos seruetur, nihil. Sed ubi domestica quies seditionum agitata fluctibus est, priscæ consuetudinis autoritas conellitur: plusq; ualet quod uiolẽtia cogit, quàm quod suadet, & præcipit uerecũdia. Itaq; te Sempronia Tib. & C. Gracchorum soror uxor Scipionis Æmiliani, non ut absurde grauissimis uirorũ operibus inferens, maligna relatiõe cõprehẽdã: sed quia à Trib. Pl. productã ad populum, in maxima confusione nihil à tuorum amplitudine degenerasti, honorata memoria prosequar. Coacta es eo loci consistere, ubi principum ciuitatis perturbari frons solebat: instabat enim tibi toruo ultu minas profundens amplissima potestas, cùm clamor imperitæ multitudinis obstreperet, totũ forum acerrimo studio nitebatur, ut Equitio, cui Semproniæ gẽtis falsum ius quærebatur, tanquam filio Tiberij fratris tui osculũ dares: tu tamen illum, nescio quibus tenebris protractũ, ut portẽtum, execrabili audacia, ad usurpandam alienam propinquitatem tendentem, repulisti.

De Centurionibus.

Non indignabuntur lumina nostræ urbis, si inter eorum eximium fulgorem Centurionum quoq; uirtus spectandam se obtulerit. Nam ut humi

humilitas amplitudinem uenerari debet, ita nobilitate fouenda magis quàm spernanda bonæ indolis nouitas est. An abigi debet Fontius ab horum exemplorum contextu? qui pro Cæsaris partibus excubans, Scipionis præsidio interceptus, cùm uno modo salus ei daretur, si se futurum Cn. Pompeij generi ipsius militem affirmasset, ita respondere non dubitauit: Tibi quidem Scipio gratias ago: sed mihi uti ista conditione uitæ non est opus. Sine ullis imaginibus nobilem animum, & idem constantiæ propositum secutus C. Meuius Centurio diui Augusti, cum Antoniano bello sæpenumero excellẽtes pugnas edidisset, improuisis hostium insidijs circumuentus, & ad Antonium Alexãdriam perductus, interrogatusq;, quidnam de eo statui deberet: Iugulari me, inquit, iubeo quia non salutis beneficio, nec mortis supplicio adduci possum, ut aut Cæsaris miles desinam, aut tuus esse incipiam. Ceterùm quò constantius uitã contẽpsit, eò facilius impetrauit. Antonius enim uirtuti eius incolumitatem tribuit.

EXTERNA.

De Blasio.

Complura huiusce notæ Romana exempla superant, sed satietas modo uitanda est. Itaq; stylum meum ad externa iam delabi permittam, quorum principatum teneat Blasius, cuius cõstãtia nihil pertinacius. Salapiã enim patriam

suam

ſuam præſidio Punico occupatam, Romanis cupiens reſtituere, Daſium acerrimo ſtudio ſecum in adminiſtratione Reipublicæ diſſidentem, & alioqui toto animo Annibalis amicitiæ nacantem, ſine quo propoſitum conſilium peragi non poterat, ad idem aggrediendum opus maiore cupiditate, quàm ſpe certiore, tentare auſus eſt: qui protinus ſermonem eius, adiectis quæ & ipſum commendatiorem, & inimicum inuiſiorem factura uidebantur, Annibali retulit: à quo adeſſe iuſſi ſunt, ut alter crimen probaret, alter defenderet. Cæterùm cùm res pro tribunali gereretur, & illi quæſtioni omnium oculi eſſent intenti: dum aliud fortè certioris curæ negotium tractatur, Blaſius uultu diſſimulante, ac uoce ſummiſſa, monere Daſium cœpit, ut Romanorum potius, quàm Carthaginienſium partes foueret. Enimuero tunc ille proclamat, ſe in conſpectu ducis aduerſus eum ſolicitari: quod quia incredibile exiſtimabatur, & ad unius tantùm aures penetrauerat, & iactabatur ab inimico, ueritas fide caruit: ſed non ita poſt multò Blaſij mira conſtantia Daſium ad ſe traxit, Marcelloſi & Salapiam, & quingentos Numidas, qui in ea cuſtodiæ cauſa erant, tradidit.

De Phocione.

Phocion uerò cùm Athenienſes rem aliter, quàm ipſe ſuaſerat, proſperè adminiſtraſſent, adeò

adeò perſeuerans conſtantiæ ſuæ propugnator extitit, ut in concione lætari quidem ſe ſucceſſu eorum, ſed conſilium tamen ſuum aliquantò melius fuiſſe diceret. Nõ enim damnauit, quòd rectè uiderat: quia quod alius malè conſulueràt, bene geſſerant: felicius illud exiſtimans, hoc ſapientius. Plerunq; enim temeritatem caſus iuuat, ubi priuato conſilio propius aſpirat: & quò uehementius noceat, deſperatius prodeſt. Placidi ſanè & miſericordes, & liberales, omniq; ſuauitate temperati mores Phocionis, quos optimè profectò cõſenſus omnium, bonitatis cognomine decorandos cenſuit. Itaq; conſtantia, quæ natura rigidior uidetur, lenis è manſueto pectore fluxit.

De Socrate.

Socratis autem uirilitatis robore palliatus animus, aliquantò præſtantius perſeuerantiæ exemplum edidit. Vniuerſa ciuitas Athenienſium iniquiſſimo, ac truculentiſſimo errore inſtructa, de capite decem Prætorum, qui apud Arginuſas Lacedæmoniã claſſem deleuerãt, triſtem ſententiam tulerat. fortè tunc eius potentatis Socrates, cuius arbitrio plebiſcita ordinaventur, indignum iudicans, tot & tam bene meritos, ex indigna cauſa impetu inuidiæ arripi, temeritati multitudinis conſtantiam ſuã obiecit: maximoq; cõcionis fragore, & incitatiſſimis minis cõpulſus nõ eſt, ut ſe publicæ dementiæ au

tiæ autorem adscriberet: quæ oppositu eius legitima grassari uia prohibita, iniusto Prætorum cruore manus suas contaminare perseuerauit: nec timuit Socrates, ne consternatæ patriæ, undecimus furor, mors ipsius existeret.

De Ephilate.

Proximum, etsi non eiusdē splendoris est, tamen certiū constantiæ haberi potest experimentum efficacis operæ forensis, fidei non latentis. Athenis Ephilates accusare publicè iussus, et inter cæteros Demostrati nomē deferre coactus est, cuius filius erat Demochares, excellentis formæ puer, animo eius flagrātissimo inhærens amore. Itaq; communis officij sorte truculentus accusator, priuati affectus cōditione miserabilis reus, puerum ad se exorandum quò parcius patriis criminibus insisteret, uenientem neque repellere, neq; supplicem genibus suis aduolutum intueri sustinuit. Sed operto capite flēs, & gemens, preces expromere passus est. Nihilo{q;} minus syncera fide accusatum Demostratum damnauit: uictoriam nescio laude, an tormento maiore partam: quoniam prius, quàm sontem opprimeret sipsum uicit Ephilates.

De Syracusano Dione.

Quem Syracusanus Dion diuersitate exēpli prægrauat: qui quibusdam monentibus, ut aduersus Heraclidem, & Calippum, quorū fidei plurimum credebat, tanquā insidias ei nectentes cautior esset: respondit, sē uita malle excedere, quam in metu uiolentæ mortis amicos, inimicosq; iuxta ponere. Quod sequitur, & rei ipsius admiratione, et claritate autoris illustre.

De Alexandro Magno.

Alexander Macedonum Rex inclyta iam pugna, excellentissimis opibus Darij contusis, æstu & itineris feruore in Cilicia percalefactus, Cydno, qui aquæ liquore conspicuus, Tarsum interfluit, corpus suum immersit: subitò deinde ex nimio haustu, rigore obstupefactis neruis, ac torpore hebetatis artubus, maxima cum exanimatione totius exercitus, in oppidum cafris propinquum defertur: iacebat æger Tarsi, inq; ualetudine eius aduersa instantis uictoriæ spes fluctuabat. Itaq; conuocati medici, attentissimo consilio salutis remedia circunspiciebāt: qui cùm ad unam potionem sentētiam direxissent, atq; eam Philippus medicus suis manibus temperatam Alexandro (erat autem ipsius amicus, & comes) porrexisset, à Parmenione missæ literæ superuenerunt, admonētes, ut Rex insidias Philippi perinde ac pecunia corrupti à Dario, caueret: quas cùm legisset, sine ulla cunctatione medicamentum hausit, ac tunc legendas Philippo tradidit. pro quo tam constanti erga amicū indicio, digniss{i}mā à Dijs immortalibus mercedē receptū, qui incolumitatis eius præsidium falso interpellari indicio uoluerunt.

VAL.

VALERII MAXIMI LIBER QVARTVS.

DE ANIMI MODERATIONE. CAPVT I.

TRANSGREDIAR ad saluberrimã partẽ animi moderationem, quæ mentes nostras impotẽtiæ, & temeritatis incursu trãsuersas ferri non patitur. quo euenit, ut reprehẽsionis morsu sit uacua, & laudis quæstu sit opulentissima: itaque effectus suos in claris uiris recognoscat.

De P. Valerio Publicola.

Atq; ut ab incunabulis summi honoris incipiam, P. Valerius, qui populi maiestatem uenerando, Publicolæ cognomen assecutus est, cùm exactis Regibus, Imperij eorum uim uniuersam, omniaq; insignia sub titulo Consulatus in se tralata cerneret, inuidiosũ magistratus fastigium, moderatione sua ad tolerabilem habitum deduxit: fasces securibus uacuefaciẽdo, & in concione populo summittendo, numerum quoq; eorum dimidia ex parte minuit, ultro Spurio Lucretio Collega assumpto: ad quẽ, quia maior natu erat, priores fasces transferri iussit. legem etiam comitijs centuriatis tulit, ne quis magistratus ciuem Romanum aduersus prouocationem uerberare, aut necare uellet. Ita quò

quò ciuitatis conditio liberior esset, imperium suum paulatim destruxit. Quid quòd ædes suas diruit, quia excelsiore loco positæ, instar arcis habere uidebantur: non'ne quantum domo inferior, tantum gloria superior euasit?

De Furio Camillo.

Vix iuuat abire à Publicola, sed uenire ad Furium Camillũ libet, cuius tam moderatus ex magna ignominia ad summum imperium transitus fuit, ut cùm præsidiũ eius ciues captæ urbe à Gallis Ardeæ exulantis petiissent, non prius Veios ad accipiendũ exercitũ iret, quàm de Dictatura sua omnia solenni iure acta comperisset. Magnificus Camilli Veientanus triũphus, egregia Gallica uictoria, sed ista cunctatio longè admirabilior. Multò enim, multoq; seipsum quàm hostẽ superare operosius est: nec aduersa propera festinatione fugientem, nec secunda effuso gaudio apprehendentem.

De M. Rutilio Censorino.

Par Furio moderatione M. Rutilius Censorinus. Iterum enim Censor creatus ad concionem populum uocatum, quàm potuit grauissima oratione corripuit, quòd eam potestatem bis sibi detulisset, cuius maiores, quia nimis magna uideretur, tempus coarctandum iudicassent. Vterq; rectè, & Censorinus & populus: alter enim, ut moderatè honores crederent, præcepit: alter se moderato credidit.

De L. Quintio.

Agè L. Quintius Cincinnatus qualẽ COS. *gesſit? cùm honorem eius* P. C. *continuare uellent, non ſolùm propter illius egregia opera, ſed etiam quòd populus eoſdem Trib. in proximum annum creare conabatur, quorum neutrum iure fieri poterat: utrunq; diſcuſsit, Senatus ſtudium ſimul inhibendo, & tribunos uerecundiæ ſuæ exemplum ſequi cogendo: atque unus cauſa fuit, aut ampliſsimus ordo, populusq; tutus eſſet ab iniuſti facti reprehenſione.*

De Fabio Maximo.

Fabius uerò Maximus cùm à ſe quinquies, & à patre, auo, proauo, maioribusq; ſuis ſæpenumero Conſulatum geſtum animaduerteret, in comitijs, quibus filius ſuus ſummo conſenſu COS. *creabatur, quàm potuit conſtanter cum populo egit, ut aliquando uacationem huius honoris Fabiæ genti daret: non quòd uirtutibus filij diffideret, erat enim illuſtris, ſed ne maximum imperium in una familia continuaretur. Quid hac moderatione efficacius, aut ualentius? quæ etiam patrios affectus, qui potentiſsimi habentur, ſuperauit.*

De Africano ſuperiore.

Non defuit maioribus grata mẽs ad præmia ſuperiori Africano exoluenda. Siquidem maxima eius merita paribus ornamentis decorare conati ſunt. Voluerunt illi ſtatuas in comitio, in

tio, in Roſtris, in curia, in ipſa deniq; Iouis Optimi Maximi cella ponere: noluerunt imaginem eius triũphali ornatu indutam, Capitolinis puluinaribus applicare: noluerunt ei continuum per omnes uitæ annos Conſulatum perpetuamq; Dictaturam tribuere: quorum ſibi nil, neq; plebiſcito dari, neq; Senatuſconſulto decerni patiendo, penè tantum in recuſandis honoribus ſe geſsit, quantum egerat in merendis.

De eodem Africano.

Eodem robore mentis cauſſam Annibalis in Senatu protexit, cùm eum ciues ſui miſsis legatis tanquam ſeditiones apud eos mouentem accuſarent: adiecit quoq; non oportere P. C. *ſe Reipublicæ Carthaginienſium interponere: altiſsimáq; moderatione alterius ſaluti conſuluit, alterius dignitati, uictoriæ tenus, utriuſq; hoſtem egiſſe contentus.*

De M. Marcello.

At M. Marcellus, qui primus & Annibalem uinci, & Syracuſas capi poſſe docuit: cùm in Conſulatum eius Siculi de eo queſtũ in urbẽ uenisſent, nec Senatum ulla de re habuit, quia collega Valerius Leuinus ſortè aberat, ne ob id Siculi in querẽdo timidiores eſſent: & ut is rediit, ultrò de his admittẽdis retulit, querẽtesq; de ſe patienter ſuſtinuit: iuſſos etiam à Leuino diſcedere, remanere, ut ſuæ defenſioni intereſſẽt, coẽgit: ac deinde utraq; parte peroratã,

ta, etiam excedentes curia subsecutus est, quò liberius Senatus sententiam ferret: improbatis quoq; eorum querelis, supplices, & orantes, ut ab eo in clientelam recipercntur, clemenler excepit: super hæc Siciliam sortitus, eam prouinciam collegæ cessit. Toties laudatio Marcelli uariari potest, quoties nouis ipse gradibus moderatione aduersus socios usus est.

De Tib. Gracco tribuno pleb.

Quàm etiam Tiberius Gracchus admirabilem se exhibuit? Tribunus enim plebis cùm ex professo inimicitias cũ Africano, & Asiatico Scipionibus gereret, & Asiaticus indicatæ pecuniæ satisfacere non posset, atq; ideo à COS. in uincula publica duci iussus esset, appellasset q; collegium Tribunorum, nullo uolente intercedere, secessit à collegis, decretũq; composuit: nec quisquam dubitauit, quin eo scribendo, irati hostis aduersus Asiaticũ uerbis usurus esset. At is iurauit primùm, cum Scipionibus se in gratiam non redijsse: deinde tale decretum recitauit: Cùm L. Cornelius Scipio diu triumphi sui ante currum actos hostiũ duces in carcerem coniecerit, indignum, & alienum à maiestate P. R. uideri, eundem ipsum duci. Itaque id non passurum fieri. Libenter tũc opinionem suam P. R. à Gracco deceptam cognouit, moderationẽq; eius debita laude prosecutus est.

De C. Claudio Nerone.

Caius

Caius quoque Claudius Nero inter cætera præcipuæ moderationis exempla numerandus est. Liuij Salinatoris in Asdrubale opprimendo particeps gloriæ fuerat: & tamen cũ triumphantem equo sequi, quàm triumpho, quem ei Senatus æquè decreuerat, uti maluit, quia res in prouincia Salinatoris gesta fuerat. Sine curru ergo triumphauit, eò quidem clarius, quòd illius uictoria tantummodo laudabatur, huius etiam moderatio.

De Africano posteriore.

Nec Africanus quidem posterior nos de se patitur tacere: qui Censor, cùm lustrum conderet, inq; solito sacrificio scriba ex publicis tabulis solemni eius precationis carmine præiret, quo Dij immortales ut pop. Rom. res meliores, ampliores q; facerent, rogabantur: Satis, inquit, bonæ ac magnæ sunt. Itaq; precor, ut eas perpetuò incolumes seruent: ac protinus in publicis tabulis ad hũc modum carmen emẽdari iussit. Quæ uotorum uerecundia deinceps Censores in condendis lustris usi sunt. Prudenter enim sensit tunc incrementum Romano imperio petendum fuisse, cùm intra septimum lapidem triumphi quærebantur: maiorem autem totius terrarum orbis partem possidenti, ut auidum esset quicquam ultrà appetere: ita abunde felix, si nihil ex eo, quod obtinebat, amitteret. Neq; alia eius in Censura moderatio pro tribu-

nali apparuit: Centurias recognoscēs equitum, postquam C. Licinium Sacerdotem citatū processisse animaduertit: dixit illum se scire uerbis conceptis peierasse. Proinde si quis eum accusare uellet, usurum testimonio suo: sed nullo ad id negotium accedēte, Traduc equum, inquit, sacerdos, ac lucrisac censoriam notam: ne ego in tua persona, & accusatoris, & testis, & Censoris, & iudicis partes egisse uidear.

De Q. Scæuola.

Quod animi temperamentū citā in Quinto Scæuola excellentissimo uiro adnotatū est: testis nanq; in reum productus, quum id respondisset, quod salutem periclitanti magnopere lasurum uidebatur, discedens adiecit, ita sibi credi oportere, si & alij idem asseuerassent: quoniam unius testimonio aliquem credere pessimi esset exēpli: & religioni igitur suæ debitam fidem, & communi utilitati salubre consilium reddidit.

De Metello Macedonico.

Sentio quod ciues, quæ ue facta eorū ac dicta quam angusto ambitu orationis amplectar: sed cùm magna mihi, & multa breuiter dicēda sint, clarinate excellentibus infinitis personis, rebus q; circumfusus, utrunq; præstare nō possum. Itaq; propositi quoque nostri ratio non laudanda sibi omnia, sed recordanda sumpsit. Quapropter bona cū uenia duo Metelli Macedo

cedonicus, & Numidicus, maxima patriæ ornamenta, strictim se narrari patientur. Acerrimè cū Scipione Africano Macedonicus dissenserat, eorūq; ab æmulatione uirtutis profecta contentio, ad graues testatasq; inimicitias progressa fuerat. Sed tamen cùm interemptum Scipionē cōclamari audisset, in publicū se proripuit, mœstoq; uultu, & uoce cōfusa: Cōcurrite, concurrite, inquit, ciues, mœnia nostræ urbis euersa sunt. Scipioni enim Africano intra suos penates quiescēti, nefaria uis allata est. O Rēp. pariter Africani morte miserā, & Macedonici tam humana, tamq; ciuili lamentatione felicē. Eodem enim tēpore, & quantū amisisset principē, & qualem haberet, recognouit. Idem filios suos monuit, ut funebri eius lecto humeros subiicerent, atq; huic exequiarū, illum honorē uocis adiecit: Non fore, ut postea id officiū ab illis maiori uiro præstari posset. Vbi illa tot in curia iurgia? Vbi tam multæ pro rostris altercationes? Vbi maximorū ciuiū & ducum tantorū togata prælia? omnia nimirū ista præcipua ueneratione, pfequēda deleuit moderatio.

De Metello Numidico.

Numidicus autem Metellus, populari factione patria pulsus: in Asiā secesit: in qua, cùm ei fortè ludos Tralibus spectāti literæ redditæ essent, quibus scripti erat, maximo Senatus, & populi cōsensu, reditū illi in urbem de-

tum: non è theatro prius abijt, quàm spectaculum ederetur: non lætitiã suam proximè sedentibus ulla ex parte patefecit, sed summũ gaudium intra se continuit. Eundem constat pari uultu, & exulem fuisse, & restitutũ adeò moderationis beneficio, medius semper inter secũdas, et aduersas res animi firmitate uersat⁹ est.

De Catone posteriore.

De familijs in uno genere laudis enumeratis, Porcium nomẽ uelut expers huiusce gloriæ silentio prætereundum se negat. Posterior Cato non paruo summæ moderationis fisus indicio, Cypriacam pecuniam maxima cum diligẽtia & sanctitate in urbẽ deportauerat: cuius ministerij gratia Senatus relationẽ interponi iubebat, ut Prætorijs comitijs extra ordinẽ ratio eius haberetur: sed ipse id fieri passus non est, iniquum esse affirmans, quod nulli alij tribueretur, sibi decerni: ac nequid in persona sua nouaretur, campestrem experiri temeritatem, quàm curiæ beneficio uti, satius esse duxit.

De M. Bibulo.

Ad externa iam mihi exempla trãsire conanti, M. Bibulus uir amplissimæ dignitatis, & summis honoribus functus, manus iniecit: qui cùm in Syria moraretur prouincia, duos egregiæ indolis filios suos à Gabinianis militibus Aegypti occisos cognouit. Quorũ interfectores ad eũ uinctos, regina Cleopatra misit, ut

ut grauissimæ cladis ultionẽ, arbitrio suo exigeret: at ille oblato beneficio, quo nullum maius tribui lugenti potuerat, dolorem moderationi cedere coëgit, carnificesq; sanguinis sui, intactos cuestigio ad Cleopatram reduci iussit: dicendo, potestatem huius uindictæ nõ suã, sed Senatus esse debere.

EXTERNA.

De Archita Tarentino.

Tarentinus Architas, dum se Pythagoræ præceptis Metapõti penitus immergit, magno labore, longoq; tempore solidum opus doctrinæ complexus, postquàm in patriam reuertitur, ac rura sua reuisere cœpit, animaduertit negligentia uillici corrupta, & perdita: inuensq; malè meritum: Sumpsissem, inquit, à te supplicij, nisi tibi iratus essem: maluit enim impunitũ dimittere, quàm propter iram grauius iusto punire.

De Platone Philosopho.

Nimis liberalis Archytæ moderatio, temperatior Platonis: nam cùm aduersus delictum serui uehemẽtius exarsisset, ueritus ne ipse modum uindictæ dispicere non posset, Speusippo amico castigationis arbitrium mandauit, deforme sibi futurum existimans, si commissset, ut parem reprehensionem culpa serui, & animaduersio Platonis mereretur.

De eodem.

Quo minus miror, quòd in Xenocrate discipulo suo tam cõstanter moderatus fuit: audierat enim eum multa de se impiè locutum: sine ulla cunctatione criminationem repressit. instabat certo vultu index, quærens causam cur sibi fides non haberetur: adiecit, non esse credibile, ut quem tantopere amaret, ab eo invicem non diligeretur. Postremò cum ad iusiurandũ inimici asserentis malignitas confugisset, ne de periurio eius disputaretur, affirmauit nũquàm Xenocratem illa dicturum fuisse, nisi ea dici sibi expedire iudicasset. Non in corpore mortali, sed in arce cœlesti equidem armatũ animum eius uitiæ stationem putes peregisse, humanorum uitiorum incursus à se invicta pugna repellentem, cunctosq; virtutis numeros, altitudinis suæ sinu clausos custodientem.

De Syracusano Dione.

Nequaquam Platoni literarum commẽdatione par Syracusanus Dion: sed quod ad præstandam moderationem attinet, uehementioris experimenti. Patria pulsus à Dionysio tyranno, Megaram petierat: ubi cùm Theodorum principem eius urbis domi cõuenire uellet, neq; admitteretur, multùm diuq; ante fores retentus, comiti suo, Patienter hoc ferendum est, ait: forsitan enim & nos cum in gradu dignitatis nostræ essemus, aliquid tale fecimus: qua trãquillitate consilij, ipse sibi conditionem exilij placid-

placidiorem reddidit.

De Thrasybulo.

Thrasybulus etiã hoc loci apprehendendus est: qui populum Atheniensem XXX. tyrãnorum sæuitia sedes suas relinquere coactum, dispersamq;, & uagam uitã miserabiliter exigentem, animis pariter, atq; armis confirmatum, in patriam reduxit. Insignem deinde restitutione libertatis uictoriam clariorem aliquantò moderationis laude fecit. Plebis enim scitum interposuit, nequa præteritarum rerum mentio fieret: hæc oblivio, quam Atheniensες ἀμνηστίαν uocant, concussum, & labentem ciuitatis statum, in prisĩnum habitũ reuocauit.

De Stasippo Tegeate.

Non minoris admirationis illud: Stasippus Tegeates, hortãtibus amicis, ut grauem in administratione Reipublicæ æmulum, sed alioqui probum & ornatum uirum qualibet ratione uel tolleret, uel summoueret: negauit se facturum, ne quem in tutelam patriæ bonus ciuis locum obtineret, malus & improbus occuparet: seq; potius uehementer aduersario urgeri, quàm patriam egregio aduocato carere, præoptauit.

De Pittaco.

Pittaci quoque moderatione pectus instructum, qui Alcæum poetam, & amaritudine odij, & uiribus ingenij aduersus se pertinacissimè

simè usum, tyrannidem à ciuibus Mitylenæ delatam adeptus, tantummodo quid in opprimendo posset, admonuit.

De Septem sapientibus.

Huius uiri mentio subijcit, ut de septem sapientum moderatione referã. A piscatoribus in Milesia regione uerriculũ trahentibus, quidam iactum emerat: extracta deinde magni põderis aurea Delphica mensa, oria cõtrouersia est: illis piscium se capturam uendidisse affirmantibus, hoc fortunæ ductus emisse dicentes: qua contentione propter nouitatem rei, & magnitudinem pecuniæ, ad uniuersum eius ciuitatis populũ delata, placuit Apollinem Delphicum consuli, cuinam adiudicari mensa deberet. Deus respondit: illi esse dandam, qui sapientia cæteros præstaret: his uerbis Græcis:

Ἔγγυς μιλήτου τρίποδ' κεῖσθαι φοίβου ἐρωήσας·
Ὅς σοφίην πάντων πρῶτος, τοῦτῳ τρίποδ' ἄγειν

Tũc illi consensu Thalei mensam dederunt: ille cessit eam Bianti: Bias Pittaco: is protinus alij: deinceps; per omniũ septem sapientum orbem, ad ultimum, ad Solonem peruenit: qui & titulum amplissimæ prudẽtiæ, & præmium ad ipsum Apollinem transtulit.

De Theopompo.

Atq; ut Theopõpo quoq; Spartanorũ regi moderationis testimoniũ reddamus: cùm primus instituisset, ut Ephori Lacedæmone creaventur

ventur, ita futuri regiæ potestati oppositi, quẽadmodum Romæ Consulari imperio Tribb. pl. sunt obiecti: atq; illi uxor dixisset, id egisse illum, ut filijs minorem potestatem relinqueret: Relinquam, inquit, sed diuturniorem. Optimè quidem: ea enim demum tuta potentia, quæ uiribus suis modum imponit. Igitur Theopompus legitimis regnum uinculis constringendo, quò longius à licentia retraxit, hoc ad beneuolentiam ciuium propius admouit.

De Antiocho.

Antiochus autẽ à L. Scipione ultra Taurũ mõtem imperij finibus summotus, cùm Asiã prouinciam, uicinasq; ei gentes amisisset: gratias agere pop. Rom. non dissimulanter tulit, quòd nimis magna procuratione liberat⁹, modicis regni terminis uteretur. Et sanè nihil est tam præclarum, aut tam magnificũ, quod non moderatione temperari desyderet.

DE IIS QVI EX INIMICIS, iuncti sunt amicitia, & necessitudine. CAP. II.

Quæ, quoniã multis & claris autoribus illustrata est, trãsgrediamur ad egregium humani animi affectũ, quem ab odio ad gratiam deflexum, & quidem cum læto stylo prosequamur: nam sicut placidum mare ex aspero, cœlumq; ex nubilo serenũ hilari aspectu sentitur: sic bellum pace mutatum, plurimum

num gaudij affert: offensarũ etiam acerbitas deposita, candida relatione celebranda est.

De M. Aemilio Lepido.

Marcus Aemilius Lepidus bis COS. *& Pont. Max. splendorisq; honorũ par uitæ grauitate, diutinas, ac uehemẽtes inimicitias cum Fuluio Flacco eiusdẽ amplitudinis uiro gessit: quas, ut simul Censores renũciati sunt, in campo deposuit: existimans non oportere eos priuatis odys dissidere, qui publicè summa iuncti essent potestate. id iudiciũ animi eius & præsens ætas comprobauit, & nobis ueteres Annalium scriptores laudandum tradiderunt.*

De Sex. Liuio Salinatore.

Sicuti Liuij quoq; Salinatoris finiendarum simultatũ illustre consiliũ ignotum posteritati esse noluerũt. Is nanq; etsi Neronis odio ardens in exiliũ profectus fuerat, testimonio eius præcipuè afflictus, tamen postquàm eum inde reuocatũ cines collegam illi in consulatũ dederunt, & ingenij sui, quod erat acerrimum, & iniuriæ, quam grauissimã acceperat, obliuisci sibi imperauit: ne si dissidente animo consortium imperij usurpare uoluisset, pertinacẽ exhibendo inimicum, malum COS. *ageret: quæ quidem mentis ad tranquilliorem habitum inclinatio, in aspero ac difficili temporum articulo plurimum salutis urbi nostræ, atque Italiæ attulit: quia pari uirtutis impetu connixis terrib*

terribiles Punicas uires contuderunt.

De Africano, & Tiberio.

Clarũ etiam in Africano superiore, ac Tib. Graccho depositarũ inimicitiarũ exemplum. siquidem ad cuius mensæ sacra odio dissidentes uenerant, ab ea & amicitia, & affinitate iuncti discesserunt: non contentus enim Scipio autore senatu, in Capitolio, Iouis epulo cum Graccho concordiam cõmunicasse, filiam quoque ei Corneliam protinus ibidem despondit.

De Cicerone.

Sed huiusce generis humanitas etiã in M. Ciceronę præcipua apparuit. A nanq; Gabinium repetundarũ reum summo studio defendit, qui cum in consulatu suo urbe expulerat. Idemq; P. Vatiniũ dignitati suæ semper infestum, duobus publicis iudicijs tutatus est, ut sine ullo crimine leuitatis, ita cum aliqua laude. Quia speciosi⁹ aliquãtò iniuriæ beneficijs uincuntur, quam mutui odij pertinacia pensantur.

De P. Pulchro.

Ciceronis autẽ facti adeò uisum est probabile, ut imitari id ne inimicissimus quidem illi P. Cl. Pulcher dubitauerit: qui incesti crimine à tribus Lentulis accusatus, unum ex his ambitus reum patrocinio suo protexit, atq; in animum induxit, & iudicẽ, & Prætorem, & testem, Vestæ ædem intuẽs, amicũ Lentulo agere. Intra quam ille salutem eius fœdo crimine

obrucre

obruere cupiens, hostili uoce perorauerat.

De Caninio Gallo.

Caninius autem Gallus reum pariter, atque accusatorem admirabilem egit, & C. Antonij, quem damnauerat, filiam in matrimonium ducendo, & M. Colonium, à quo damnatus fuerat, rerum suarum procuratorem habendo.

De Cælio Rufo.

Cælij uerò Rufi ut uita inquinata, ita misericordia, quam Qu. Pompeio præstitit, probanda: cui à se publica quæstione prostrato, cùm mater Cornelia fidei commissa prædia nõ redderet, atque iste auxilium suum literis implorasset, pertinacissimè absenti affuit. Recitauit & eius epistolam in iudicio ultimæ necessitatis indicem, qua impiam Corneliæ auaritiam subuertit: factum propter nimiam, & eximiã humanitatem, ne sub Cælio quidem autore repudiandum.

DE ABSTINENTIA, ET Continentia. CAP. III.

MAgna cura, præcipuoq; studio refereᷣdum est, quãtopere libidinis, & auaritiæ furori simi les impetus, ab illustrium uirorũ pectoribus, consilio ac ratione summoti sunt: quia ij demum penates, ea ciuitas, id regnum æterno in gradu facilè steterit, ubi minimũ uirium Veneris, pecuniæq; cupido sibi nẽdicauerit. Nam quò istæ generis humani ceriissimæ pestes

pestes penetrauerint: iniuria dominatur, infamia flagrat: igitur contrarios his tam diris uitijs mores commemoremus.

De Scipione.

Quartum & uicesimum annum agens Scipio, cùm in Hispania Carthagine oppressa, maioris Carthaginis capiendæ sumpsisset auspicia, multosq; obsides, quos in ea urbe Pœni clausos habuerãt, in suam potestatem redegisset, eximiæ inter eos formæ uirgine, ætatis adultæ, & iuuenis, & cœlebs, & uictor, postquàm cõperit illustri loco inter Celtiberos natam, nobilissimoq; gentis eius Indibili despõsatam, accersitis parẽtibus, & sponso inuiolatam tradidit, aurum quoque quod pro redemptione puellæ allatum erat summæ dotis adiecit. Qua continentia, ac munificentia, Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicando, meritis eius gratiã debitã retulit.

De M. Catone.

Verùm ut huius uiri abstinentiæ testis Hispania, ita M. Catonis Epiros, Achaïa, Cyclades insulæ, maritima pars Asiæ, prouinciæ Cypros. Vnde cùm pecuniæ deportandæ ministeriũ sustineret, tam auersum animũ ab omni nenere, quàm à lucro habuit, in maxima utriusque intẽperantiæ nersatus materia: nam & regiæ diuitiæ potestate ipsius cõtinebantur, & fertilissimæ delitiarũ totius Græciæ urbes, ne-

cessaria totius nauigationis diuerticula erant atq; id Munatius Rufus, Cypriacæ expeditionis fidus comes scriptis suis significat: cuius testimonium non amplector: proprio enim argumento laus ista nititur, quoniam ex eodem naturæ utero & continentia nata est, & Cato.

De Druso Germanico.

Drusum etiam Germanicum eximiã Claudiæ familiæ gloriam, fratrẽ Tiberij, patriæq; rarum ornamentum, & quod super omnia est, operum suorum pro habitu ætatis magnitudine, uitrico pariter, ac fratri Augusto duobus Reipub. diuinis oculis, mirificè respondentem, constituit, usum Veneris intra coniugis charitatem clausum tenuisse.

De Antonia.

Antonia quoq; fœmina laudibus uirilẽ familiæ suæ claritatem supergressa, amorem mariti sui egregia fide pensauit: quæ post eius excessum, forma & ætate florens, cubiculum soceri pro coniugio habuit: in eodemq; toro alterius adolescentiæ uigor extinctus est, alterius nidoris experientia consenuit. Hoc cubiculum talibus experimentis summam imponat.

De Cn. Martio.

Deinceps his uacemus, quorum animus aliquo in momento ponendi pecuniam nunquam uacauit. Cn. Martius patritiæ gentis adolescẽs, Anci regis clara progenies, cui Corioli Volscorum

Scorum oppidum captum cognomen adiecit, cùm editis conspicuæ fortitudinis operibus à Posthumio Comminio COS. accurata oratione apud milites laudatus, omnibus donis militaribus, & agri C. iugeribus, & decem captiuorũ electione, & totidem ornatis equis, centenario boum grege, argentoq;, quantum sustinere ualuisset, donaretur: nihil ex his, præter unius captiui salutẽ hospitis, equumq;, quo in acie uteretur, accipere uoluit. Qua tam circumspecta animi moderatione, nescias utrũ maiore cum laude præmia meruerit, an reiecerit.

De M. Curio.

Marcus autem Curius exactissima normæ Romanæ frugalitatis, idemq; fortitudinis perspectissimum specimen, Samnitũ legatis agresti se in scamno assidentẽ foco, ac ligneo catino cœnantẽ (quales epulas, apparatus indicio est) spectandũ præbuit. Ille enim Samnitũ diuitias contempsit. Samnites eius paupertatem mirati sunt. nam cùm ad eum magnum auri pondus publicè missum attulissent, benignis uerbis inuitatus, ut eo uti uellet, uultum risu soluit: protinusq;, Superuacuæ, inquit, ne dicam inceptæ legationis ministri, narrate Samnitibus, M. Curiũ malle locupletibus imperare, quàm ipsum fieri locupletem: atque istud ut pretiosum, ita malo hominum excogitatum, munus refertote, & memẽtote me nec acie uinci,

nec pecunia corrumpi posse. Idem cùm Italiã Pyrrhũ regem exegisset, nihil omnino ex præda regia, quæ exercitum, urbemq; diuauerat, attigit: decretis etiam à Senatu septenis iugeribus agri populo, sibi autem quinquaginta, popularis assignationis modum non excessit: parum idoneum Reipub. ciuem existimans, qui eo quod reliquis tribueretur contẽtus non esset.

De Fabricio Lucino.

Idem sensit Fabricius Lucinus honoribus, & autoritate omni ciuitate tẽporibus suis maior, censu par unicuiq; pauperrimo: qui à Samnitibus, quos uniuersos in clientela habebat, decem æris, & quinq; pondo argẽti, totidemq; seruos sibi missos, in Samniũ remisit, cõtinẽtiæ suæ beneficio sine pecunia prædiues, sine usu fastu miliæ abũde comitatus: quia locupletẽ illũ faciebat, non multa possidere, sed modica desyderare: ergo domus eius, quemadmodum ære, & argento, & mancipijs Samnitũ uacua, ita gloria, ex his contemptis parta, referta fuit.

De eodem Fabricio.

Consentaneæ repudiatis donis Fabricij uotæ extiterunt: legatus enim ad Pyrrhũ profectus, cùm apud eum Cyneã Thessalũ narrantẽ audisset, quendã Atheniensem clarũ sapientia, suadentem ne quid aliud homines, quàm uoluptatis causa facere uellẽt: pro monstro eam uocem accepit, continuoq; Pyrrho, & Samnitibus

bus istam sapientiã deprecatus est. Licet Athenæ doctrina sua glorientur, uir tamen prudẽs, Fabricij detestationem, quàm Epicuri maluit præcepta: quod euentus quoq; indicauit. Nam quæ urbis uoluptati plurimum tribuit, imperium maximum amisit: quæ labore delectata est, occupauit: & illa libertatem tueri non ualuit, hæc etiam donare potuit.

De Q. Tuberone Catelio.

Curij, & Fabricij Qu. Tuberonẽ cognomine Catelium, discipulum fuisse meritò quis existimauerit: cui consulatum gerẽti, cùm Aetolorum gens omnis usus uasa argentea, magno pondere, exquisita arte fabricata, per legatos misisset: qui superiori tẽpore gratulandi causa ad eum profecti uetulerant, fictilia se in eius mensa uasa uidisse, monitos ne cõtinentiæ quasi paupertati succurrendũ putarent, cùm suis sarcinis abire iussit. Quàm bene Aetolicis domestica prætulerat, si frugalitatis eius exemplum potior ætas sequi uoluisset? Nunc quò uentum est? à seruis uix impetrari potest, ne eam supellectilem fastidiant, qua uti COS. non erubuit.

De Paulo Aemilio.

At Perse rege deuicto, Paulus cùm Macedonicis opibus ueterẽ, atq; hæreditariã urbis nostræ paupertatem eò usque satiasset, ut illo tempore primum Pop. Rom. tributi præstandi onere se liberaret, penates suos nulla ex parte

locupletiores fecit: præclarè secum actum existimans, quòd ex illa victoria alij pecuniam, ipse gloriam occupasset.

De Q. Fabio Gurgite, G. Numerio, Fabio Pictore, & Q. Vgolino.

Atque huic animi eius iudicio Q. Fabius Gurges, C. Numerius, Fabij Pictor, Q. Vgolinus se subscripserunt: qui legati ad Ptolemæum regem missi munera, quæ ab eo priuatim acceperant in ærarium quidē prius, quàm ad senatum legationem referrent, detulerunt: scilicet de publico ministerio nihil cuiquam, præter laudem bene administrati officij, accedere debere iudicātes. Iam illud humanitatis senatus, & attentæ maiorum disciplinæ indicium est: data sunt legatis, quæ in ærariū reposuerāt, non solùm patrum C. decreto, sed etiam populi permissu, eáque legatis Quæstores prompte unicuique distribuerunt. Ita in ijsdem, Ptolemæi liberalitas legatorum abstinentia, senatus ac populi æquitas debitam probabilis facti portionem obtinuit.

De Calpurnio Pisone.

Fabiorum & Vgolini continentiæ Calpurnium Pisonem in cōsimili genere laudis æmulū fuisse res ipsa documento est. COS. graui fugitiuorum bello à se liberata Sicilia, eos, quorum præcipua opera usus fuerat imperatorio more donis prosequebatur: inter quos filium suum

aliquot locis præliatum fortissimè, titulo trium librarum aureæ coronæ decorauit, præfatus non oportere à magistratu è publica pecunia erogari, quod in ipsius domū rediturum esset: tantumque ponderis se testamento adolescenti legaturum promisit, ut honorē publicè à duce, pretium priuatim à patre reciperet.

De Catone superiore.

Age siquis hoc seculo uir illustris pellibus hœdinis prostragulis utatur, tribusq; seruis comitatus Hispaniam regat, & quingentorum assium sumptu transmarinā prouinciā petat, eodem cibo eodemq; uino, quo nautæ, uti contentus sit, non ne mirabilis existimetur? Atqui ista patientissimè superior Cato tolerauit, quia illū grata frugalitatis consuetudo, in hoc genere uitæ, cum summa dulcedine continebat.

De Catone posteriore.

Multum à prisca continentia spatio annorum posterior Cato discedit, utpote in ciuitate iam diuite & lautitia gaudente natus: is tamen cùm bellis ciuilibus interesset, filium secū trahens, duodecim seruos habuit, numero plures, quàm superior: temporum diuersis moribus, pauciores. Exultat animus maximorum uirorum memoriam percurrens.

De Scipione Aemiliano.

Scipio Aemilianus post duos inclytos consulatus, totidemque suæ præcipuæ gloriæ

triumphos, septem seruis sequentibus officio legationis functus est: & puto Carthaginis, ac Numantiæ spoliis cõparare plures potuerat, nisi operum suorum ad se laudem, manubias ad patriam redundare maluisset. Itaque cùm per socios, & exteras gentes iter faceret, non mancipia eius, sed uictoriæ numerabantur: nec quantum auri, & argenti, sed quantum amplitudinis pondus secum ferret, æstimabatur. Continentia uerò etiam uniuersis plebis animis sæpenumero cognita est. sed abundè erit ex his duo exempla, longè inter se distantium seculorum, retulisse.

De Pyrrho.

Pyrrhus impetus sui terrore soluto, ac iam Epiroticis armis languentibus, benevolentiam Pop. Rom. mercari, quia uirtute debilitare nequiuerat, cupiens: penè totum regiarum opum apparatum in urbem nostram transtulit. Cæterùm cùm & magni pretij, & uarij generis à legatis eius, tam uirorum, quàm fœminarũ apta usui munera circa domos ferrentur, nulla cuiquam dono ianua patuit. Tarentinæq; petulantiæ animosius magis, quàm efficax defensor, haud scio maiore cum gloria huius urbis armis, quàm moribus repulsus sit.

De C. Mario, & L. Cinna.

In illa quoq; procella, quam C. Marius, & L. Cinna Reipub. inflixerant, abstinentia Pop. Rom. mirifica conspecta est. Nam cùm à sæ proscriptorũ penates, uulgi manibus diripiendos abiecissent, inuenivi potuit nemo, qui ciuili luctu prædam peteret. Vnus enim quisq; se ab his perinde ac sacris ædibus abstinuit. Quæ quidem tam miscricors continentia plebis, tacitum crudelium uictorum conuitium fuit.

EXTERNA.

De Pericle.

Ac ne eiusdem laudis commemorationem externis inuideamus: Pericles Atheniensium princeps, cùm tragœdiarum scriptorẽ Sophoclem in Prætura collegam haberet, ac is publico officio unà districtus, pueri ingenui prætereuntis formã impensioribus uerbis laudasset: intemperantiam eius increpitans, dixit: Prætoris non solùm manus à pecuniæ lucro, sed etiam oculos à libidinoso aspectu continentes esse debere.

De Sophocle.

Sophocles autem ætate iam senior, cùm ab eo quidam quæreret, an etiammum rebus uenereis uteretur: Dij meliora, inquit. Libenter enim istinc tanquam ex aliqua furiosa profugi dominatione.

De Xenocrate.

Æquè abstinentis senectæ Xenocratẽ fuisse accepimus, cuius opinionis non parua fides erit narratio, quæ sequitur. In peruigilio Phryne nobile Athenarum scortum, iuxta cum

uino graue accubuit, pignore cum quibusdam iuuentibus posito, an ipsa perantia eius corrũpere posset: quã nec tactu, nec sermone aspernatus, quoad uoluerat in sinu suo moratam, propositi irritã dimisit: factum sapientia imbuti animi abstinẽs. Sed meretriculæ quoq; dictũ perquàm facetũ: deridẽtibus enim se adolescẽtibus, quia tam formosa, tamq; elegans, poti senis animũ illecebris pellicere non potuisset, pactumq; victoriæ pretiũ flagitãtibus: De homine se cum ijs, nõ de statua pignus posuisse respondit. Potest'ne Xenocratis cõtinentia à quoquã magis uerè, magisq; propriè demonstrari, quàm ab ipsa meretricula expressa est? Phryne pulchritudine sua, nulla ex parte cõstantissimam eius continentiã labefecit. Quid rex Alexander? diuitijs eum quatere potuit? ab illo quoq; statuã equidẽ æquè frustra tentatã putes. legatos ad eum cum aliquot talẽtis miserat, quos in Academiã perductos, solito sibi, id est, modico apparatu, & admodum paruulis copijs excepit: postero die interrogantibus, cuinam adnumerari pecuniam uellet: Quid? nos (inquit) hesterna cœna non intellexistis, ea me non indigere? Ita Rex Philosophi amicitiam emere noluit: Philosophus Regi suam uendere noluit.

De Diogene.

Alexander uerò cognomen inuicti assecutus, continentiam Diogenis Cynici uincere non potuit

potuit: ad quem, cùm in sole sedentem accessisset, hortaretur q; ut siqua sibi præstari uellet, indicaret: quemadmodum erat in crepidine collocatus, sordidæ appellationis, sed robustæ uirtutis: Mox inquit, de cæteris: interim uelim à Sole mihi non obstes. Quibus uerbis illa nimirum inhæsit sententia: Alexander Diogenem gradu suo diuitijs pellere tentat, celerius Darium armis. Idem Syracusis, cùm olera ei lauanti Aristippus dixisset, si Dionysio adulari uelles, ista non esses. Imò inquit, si tu ista esse uelles, Dionysio non adulareris.

DE PAVPERTATE.

CAP. IIII.

De Cornelia.

Maxima ornamenta esse matronis liberos, apud Poponiũ Rufum Collectorum libro sic inuenimus: Cornelia Gracchorum mater, cùm Cãpana matrona apud illam hospita, ornamenta sua pulcherrima seculi illius ei ostenderet: traxit eam sermone, quousq; è schola redirent liberi: & hæc, inquit, ornamenta mea sunt. Omnia nimirum habet, qui nihil concupiscit: cò quidem certius, quàm qui cuncta possidet: quia dominium rerum collabi solet, bonæ mentis usurpatio nullam tristioris Fortunæ recipit incursum. Itaque quorsum attinet, aut diuitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in ultimo miseriarum statu ponere?

ponere? cùm & illarũ frons hilaris, multis intus amaritudinibus sit referta: & huius horridior aspectus, solidus, et certis bonis abũdet: q̃d melius personis, quàm uerbis repræsentabitur.

De Valerio Publicola.

Regio imperio propter nimiam Tarquinij superbiam finito, consulatus initium Valerius Publicola cum Iunio Bruto auspicatus est. Idemq́; postea tres consulatus acceptißimos Pop. Rom. gessit: & plurimorũ, ac maximorũ operum prætextu, titulum imaginum suarum amplificauit: cum interim fastorum illud columen, patrimonio ne ad exequiarum quidem impensam sufficiente decessit, ideoq́; publica pecunia ductæ sunt. non attinet ulteriore disputatione tanti uiri paupertatẽ scrutari. Abũde enim patet, quid uiuus possederit, cui mortuo lectus funebris, & rogus defuit.

De Menenio Agrippa.

Quantæ amplitudinis M. Menenĩ Agrippam fuisse arbitremur, quẽ Senatus, & Plebs pacis inter se faciendæ autorem elegit? quantæ scilicet esse debuit arbiter publicæ salutis. Hic nisi à populo collatis in capita sextantibus funeratus esset, ita pecuniæ inops decessit, ut sepulturæ honore caruisset: uerùm iccirco perniciosa seditiõe diuidua ciuitas, manib⁹ Agrippæ in unum contrahi uoluit: quia eas pauperes quidem, sed sanctas animaduerterat: cuius ut

superstitis nullum fuit, quod in censum deferretur, ita extincti, hodie quod amplißimum est, patrimonium, Romana concordia.

De Caio Fabricio & Qu. Aemilio.

In C. uerò Fabricij, & Qu. Aemilij Pappi principum seculi sui domibus, argentum fuisse confitear oportet: uterq; enim patellam Deorum, & salinam habuit. Sed eo lautius Fabricius, quòd patellam suam corneo pediculo sustineri uoluit. Pappus quoq; satis animosè, qui, cũ hæreditatis nomine ea accepisset, religionis causa abalienanda nõ putauit. Illi etiam prædiuites, qui ab aratro accersebantur, ut COSS. fierent, uoluptatis causa sterile, atq; æstuosißimum Pupiniæ solum uersabant: delitiarumq́; ignari, uastißimas glebas plurimo cum sudore dißipabant: imò uerò quos pericula Reipub. Imperatores accersebant, angustiæ rei familiaris (quid cesso proprium nomen ueritati reddere?) bubulcos fieri cogebant.

De Attilio Calatino.

Attilium autem, qui ad eum accersendum à Senatu missi erant ad imperium pop. Ro. suscipiendũ, semen aspergentem uiderunt: sed illæ rustico opere attritæ manus, salutem publicam stabilierunt: ingentes hostiũ copias pessundederunt: quæq; modo arantium boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt: nec fuit ijs rubor, eburneo scipione deposito,

agrestem sliuam aratri repetere. Potest pauperes consolari Atilius, sed multò magis docere locupletes, quàm non sit necessaria solidæ laudis cupidini, anxia diuitiarum comparatio.

De Attilio Regulo.

Eiusdem nominis & sanguinis Atilius Regulus, primi Punici belli gloria, cladesq; maxima: cùm in Africa insolentissimæ Carthaginis opes, crebris victoriis contunderet, ac prorogatum sibi ob bene gestas res in proximum annum imperium cognouisset, Consulibus scripsit: uillicum in agello, quem septem iugerum in Pupinia habebat, mortuum esse, occasionemq; nactum mercenarium amoto inde rustico instrumento discessisse: ideoq; petere, ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro, non esset unde uxor, ac liberi sui alerentur. Quæ postquàm Senatus à COSS. accepit, & agrū alij uillico colendum locari, & alimenta coniugi eius, ac liberis præberi, resq;, quas amiserat, redimi publicè iussit. Tanti ærario nostro uirtutis Atilianæ exemplum, quo omnis ætas Romana gloriabitur, steit.

De Quintio Cincinnato.

Aequè magna latifundia L. Quintij Cincinnati fuerunt: septem enim iugera agri possedit: ex his tria, quæ pro amico ad ærarium obsignauerat, multæ nomine amisit. pœnam quoq; pro filio Cæsone, quòd ad causam dicendam non occurrisset, huius agelli reditus soluit: & tamen ei quatuor iugera aranti, non solùm dignitas patriæ familiæ constitit, se etiam dictatura delata est. Angustè se habitare nunc putat, cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.

De Aelia familia.

Quid Aelia familia, quàm locuples? sexdecim eodē tempore Aelij fuerunt, quibus una domuncula fuerat eodem loci, quo nunc sunt Mariana monimenta: & unus in agro Veiēte fundus, minus multò cultores desiderās, quàm dominos habebat. Inq; maximo circo Flaminio spectaculi locus: quæ quidem loca ob uirtutem publicè donata possidebant. Eadem gēs nullum amiè scrupulum argenti habuit, quàm Paulus Perse rege deuicto, Q. Aelio Tuberoni genero suo quinq; pondo argenti ex præda donaret. Taceo enim quòd princeps ciuitatis filiā ei nuptui dedit, cuius pecunia tā ieiunos penates uidebat: quin ipse quoq; adeo inops decesset, ut nisi fundus, quem unum reliquerat uenisset, uxor eius dotem unde reciperet, non extitisset. Animi uirorum, & fœminarum uigebāt in ciuitate: eorumq; bonis dignitatis æstimatio cunctis in rebus pōderabatur: hæc imperia concilabant, hæc immgebant affinitates: hæc in foro, hæc in curia, hæc intra priuatos parietes plurimum poterant: patriæ enim rem unusquisq;

non suam augere properabat: pauperq; in diuite, quàm diues in paupere imperio uersari malebat: atq; huic tam præclaro proposito illa merces reddebatur, quòd nihil eorum, quæ uirtuti debentur, emere pecunia licebat, inopiaq; illustrium uirorum publicè succurrebatur.

De Cn. Scipione.

Itaq; cum secundo Punico bello Cn. Scipio ex Hispania Senatui scripsisset, petens ut sibi successor mitteretur, quia filiam uirginem adultæ iam ætatis haberet, neq; ei sine se dos expediri posset: Senatus ne Respub. bono duce careret, patris sibi partes desumpsit: consilioq; uxoris, ac propinquorum Scipionis constituta dote summam eius ex ærario erogauit, ac puellam nuptui dedit, dotis modus XL. millia æris fuit: qua nõ solùm humanitas Patrum C. sed etiam habitus ueterum patrimoniorũ cognosci potest: nanq; adeò fuerunt arcta, ut Tatia Cæsonis filia maximam dotem ad uirum X. millia æris attulisse uisa sit: & Megulia, quia cum quingentis millibus æris mariti domum intrauit, Dotatæ cognomen inuenerit. Idem Senatus Fabricij Lucini, Scipionisq; filias ab indotatis nuptijs liberalitate sua uindicauit: quoniam paternæ hæreditati præter optimam gloriam, nihil erat quod acceptum referret.

De M Scauro.

Marcus autem Scaurus, quantulam à patre hæredi

hæreditatem accepit, in primo libro eorũ, quos de uita sua scripsit, refert: ait enim sibi decem sola mancipia, totumq; censum quinq; atq; triginta millium numũm relictum: in hac enim ille pecunia futurus Senatus princeps nutritus est spiritus. Hæc igitur exempla respicere, his acquiescere solatijs debemus, qui paruulos census nostros nunquam querelis uacuos esse sinimus. Nullum autem uel admodum parui penderis argentum, paucos seruos, septem iugera aridæ terræ, indigentia domestica impensa funera, inopes dotum filias, sed egregios Consulatus, mirificas Dictaturas, innumerabiles triũphos cernimus. Quid ergo mendicã Fortunam quasi præcipuum generis humani malum, diuturnis conuitijs laceramus? quæ ut non abundãtibus, ita fidis uberibus Publicolas, Æmilios, Fabricios, Curios, Scipiones, Scauros, hisq; paria robora uirtutis aluit. Exurgamus potius animis, pecuniaq; aspectu debilitatos spiritus, pristini temporis memoria recreemus: nanque per Romuli casam, perq; ueteris Capitolij humilia tecta, & æternos Vestæ focos fictilibus etiammum uasis contentos, iuro, nullas diuitias, paupertati talium uirorum posse præferri.

DE VERECVNDIA. CAP. V.

Equa tẽpestiuus ad Verecundiã transitus uidetur. Hæc enim iustissimis uiris præcipit, ut priuatas facultates negligerent,

publicas quàm amplissimas esse cuperent, digna cui perinde ac cœlesti numini templa exstruantur, aræq; consecrentur: quia parens est omnis honesti consilij, tutela solennium officiorum, magistra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore fauorabilem præ se ferens uultum.

De populi uerecundia.

Sed ut à laudibus eius ad facta ueniamus, à condita urbe usq; ad Africanum, & Tiberium Longum COSS. promiscuus Senatui & populo spectãdorum ludorum locus erat: nunquam tamẽ quisquam ex plebe in theatro ante P. C. spectare sustinuit. Adeò circũspecta nostræ ciuitatis uerecundia fuit. Quæ quidem certissimum sui documentum etiam illo die exhibuit, quo L. Flaminius extrema in parte theatri constitit, qui à M. Catone, & L. Flacco censoribus Senatu motus fuerat cõsulatus iam honore defunctus, frater etiã T. Flaminij, Macedoniæ, Philippiq; uictoris: omnes enim eũ trãsire in locum dignitati suæ debitum coëgerunt.

De Terentio Varrone.

Confregit Rempub. Terentius Varro Cãnensis pugnæ temerario ingressu: idem delatam sibi ab uniuerso Senatu & populo dictaturam recipere non sustinendo, pudore culpam maximæ cladis redemit: effecitq;, ut acres deorum iræ modestia ipsius moribus imputarentur. Itaq;

Itaq; titulo imaginis eius speciosius non recepta. Dictatura, quã aliorũ gesta adscribi potest.

De Cn. Scipione & Scriba Cicereio.

Nos autem ad præclarum uerecundiæ opus transgrediamur. Magna cum inuidia fortunæ Prætorijs comitijs Africani superioris filium Cn. Scipionem, & Scribam Cicereium in campum deduxerat, utq; nimis impotens sermone uulgi carpebatur, quòd tanti uiri sanguinem clientelamq; comitiali certamine confuderat. Cæterùm crimen eius in suam laudem Cicereius conuertit. Nam ut uidit omnibus se centurijs Scipioni anteferri, templo descendit, abiectaq; candida toga competitoris sui suffragatorem agere cœpit, ut scilicet Præturam melius Africani memoriæ concederet, quàm sibi uendicaret. necnon, etsi maximo uerecundiæ pretio, Scipio tunc honorem adeptus est: Cicereio tamen magis gratulati sunt.

De L. Crasso.

Ac ne protinus comitijs abeamus, consulatum petens L. Crassus, cùm omnium candidatorum more, circum forum supplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit, ut id præsente Q. Scæuola grauissimo, & sapientissimo uiro socero suo faceret. Itaq; rogabat eum, ut à se dum ineptæ rei inseruiret, discederet: maiorem uerecundiam dignitatis eius, quàm candidæ togæ suæ respectum agens.

De Pompeio Magno.

Pompeius autem Magnus, Pharsalica acie uictus à Cæsare, cùm postero die Larissam intraret, oppidiq; illius uniuersus populus obuiã ei processisset: Ite, inquit, & istud officium præstate uictori. Dicerem, non dignus qui uinceretur, nisi à Cæsare esset superatus: certè modestius in calamitate. Nam quia dignitate sua uti iam non poterat, usus est uerecundia.

De C. Iul. Cæsare.

Quam præcipuã in Caio quoq; Cæsare fuisse sæpenumero apparuit, & ultimus eius significauit dies: compluribus enim parricidarum uiolatus mucronibus, inter ipsum illud tempus, quo diuinus spiritus mortali secernebatur à corpore, ne tribus quidem & uiginti uulneribus, quin uerecundiæ obsequeretur, absterreri potuit: siquidem utraq; toga manu demisit, ut inferior pars corporis tecta collaberetur. In hunc modum non homines expirant, sed Dij immortales sedes suas repetunt.

EXTERNA.

De Spurina.

Quod sequitur externis adnectam, quia antè gestum est, quàm Hetruriæ ciuitas daretur. Excellẽtis in ea regione pulchritudinis adolescens nomine Spurina, cùm mira specie complurium fœminarum illustrium solicitaret oculos, ideoq; uiris, ac parentibus earum se suspectum esse sentiret, oris decorem uulneribus confudit, deformitatẽq; sanctitatis suæ fidẽ, quàm formã irritamẽtum alienæ libidinis esse maluit.

De quodam sene Athenensi.

Athenis quidã ultimæ senectutis, cùm spectatum ludos in theatrum uenisset, eumq; nemo è ciuibus sessum reciperet, ad Lacedæmoniorum legatos fortè peruenit: qui hominis ætate moti, canos eius, & annos assurgendi officio uenerati sunt, sedemq; ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt: quod ubi fieri populus aspexit, maximo plausu alienæ urbis uerecundiam comprobauit. Ferunt tunc unum è Lacedæmonijs dixisse, Ergo Athenienses quid rectum sit, sciunt, sed id facere negligunt.

DE AMORE CONIVGALI.

CAPVT VI.

A Placido, & leni affectu, ad æquè honestum, uerum aliquantò ardentiorem, & cõcitatiorem pergam, legitimi q; amoris, quasq; quasdam imagines, non sine maxima uenerationc contemplandæ lectoris oculis subiciam, ualenter inter coniuges stabilita fidei operæ percurrens: ardua imitatu, cæterum cognoscii utilia. Quia excellẽtissima animaduertenti, ne mediocria quidem præstare, rubori oportet esse.

De Tiber. Graccho, & Cornelia eius uxore.

Tiberius Gracchus anguibus domi suæ,

mare, ac fœmina apprehensis, certior factus ab Aruspice, mare dimisso, uxori eius fœminа, ipsi celerem obitum instare: salutarem coniugi potius, quàm sibi partem secutus auguriy, marem necari fœminam dimitti iussit: sustinuitq; in conspectu suo seipsum in interitu serpentis occidi. Itaq; Corneliam nescio utrum feliciorem dixerim, quòd talem uirum habuerit, an miseriorem, quòd amiserit.

De Admeto rege Thessaliæ.

O te Thessaliæ rex Admete crudelis, & diri fati crimine sub magno iudice damnatum: qui coniugis tuæ fata pro tuis permutari passus es, eaq; ne tu extinguereris, uoluntario obitu consumpta, lucem intueri potuisti: & certè prius parentum indulgentiam tentaueras, fœmineo animo impar inuentus.

De C. Plautio.

Vilior Graccho iniquæ fortunæ uictima, quamuis senatorij uir ordinis C. Plautius Numida, sed in consimili amore, par exemplum: morte enim uxoris audita, doloris impotens, pectus suum gladio percussit. Interuentu deinde domesticorum incœptum exequi prohibitus, colligatusq;, ut primum est occasio data, scissis fasciys, ac uulnere diuulsō, constanti dextera, spiritum luctus acerbitate permistum, ex ipsis præcordiys, & uisceribus hausit: tam uiolenta morte testatus, quantum maritalis flāmæ illo

illo pectore clausum habuisset.

De M. Plautio.

Eiusdem ut nominis, ita amoris quoque M. Plautius: nam cùm imperio Senatus classem sociorum sexaginta nauium in Asiam reduceret, Tarentumq; appulisset, atq; ibi uxor eius Horestilla, quæ illuc eū prosecuta fuerat, morbo pressa decessisset: funerata ea, & in rogum imposita, inter officiū ungendi, & osculandi, stricto ferro incubuit: quē amici sicut erat togatum, & calceatū, corpori cōiugis iunxerūt, ac deinde subiectis facibus, utrūq; una cremauerunt: quorum ibi factum sepulcrum Tarenti etiamnū cōspicitur, qd uocatur τῶν φιλοψύχων. Nec dubito, quin si quis modò extinctis sensus inest, Plautius, & Horestilla fati cōsortione, gestiēres ultus tenebris intulerint: saneq; ubi idē & maximus, & honestissimus amor est, aliquādo præstat morte iungi, q̄ uita distrahi.

De Iulia, Caii Cæsaris filia.

Consimilis affectus Iuliæ Cæsaris filiæ annotatus est: quæ cùm ædilitiys comitiys Pompeij Magni coniugis sui uestem, cruore respersam, è campo domū relatā uidisset: territa nctu, ne qua uis ei esset allata, exanimis concidit, partumq;, quem utero conceptum habebat, subitæ animi consternatione, & graui dolore corporis eiycere coacta est, atq; ita expirauit magno quidem cum totius terrarum orbis detrimento:

cuius tranquillitas tot ciuilium bellorum truculentissimo furore perturbata non esset, si Cæsaris, & Pompeÿ cõcordia communis sanguinis uinculo constricta mansisset.

De Porcia, Catonis filia, uxore Bruti.

Tuos quoq; castissimos ignes Porcia, M. Catonis filia, cuncta secula debita admiratione prosequuntur: quæ cùm apud Philippos uictũ, & interemptum uirum tuum Brutum cognosceres, quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones haurire non dubitasti, muliebri spiritu uirilem patris exitum imitata. Sed nescio an hoc fortius, quòd ille usitato, tu nouo genere mortis absumpta es.

EXTERNA.

Sunt & alienigeni amores iusti, obscuritate ignorantiæ non obruti, ex quibus paucos attigisse satis erit. Gentis Cariæ Regina Artemisia uirum suũ Mausolum fato absumptũ, quantopere desiderarit, leue est, post conquisitorum omnis generis honorum, monimentiq; usq; ad septem miracula prouecti magnificentiam, argumentari. Quid enim aut eos colligas? aut de illo inclyto tumulo loquare, cùm ipsa Mausoli uiuum, ac spirans sepulcrum fieri concupierit, eorum testimonio, qui illam extincti ossa potioni aspersa, bibisse tradunt.

De Hipsicratea uxore Mithridatis.

Hipsicratea quoque Regina, Mithridatem coniug

coniugem suũ effusis charitatis habenis amauit: propter quem præcipuum formæ suæ decorem in habitum uirilem conuertere uoluptatis loco habuit: tonsis enim capillis equo sc, & armis assuefecit, quò facilius laboribus, & periculis eius interesset: quinetiã uictũ à Cn. Pompeio per efferatas gentes fugientem, animo pariter & corpore infatigabili secuta est: cuius tanta fides asperarũ atq; difficilium rerũ Mithridati maximũ solatium, & iucundissimum lenimẽtum fuit: cum domo enim, & penatibus uagari se credidit, uxore simul exulante.

De Lacedæmone.

Verùm quid Asiam, quid Barbariæ immensas solitudines, quid latebras Pontici sinus scrutor? Cùm splendidissimum totius Græciæ decus Lacedæmon, præcipuum uxoriæ fidei specimen tantum non nostris ostenter oculis, pluribus & maximis patriæ suæ laudibus admiratione facti comparandum.

De Minyis.

Minyæ, quorum origo ex inclyto sociorũ Iasonis numero Lemniorum in insula concepta, per aliquot seculorũ uices stabili in sede manserat, à Pelasgicis expulsi armis, alienæ opes indigentes, excelsa Taygetorum montium iuga supplices occuparunt: quos Spartana ciuitas respectu Tyndaridarum (nanq; in illo nobilis famæ nauigio destinatum syderibus par fratrũ

fulserat) deductos inde, legibus, cõmodisq; suis immiscuit. Sed hoc tantum beneficium in iniuriam benemeritæ urbis, regnũ affectantes, uerterunt. Igitur publicæ custodiæ inclusi, capitali seruabantur supplicio: quod cùm uetere instituto Lacedæmoniorum, nocturno tempore passuri essent, coniuges eorum illustris sanguinis, ibi uelut allocuturæ perituros uiros, impetrato à custodibus aditu, carcerem intrarunt, commutatasq; uestes per simulationem doloris, uelatis capitibus eos abire passæ sunt. Hoc loco quid aliud adiecerim, quàm dignas fuisse, quibus Minyiæ nuberent?

DE AMICITIA.
CAP. VII.

COntemplemur nunc amicitiæ uinculum, potens, & prævalidũ, neq; ulla ex parte sanguinis uiribus inferius: hoc etiã certius, & exploratius, quia illud nascendi sors fortuitum opus, hoc uniuscuiusq; solido iudicio incoacta uoluntas contrahit. Itaque celerius sine reprehensione propinquum auersere, quàm amicũ: quia altera diremptio utique iniquitatis, altera lenitatis crimini subiecta est. Cùm enim deserta sit futuræ uitæ hominis, nullius amicitiæ cincta præsidio, tam necessarium subsidium temere assumi nõ debet: semel autem apprehensum rectè sperni nõ cõuenit. Syncerè uerò fidei amici præcipuè in aduersis rebus cognoscuntur:

tur: in quibus quicquid præstatur, totum à constanti beneuolentia proficiscitur. Felicitatis cultus, maiore ex parte adulationi, quàm charitati erogatus, certè suspectus est: perinde ac plus semper petat, quàm impendat. Accedit huc, quòd infractæ fortunæ homines, magis amicorum studia desiderant, uel præsidij, uel solatij gratia. Nam lætæ quidem, & prosperæ negotia, utpote cum diuina suffragatione foueantur, humana minus indigent. Tenacius igitur eorũ nomina posteritatis memoria apprehendit, qui aduersos amicorum casus non deseruerunt, quàm qui prosperum uitæ cursum comitati sunt. Nemo de Sardanapali familiaribus loquitur. Orestes Pylade penè amico, quàm Agamemnone patre notior est. Siquidem illorum amicitia in consortione delitiarũ, & luxuriæ contabuit: horum, duræ, atq; asperæ conditionis solatium, ipsarum miseriarum experimento enituit. Sed quid externa attingo, cùm domesticis prius liceat uti?

De Tib. Graccho. & C. Blosio.

Inimicus patriæ fuisse Gracchus existimatus est: nec immeritò, quia potentiam suam saluti eius prætulerat: quàm constantis tamen fidei amicum etiam in hoc tam prauo proposito C. Blosium Cumanũ habuerit, operæ pretiũ est cognoscere. Hostis iudicatus, ultimo supplicio affectus, sepulturæ honore spoliatus, beneuolentia

lentia tamen eius non caruit. Nam cùm Senatus Rutilio, & Lemnati COSS. mandasset, ut in eos, qui cũ Graccho consenserant, more maiorum animadverterent, & ad Lælium, cuius cõsilio præcipuè COSS. utebantur, pro se Blosius deprecatum uenisset, familiaritatisq; excusatione uteretur, atque is dixisset, Quòd si te Gracchus tẽplo Iouis Optimi Maximi faces subdere iussisset, obsecuturus ne uolũtati ipsius, propter istam quam iactas familiaritatem, fuisses? Nunquam istud, inquit, Gracchus imperasset. Satis, imò etiam nimium: totius nanq; Senatus consensu damnatos mores defendere ausus est. Verùm quod sequitur, multò audacius, multoq; periculosius. Compressus enim perseueranti interrogatione Lælij, in eodẽ constantiæ gradu stetit: seque etiam hoc, si modò Gracchus annuisset, facturum respondit. Quis illum sceleratum putasset fuisse, si tacuisset? Quis etiam non sapientem, si pro necessitate temporis locutus esset? At Blosius nec silentio honesto, nec prudenti sermone salutem suam, nequa ex parte infelicis amicitiæ memoriam desereret, tueri uoluit.

De C. Graccho, & Pomponio, & Lectorio.

In eadem domo æquè robusta cõstantis amicitiæ exempla oboriuntur: prostratis enim iam & perditis C. Gracchi consilijs, rebusq;, cùm tota

tota eius conspiratio latè quæreretur, desertus omni consilio, duo tantum amici, Pomponius, & Lectorius ab infestis, & undiq; ruentibus telis, oppositu corporum suorum texerunt: quorum Pomponius, quò is facilius euaderet, concitatum sequentiũ agmen in porta Trigemina aliquãdiu acerrima pugna inhibuit, nec uinus pelli potuit: sed multis confectus uulneribus, transitum super cadauer suum eis (credo etiam post fata inuitus) dedit. Lectorius autẽ in ponte sublicio constitit, & eum, donec Gracchus transiret, ardore spiritus sui sepsit: ac ui iam multitudinis obrutus, conuersõ in se gladio, celeri saltu profundum Tyberis petijt: quamq; in eo ponte charitatem toti patriæ Horatius Coces exhibuerat, unius amicitiæ adiecta uoluntaria morte, præstitit. Quàm bonos Gracchi, si aut patris, aut materni aui sectam uitæ ingredi uoluissent, habere milites potuerant? Quo enim impetu, qua perseuerãtia animi Blosius, & Pomponius, & Lectorius trophæa, ac triumphos eorũ adiuuissent, furiosi conatus tam strenui comites? siniſtris quidem auspicijs amicitiæ conditionem secuti: sed quò miseriora, hòc certiora fideliter coluæ nobilitatis exempla.

De L. Rhegyno, & C. Volumnio.

Lucius autem Rhegynus, si ad debitam publico ministerio ſyncritatem exigatur, posteritatis conuitio lacerandus: si amicitiæ fido pignore

gnore æstimetur, in optimo laudabilis conscientiæ portu relinquēdus est. Trib. enim plebis Cepionem in carcerem conjectū, quòd illius culpa exercitus noster à Cimbris, & Theutonibus uidebatur deletus, ueteris, arctáq; amicitiæ memor, publica custodia liberauit: nec eatenus amicum egisse contentus, etiā fugæ eius comes accesit. Prò magnū, & inexuperabile tuum numen Amicitia: cùm ex altera parte Respublica manū iniceret, ex altera tua illum dextera traheret, & illa ut sacrosanctus esse uellet, exigeret, tu exilium indiceres: adeò blādo uteris imperio, quòd is supplicium honori prætulit. Admirabile est opus tuū: sed quod sequitur aliquantò laudabilius. Recognosce enim quousq; Volumnij constantem erga amicum suū charitatē sine ulla Reipublicæ iniuria cuexeris, qui ortus equestri loco, cùm Marcū Lucullum familiariter coluisset, eumq; Marcus Antonius, quòd Bruti, & Cassij partes secutus fuerat, interemisset, in magna fugiendi licentia, exanimi amico adhæsit: hucusq; in lacrymas, & gemitus profusus, ut nimia pietate causam sibi mortis accerseret. Nam propter præcipuam, & perseuerantem lamentationem ad Antonium pertractus est: cuius postquam in conspectu stetit, Iube me, inquit, Imperator protinus ad Luculli corpus perductum occidi. Neq; enim absumpto illo superesse debeo, cùm ci infe

ci infelicis militiæ autor extiterim. Quid hac fidelius beneuolentia? mortē amici, hostis odio leuauit, uitā suam consilij crimine astrinxit: quoq; illū mirabiliorem reddere, se fecit inuisiorem: nec difficiles Antonij aures habuit, ductusq; quò uoluerat, Luculli dexterā auidè osculatus, caput, quod abscissum iacebat, sublatum pectori suo applicauit, ac deinde dimissam ceruicem uictoris gladio præbuit.

De Theseo, & Pirithoo.

Loquatur nunc Græcia nefandis Theseæ Pirithoi amoribus subscribentem. Ditis se patris regnis commisisse: uani est illud narrare. Stulti credere. Mistum cruorem amicorum, & uulneribus inexa uulnera, mortemq; morti inhærentem uidere, hæc uera Romanæ amicitiæ indicia. Illa gentis ad fingēdum paratæ: monstro similia mendacia.

De Lucio Petronio.

Lucius quoq; Petronius huiusce laudis consortionem meritò uindicat: pari enim inclytæ amicitiæ ausui, par gloriæ portio asserenda est. admodum humili loco natus ad equestrem ordinem, & splendidæ militiæ stipendia Publij Cælij beneficio peruenerat, cui gratum animum, quia in materia læta exhibere non contigerat, in ea, quam iniquam fortuna esse uoluit, cum multa fide præstitit: erat ab Octauio cos. Placentiæ præpositus Cælius: qua à Cinnano

nano exercitu capta, & senior iam, & graui ualetudine affectus, ne in potestatem hostium ueniret, ad auxilium dextræ Petronij confugit: quem is ab incepto cõsilio frustra conatus abstrahere, in ipsdem perseuerantem precibus interemit, cædiq; eius suam iunxit: ne eo iacente, per quem omnia dignitatis incrementa assecutus fuerat, superesset. Ita alterius fato uerecundia, alterius pietas causam præbuit.

De Seruio Terentio.

Iungendus est Petronio Seruius Terentius, quanquàm ei, sicut cupierat, pro amico suo perire non contigit. Incepto nanque egregio, non irrito euentu æstimari debet, quia quantum in illo fuit, & ipse extinctus est, & D. Brutus periculum euasit mortis: qui fugiẽs è Mutina, ut ad se interficiendũ ab Antonio missos equites aduenisse cognouit: quodã in loco iustæ pœnæ debitum spiritũ tenebris furari conabatur: eoq; iam facta irruptione, Terẽtius fideli mẽdacio obscuritate ipsa suffragante, Brutum se esse simulauit, & corpus suum trucidandum equitibus obiecit. Verùm cognitus à Furio, cui Brutianæ ultionis officium mandatum fuerat: nece sua amici supplicium discutere nõ potuit: sic inuitus fortuna cogente, nixit.

De Decimo Lælio, & M. Agrippa.

Ab hoc horrido, & tristi pertinacis amicitiæ, ad lætum & serenũ inultũ trãseamus, atq; inde

inde eam euocatam, ubi omnia lacrymis, gemitu, cædibus fuerant referta, in eo, quo dignior est, felicitatis domicilio collocemus, gratia, honore, abundantissimisq; opibus fulgente. Orere igitur ab illa, quæ sanctorum umbris dicata esse creditur, sede, hinc Decime Læli, illinc M. Agrippa, alterum uirorũ, alterũ deorum maximum amicum, & certa mente, & secundis omnibus sortiti: totumq; beatæ turbæ gregem, qui uestro ductu uenerandæ syncerę fidei stipendia, laudibus & præmijs onustus peregit, in lucem uobiscum protrahite: uestros enim constantes animos, uestra strenua ministeria, uestram inexpugnabilem taciturnitatẽ, proq; dignitate, & salute amicorum perpetuam excubationem, testatiorem beneuolentiã, & rursus harum rerum uberrimos fructus posterior intuens ætas, in excolendo iure amicitiæ, quàm libentius, tam etiam religiosius erit operata. Hæret animus in domesticis: sed aliena quoque benefacta referre Romanæ urbis candor hortatur.

EXTERNA.

De Damone, & Pythia.

Damon & Pythias, Pythagoricæ prudentiæ sacris initiati, tam fidelem inter se amicitiam iunxerunt, ut cùm alterum ex his Dionysius Syracusanus interficere uellet, atq; is tempus ab eo, quo prius, quàm periret, domũ pro-

fectus, res suas ordinaret, impetrauisset: alter uadem se pro reditu eius tyranno dare nō dubitauit solutus erat periculo mortis, qui modo gladio cernices subiectas habuerat, idemq; caput suū subiecerat, cui securo uiuere licebat. Igitur omnes, & in primis Dionysius, nouæ, atq; ancipitis rei exitū speculabātur: appropinquāte deinde finita die, nec illo redeunte unusquisque stultitiæ tam temerariū sponsorem damnabat: at is nihil se de amici constantia metuere prædicabat. eodem autem momento, & hora à Dionysio constituta, qui eam acceperat, superuenit: admiratus amborum animum tyrannus, supplicium fidei remisit. Insuperq; eos rogauit, ut se in societatem amicitiæ, tertium sodalitij gradum ultima culturum benevolentia reciperent. Hæ sanè uires amicitiæ, mortis contemptum ingenerare, uitæ dulcedinem extinguere, crudelitatem mansuefacere, odium in amorem conuertere, pœnam beneficio pensare potuerunt: quibus penè tantum uenerationis, quantum deorum immortalium ceremonijs debetur. Illis enim publica salus, ijs priuata continetur: atq; ut illarum ædes sacra domicilia, horum fida hominū pectora quasi quodam sancto spiritu referta templa sunt.

De Alexandro.

Quod ita esse Rex Alexander sensit. Darij castris, in quibus omnes necessarij eius erant, potitus:

potitus: Ephestione gratissimo sibi latus suum tegente, ad eos alloquendos uenit. cuius aductus mater Darij recreata, humi postratum caput erexit, Ephestionemq;, quia ei & statura, & forma præstabat, more Persarū adulata, tanquam Alexandrū salutauit. Admonita deinde erroris, per summā trepidationē excusationis uerba quærebat. Cui Alexāder: Nihil est, inquit, quod hoc nomine cōfundaris. Nam & hic Alexāder est: Viri prius gratulemur, qui hoc dicere uoluit, an cui audire contigit? Maximi enim animi rex, etiā totū terrarū orbem aut uictoriis, aut spe cōplexus, tam paucis uersis se cū comite suo partitus est. O donū inclytæ uocis danti pariter atque excipienti speciosum.

De Pompeio.

Quod priuatim quoq; meritò ueneror, clarissimi, ac disertissimi uiri promptissimā ergā me benevolentiā expertus: nec metuo ne parum conueniat mihi Pompeium meum instar esse Alexādri: cùm illi Ephestio suus, alter fuerit Alexāder. Ego uerò grauissimo crimini sim obnoxius, cōstantis, & benignæ amicitiæ exēpla sine ulla eius mentione transgressus: cuius in animo uelut in parentum amantissimorum pectore, lætior uitæ meæ status uiguit, tristior acquieuit: à quo omnium incrementa commodorum ultro oblata cepi: per quem tutior aduersus casus fleti: qui studia mea ductu,

& auſpicijs ſuis lucidiora, et alacriora reddidit. Itaq; paui inuidiã quorundã optimi amici iactura, uidelicet quia fructu torſeram: non quidem meo merito: gratiam meam, quantacunq; cum ijs fuit, qui ea uti uoluerant, partitus. Verùm nulla tã modeſta felicitas eſt, quæ malignitatis dẽtes uitare poſſit, et quo ſeceſſu quoſdam fugeris, aut quibus inſulis miſericordiæ permulſeris, nõ cohibebis ne ut alienis malis perinde, ac bonis ſuis lætentur, ac geſtiant. diuites ſunt aliorum iacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus: ſed illi quatenus alienis incommodis ſuorum adhuc expertes inſultent, optima uindex inſolentiæ uarietas humanæ conditionis uiderit.

DE LIBERALITATE.

CAPVT VIII.

NOſtrum opus pio egreſſu ad propriam rem proiectum in ſuum ordinem reuocetur, liberalitatisq; cõmemorationi uacemus. Cuius duo ſunt maximè probabiles fontes, uerum iudicium, & honeſta benenolentia: nam cùm ab his oritur, tunc demum eius ratio conſtat: dono autem ipſi gratiam & magnitudo quidem ſua, ſed efficaciorem aliquantò opportunitas conciliat.

De Fabio Maximo.

Accedit enim pretio rei, inæſtimabile momentum occaſionis, quæ Fabium Maximum tot

tot ante ſecula ob paruam pecuniæ ſummã erogatæ, ad hoc uſq; tẽpus laudabilẽ fecit. Captiuos enim ab Annibale interpoſita pactione nũmorum receperat: qui cùm à ſenatu nõ præſtarentur, miſſo in urbem filio, fundũ, quẽ unicum poſſidebat, uẽdidit: eiusq; pretiũ Annibali protinus numerauit. Si ad calculos reuocetur, paruum, utpote ſeptẽ iugeribus, & hoc in Pupinia addictis redactum: ſi animo prærogantis, omni pecunia maius: ſe enim patrimonij, quàm patriam fidei inopem eſſe maluit: eo quidem maiore cum cõmendatione, quòd proni ſtudij certius indiciũ eſt ſupra uires niti, quàm uiribus ex facili uti. alter enim quod poteſt, præſtat: alter etiam plus, quàm poteſt.

De Buſa.

Itaque eiuſdem temporis fœmina Buſa nomine, regionis autem Apuliæ ditiſſima, merito quidem liberalitatis teſtimonium recepit, ſed excellentes opes ſuas Fabianis rei familiaris angustijs non comparauerit. Nam etſi circa decem millia ciuium noſtrorum, Camenſis prælij reliquias, benigniſſimè inter Canuſinæ mœnia alimentis ſuſtentauit, ſaluo tamen ſtatu fortunarum ſuarum, munificam ſe P. R. præſtitit: Fabius in honorem patriæ, paupertatem inopia mutauit.

De Quinto Conſidio.

In Quinto quoq; Conſidio ſaluberrimi exem-

pli nec sine paruo ipsius fructu, liberalitas annotata est: qui Catilinæ furore ita conslernata Rep. ut nè à locupletibus quidē debitæ pecuniæ, propter tumultū, pretijs possessionū diminutis, solui creditoribus possent: cùm centies, atque quinquagies HS. summā in fœnore haberet. neque de sorte quenquā debitorū suorum, neq; de usura appellari à suis passus est: quantum'que in ipso fuit, amaritudinem publicæ confusionis priuata tranquillitate mitigauit: opportunè, mirificeq; testatus, se nummorum suorum, non ciuilis sanguinis esse fœneratorem. Nam qui nunc præcipuè negotiatione delectantur, cùm pecuniam cruentam domum retulerint, quàm improbando gaudio exultent, recognoscent, si diligenter S. consultum, quo Considio gratia actæ sunt, legere non fastidierint.

De Populo Romano.

Quæri iādudum mecum Pop. Rom. uidetur, quòd cum singulorum munificentiā consecter, de sua taceam: ad summam enim eius laudem pertinet, quem animum regibus, & urbibus, & gentibus præstiterit, recognosci: quia omne præclari facti decus, crebra memoria in seipso reuiuescit. Asiam bello captam Attalo regi muneris loco possidēdam tribuit, eò excelsius, & speciosius urbi nostræ futurum imperium credens, si diuisissimam, atq; amœnissimā partem terrarum orbis, in beneficio, quàm in fructu

ctu suo reponere maluisset. Ipsa uictoria donū felicitus: quia multum occupasse, habere inuidiam potuit: tantum tribuisse, gloria carere non potuit.

De T. Quintio Flaminio.

Illius uerò Romanæ liberalitatis cœlestem spiritū, nullæ literæ satis dignis laudibus prosequuntur. Philippo enim Macedoniæ rege superato, cùm ad insigne spectaculū tota Græcia conuenisset, Quintius Flaminius tubæ signo silentio facto, per præconem hæc uerba recitari iussit: Senatus P. Q. R. & Quintius Flamininus Imperator, omnes Græciæ urbes, quæ sub ditione Philippi regis fuerunt, liberas, atque immunes esse iubet. Quibus auditis, maximo et inopinato gaudio homines perculsi, primò uelluti non audisse se, quæ audierunt credentes, obticuerunt. Iterata deinde pronūtiatione præconis, tanta cœlum clamoris alacritate compleuerunt, ut certè consteret, aues, quæ superuolabant, attonitas, pauentesq; decidisse. Magni animi fuisset à tot captiuorum capitibus seruitutem detraxisse, quod tunc nobilissimis, & opulentissimis urbibus P. R. libertatem largitus est: ad cuius maiestatem pertinet, non solum, quod ipse benignè tribuit, sed etiam quod alio tribuente sensit, commemorari: ut enim illic commemoratæ, ita hic redditæ laudis commendatio est.

EXTERNA.

De Hierone Syracusano.

Hiero Syracusanorum rex, audita clade, quæ Romani apud Thrasimenũ lacum afflicti erant: trecenta milia modiorum tritici, ducenta hordei, auriq; ducenta & XL. põdo urbi nostræ muneri misit: nec ignarus uerecundiæ maiorum nostrorum, ne nollent accipere, in habitum id Victoriæ formauit, ut eos religione motos, munificentia sua uti cogeret: uoluntate mittendi prius, iterum prouidentia cauendi ne remitteretur, liberalis.

De Agrigentino Gillia.

Subnectam huic Agrigentinũ Gilliã, quẽ propemodũ ipsius liberalitatis præcordia constat habuisse: erat enim opibus excellens, sed multò etiam animo, quàm diuitijs locupletior: semperq; in eroganda potius, quàm in contrahenda pecunia occupatus: adeò ut domus eius quasi quædam munificentiæ officina crederetur: illinc enim publicis usibus apta monimenta extruebãtur, illinc grata populi oculis spectacula edebãtur, illinc epularũ magnifici apparatus, libentiq; animo annonæ subsidia tribuebantur: & cùm hæc uniuersis, priuatim alimenta inopia laborantibus, dotes uirginibus, paupertate pressis, subsidia, detrimentorũ incursu quassatis, solatia erogabãtur: hospites quoque tum urbanis penatibus, tum etiam rusticis

tectis benignissimè excepti, uarijs muneribus ornati dimittebantur. Quodam uerò tempore quingentos simul Gelensium equites ui tempestatis in possessiones suas compulsos, aluit, ac uestiuit. Quid multa? non mortalem aliquem, sed propitiæ fortunæ benignum esse diceres sinum. Ergo quod Gillias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat: pro cuius salute, & incrementis, tum Agrigentina ciuitas, tum etiam uicinæ regiones uotis excubabant. Collocã è contrariæ parte arcas inexorabilibus claustris obseratas: non'ne præstantiorem aliquantò existimes illam impensam, quàm hanc custodiam?

VALERII MAXIMI LIBER QVINTVS.

DE HVMANITATE.

CAPVT I.

LIBERALITATI, quas aptiores comites, quàm humanitatẽ, et clemẽtiã dederim? quoniã idẽ genus laudis expetunt: quarũ prima inopia, proxima occupatione, tertia ancipiti fortuna præstatur: cumq; nescias quam maximè probes, eius tamen cõmendatio præcurrere uidetur, cui nomen ex ipso numine quæsitum est.

Ante omnia tamẽ humanissima, ci clemẽtissima senatus acta referã. Qui cũ Carthaginiẽsium legati ad captiuos redimẽdos in urbẽ uenissent, protinus his nulla pecunia accepta, reddidit iuuenes, numerũ duũm milliũ & septingentorũ quadragintatriũ explẽtes. tantũ hostiũ exercitũ dimissum, tantã pecuniã contẽptã, tot Punicis iniuriis uenia datã, ipsos legatos obstupuisse arbitror, ac secũ dixisse: O munificentiã gẽtis Romanæ, decorũ benignitati æquãdam. O etiã nostrã legationẽ supra uota felicẽ: nã beneficiũ, quod nunquã dedissemus, accepimus.

De Senatu Romano.

Illud quoque non paruum humanitatis Senatus indicium est. Siphacem enim quondam opulentissimum Numidiæ regem captiuum, in custodia Tiburi mortuum, publico funere censuit efferendum, ut uitæ dono honorem sepulturæ adiiceret.

De eiusdem Senatus clementia.

Consimiliq; clementia in Perse usus est: nam cùm Albæ, in quam custodiæ causa legatus erat, decessisset, Quæstorẽ misit, qui cũ publico funere efferret: ne reliquias regias iacere inhonoratas pateretur. hostibus hæc, & miseris, & fato functis officia regibus erogata: illa amicis, & felicibus, & uiuis tributa sunt.

De eodem Senatu in filium Masinissæ.

Confecto Macedonico bello, Musicanes Masin

Masinissæ filius, cùm equitibus, quos in præsidium Romanorũ adduxerat, ab imperatore Paulo ad patrẽ remissus, tempestate classe dispersa, Brundusium æger delatus est: quod ubi Senatus agnouit, continuò illò Quæstorem ire iussit, cuius cura, & hospitium adolescẽti expediretur, & omnia, quæ ad ualetudinẽ opus essent, præberentur: impensæq; liberaliter tum ipsi, tum toti comitatui præstarẽtur: naues etiã ut prospicerẽtur, quibus ipse benè, ac tutò cum suis in Africam traijceretur: equitibus singulas libras argenti, & quingenos sestertios dari imperauit. quæ tam prompta, & tam exquisita Patrum C. humanitas efficere potuit, ut etiam si expirasset adolescens, æquiore animo desyderium eius pater toleraret.

De eodem in Prusiam.

Idem senatus, cùm ad gratulandũ sibi Prusiam Bithyniæ regem Perse deuicto uenire audisset, obuiam illi P. Corneliũ Scipionẽ Quæstorem Capuam misit: censuitq;, ut ei domus Romæ quamoptima conduceretur, & copiæ non solùm ipsi, sed etiam comitibus eius publicè præberentur. In eoq; excipiendo tota urbs unius humani amici uultum habuit. Ita qui amantissimus nostri uenerat, duplicata erga nos benevolentia in regnum suum reuersus est.

De eodem in Ptolemæum.

Nec Ægyptus quidẽ Romanæ humanitatis expers

expers fuit: Rex enim Ptolemæus à minore fra tre regno spoliatus, petendi auxilij gratia cum paucis admodum seruis, squalore obsitus, Romam uenerat, ac se in hospitium Alexandrini pictoris contulerat. Id postquam Senatui relatum est, accersito iuuene, quàm potuit accurata excusatione usus est, quòd nec Quæstorem illi more maiorum obuiam misisset, nec publico hospitio eum excepisset: eaq; non sua negligentia, sed ipsius subito, & clandestino aduentu facta dixit: & illum è curia subitò ad publicos penates deduxit, hortatusq; est, ut depositis sordibus adeundi ipsius diem peteret: quinetiã curæ habuit, uti munera ei per Quæstorem quotidie darentur. his gradibus officiorum iacentem ad regium fastigium euexit: effecitq;, ut plus spei in auxilio pop. Rom. quàm metus in sua fortuna reponeret.

De L. Cornelio.

Atq; ut ab uniuersis Patribus C. ad singulos ueniam, L. Cornelius COS. primo Punico bello, cùm Olbiam oppidum cepisset, pro quo fortissimè pugnans Hanno dux Carthaginiensium occiderat, corpus eius è tabernaculo suo amplo funere extulit, nec dubitauit hostis exequias ipse celebrare: eam demum uictoriam & apud deos, & apud homines minimum inuidiæ habituram credens, quæ plurimum humanitatis habuisset.

De

De Quintio Crispino.

Quid de Qu. Crispino loquar? cuius humanitatem potentissimi affectus, ira, atque gloria quatere non potuerunt. Badiũ Campanũ & hospitio benignissimè domi suæ exceperat, et aduersa ualetudine correptum attentissima cura recreauerat: à quo post illam nefariam Cãpanorũ defectionem in acie ad pugnam prouocatus, cùm & uiribus corporis, & animi uirtutibus aliquanto esset superior, monere ingratum, quàm uincere maluit. Nam quid agis, inquit, demẽs? aut quò te prauа cupiditas transuersum rapit? parũ habes publica impietate furere, nisi etiam priuata lapsus fueris? unus tibi Romanorũ uidelicet Quintius placet: in quo scelesta exerceas arma? cuius penatibus, & honoris uicissitudinẽ, & salutẽ tuã debes: at me fœdus amicitiæ, Diýq; hospitales, sancta nostro sanguini, uestris pectoribus uilia pignora, hostili certamine cõgredi tecũ uetant: quinetiã si in cõcursu exercituũ fortuitò umbonis mei impulsu prostratũ aguouissem, applicatũ iam cernicibus tuis mucronem reuocassem. tuum ergo crimen sit, hospitem occidere uoluisse: meũ, non eris hospes occisus: proinde aliam, qua occidas, dexteram quære, quoniam mea te seruare dicit. Dedit utriq; cœleste numen debitum exitum: siquidem in eo prælio Badius obtruncatus est, Quintius insigni pugna clarus euasit.

De M.

De M. Marcello.

Age, Marci Marcelli clementia, quàm clarum, quamq; memorabile exemplum habeuri debet? qui captis à se Syracusis in arce earum constitit, ut urbis modo opulentissimæ, tunc afflictæ fortunam ex alto cerneret. Cæterùm casum eius lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit, quẽ si quis ignarus uir aspexisset, alterius uictoriam esse credidisset. Itaque Syracusana ciuitas maxima clade tua aliquid admissum gratulationis habuisti: quia si tibi incolumi stare fas non erat, leuiter sub tam mansueto uictore cecidisti.

De Q. Metello.

Quintus uerò Metellus Celtibericũ in Hispania gerẽs bellum, cùm urbem Centobricam obsideret, & iam admota machina, partem muri, quæ sola conuelli poterat, disiecturus uidereturhumanitatem propinquæ uictoriæ prætulit. Nam cùm Rethogenis filios, qui ad eum transierat, Centobricenses machinæ ictibus obiecissent, ne pueri in conspectu patris crudelis genere mortis consumerentur, quanquam ipse Rethogenes negabat esse impedimento, quo minus etiam per exitum sanguinis sui expugnationem peragerent, ab obsidione discessit. Quo quidem tam clementi facto, etsi non unius ciuitatis mœnia, omnium tamen Celtiberarum urbium animos cepit: effecitq;, ut ad rediges-

das eas

das eas in ditionem pop. Rom. non multis sibi obsidionibus opus esset.

De Africano posteriore.

Africani quoq; posterioris humanitas speciosè, lateq; patuit. Expugnata enim Carthagine, circa Siciliæ ciuitates literas misit, ut ornamenta templorum suorũ à Pœnis rapta, per legatos recuperarent, inq; pristinis sedibus reponenda curarent. Beneficium dijs, atq; hominibus pariter acceptum. Huic facto par eiusdem uiri humanitas. A Quæstore suo hastæ subiectos captiuos uendẽte puer eximiæ formæ, & liberalis habitus missus est: de quo cùm exploraſſet Numidam esse, orbum relictum à patre, educatum apud auunculum Masinissam, eo ignorante immaturam aduersus Romanos ingressum militiam, & errore illius ueniam dandam, & amicitiæ regis fidissimi pop. Romani debitam ueneratione tribuendã existimauit. Itaq; puerum anulo, fibulaq; aurea, & tunica laticlauia, Hispanoq; sagulo, & ornato equo donatum, datis qui eum prosequerentur equitibus, ad Masinissam remisit: eos uictoriæ maximos fructus ratus, dijs templorum ornamẽta Romanos, regibus sanguinem suum restituere.

De L. Paulo.

Lucij etiam Pauli in tali genere laudis memoria apprehẽdẽda est: qui cùm Persen, paruũ temporis momẽto captiuum ex rege, ad se adducũ

duci audisset: occurrit ei Romani Imperij decoratus ornamentis: conatumq; ad genua procumbere, dextra manu alleuauit, sermoneq; grato ad spem exhortatus est: introductũ etiam in tabernaculum, lateri suo proximum in consilio sedere fecit: nec honore mensæ indignum iudicauit. Proponatur in conspicuo acies, qua prostratus est Perses, & harum rerum, quas retuli, contextus, utro magis spectaculo delectentur, homines dubitabant: nam si egregium est hostem abijcere, non minus tamen laudabile infelicis scire misereri.

De Cn. Pompeio.

Hæc L. Pauli humanitas admonet me, ne de Cn. Pompeij clementia taceam. Regem Armeniæ Tigranem, qui & per se magna cum P. R. bella gesserat, & infestissimum urbi nostræ Mithridatem Ponto pulsum, uiribus suis protexerat, in conspectu suo diutius iacêre supplicem passus non est: sed benignis uerbis recreatum, diadema, quod abiecerat, capiti reponere iussit: certisq; rebus imperatis, in pristinum fortunæ habitum restituit: æque pulchrum esse iudicans, & uincere reges, & facere. Quàm præclarum tribuæ humanitatis specimen Cn. Pompeius, quàm miserabile desideratæ idem euasit exemplum? nam qui Tigranis tempora insigni regio texerat, eius caput tribus coronis triumphalibus spoliatum, in summo terrarum orbe

orbe, nusquam sepulturæ locum habuit: sed abscissum à corpore, inops rogi, nefarium Aegyptiæ perfidiæ portatum munus est, etiam ipsi uictori miserabile. ut enim id Cæsar aspexit, oblitus hostis, soceri uultum induit, ac Pompeio tum proprias, tum etiam filiæ suæ lacrymas reddidit. Caput etiam plurimis, & pretiosissimis odoribus cremandum curauit: quòd si non tam mansuetus animus diuini principis extitisset, paulò antè Romani Imperij columen habitum (sic mortalium negotia fortuna uersat) inhumatum iacuisset.

De Cæsare.

Catonis quoq; morte Cæsar audita, & se inuidere illius gloriæ, & illum suæ inuidisse dixit: patrimoniumq; eius liberis ipsius incolume seruauit: & hercule diuinorum Cæsaris operum non parua pars Catonis salus fuisset.

De M. Antonio, & M. Bruto.

Marci autem Antonij animus talis humanitatis intellectu non caruit. M. enim Bruti corpus liberto suo sepeliendum tradidit: quoq; honoratius cremaretur, injici ei suum paludamentum iussit, iacentem non hostem, sed ciuem deposito existimans odio. cumq; interceptum à liberto paludamentum comperisset, ira percitus, protinus in eum animaduertit, hac antè præfatione usus: Quid, tu ignorasti cuius tibi uiri sepulturam commiserim? Fortem, piamq; eius

uictoriam Philippicam libenter Dij uiderunt: sed ne ista quidem generosissimæ indignationis uerba inuiti audierunt.

EXTERNA.

De Alexandro.

Commemoratione Romani exẽpli in Macedoniam deductus, morũ Alexandri præconiũ facere cogor: cuius ut infinitam gloriam bellica uirtus, ita præcipuũ amorem clementia meruit. Is, dum omnes gentes infatigabili cursu lustrat, quodã loco niuali tempestate oppressus, senio iam confectũ militem Macedonẽ, nimio frigore obstupefactum, ipse sublimi, & propinqua igni sede sedens, animaduertit: factaq; non fortunæ sed ætatis utriusq; æstimatione, descendit: & illis manibus, quibus opes Darij afflixerat, corpus frigore duplicatũ in suam sedem imposuit: id ei salutare futurum dicens, quod apud Persas capitale extitisset, soliũ regiũ occupasse. Quid ergo mirum est, si sub eo duce tot annis militare iucundum ducebant, cui gregarij militis incolumitas proprio fastigio charior erat? Idem non hominũ ulli, sed naturæ, Fortunæq; cedens, quanquam uiolentia morbi debilitabatur, in cubitum tamen erectus, dextram omnibus, qui eam contingere uellent, porrexit. Quis autem illam osculari non curaret, quæ iam fato oppressa, maximi exercitus cõplexũ, humanitate, quàm spiritu uiuidiore suffecit?

De

De Pisistrato.

Non tam robusti generis humanitas, sed & ipsa tamen memoria prosequenda Pisistrati Athenien sium tyranni narrabitur. Qui, cùm adolescens quidã amore filiæ eius uirginis accensus, in publico obuiã sibi factam osculatus esset: hortante uxore, ut ab eo capitale supplicium sumeret, respondit: Si eos, qui nos amãt, interficiemus, quid ijs faciemus, quibus odio sumus? Minimè digna uox, cui adijciatur, eam ex tyranni ore de humanitate manasse. in hunc modum filiæ iniuriã tulit, suã multo laudabilius.

De eodem.

Thrasippo amico inter cœnam sine fine conuitio lacerato, ita & animum, & uocẽ ab ira cohibuit, ut putares satellitẽ à tyrãno malè audire: abeuntem quoq;, ueritus ne propter metũ maturius se conuiuio subtraheret, inuitatione familiari cœpit retinere. Thrasippus concitatæ temulentiæ impetu euectus, os eius sputo respersit: nec tamen in uindictam sui ualuit accendere. Ille uerò etiam filios suos uiolatæ patris maiestati subuenire cupientes, retraxit. Postero quoq; die Thrasippo supplicium à se uoluntaria morte exigere uolenti, uenit ad eum: datáq; fide in eodem gradu amicitiæ mansurum, ab incœpto reuocauit. Si nihil aliud dignum honore memoriæ gessisset, his tamen factis abundè se posteritati commendasset.

De Pyrrho rege.

Aeque mitis animus Pyrrhi regis audierat apud quosdam in conuiuio Tarentinorum parum honoratum de se sermonem habitum: accersitos qui ei interfuerunt, percontabatur an ea, quæ ad aures eius peruenerant, dixissent. Tum ex his unus, inquit: Nisi nobis uinum defecisset, ista, quæ tibi relata sunt, præ ijs, quæ de te locuturi eramus, lusus, ac iocus fuissent. Tam urbana crapulæ excusatio, tãq; simplex ueritatis confessio, iram regis conuertit in risum. Qua quidẽ clemẽtia, & moderatione assecutus est, ut & sobrij sibi Tarentini gratias agerent, & ebrij bene precarentur. Ab eadem altitudine humanitatis legatis Romanorum ad redimendos captiuos castra sua petentibus, quò tutius uenirent, Lyconem Molossum obuiam misit: quò honoratius exciperentur, ipse cum ornatu equitum extra portam occurrit: secundarum rerum prouentu non adeò corruptus, ut officij prospectum in ijs deponeret, quibus maximè armis cum eo dissidebant.

De Antigono rege.

Cuius tam mitis ingenij debitum fructũ ultimo fati sui tempore recepit: nam cùm diris auspicijs Argiuorum inuasisset urbẽ, abscissumq; caput eius Alcyoneus Antigoni regis filius ad patrem propugnatorẽ laborans, lætus uelut aliquod felicissimum uictoriæ opus attulisset: Anti-

Antigonus correpto iuuene, quòd tãti uiri subitæ ruinæ immemor humanorũ casuũ, effuso gaudio insultaret: humo caput sublatũ, causea, qua uelatũ caput suum more Macedonũ habebat, texit: corporiq; Pyrrhi redditũ, honoratissimè cremandum curauit. Quinetiam filium eius Helenum captiuum ad se pertractum, & cultum, & animũ gerere regium iussit: ossaq; Pyrrhi ei aurea incluſa urna, Epirum in patriam ad Alexandrũ fratrem portãda dedit.

De Campanis.

Campani autẽ exercitũ nostrũ cum COSS. *apud Caudinas furcas, sub iugum à Samnitibus missum, nec inermem tantùm, sed etiã nudum urbem suam intrantem, perinde ac uictorem, & spolia hostium præ se ferentem, uenerabiliter exceperunt: protinusq; consulibus insignia honoris, militibus uestem, arma, equos, cõmeatum benignissimè præstãdo, & inopiã, & deformitatem Romanæ cladis mutarunt: quo animo si pro imperio nostro aduersus Annibalem quoq; usi fuissent, truculentis securibus materiam sæuiendi non præbuissent.*

De Annibale.

Facta mentione acerrimi hostis, mansuetudinis eius operibus, quã Romano nomini præstitit, locum qui inter manus est, finiam. Annibal enim Aemilij Pauli apud Cannas trucidati quæsitũ corpus, quantum in ipso fuit, in-

humatum iacere passus non est. Annibal Tiberium Gracchum Lucanorum circumuentum insidijs, cum summo honore sepulturæ mandauit, & ossa eius in patriam portanda militibus nostris tradidit. Annibal Marcum Marcellum in agro Brutio, dum conatus Pœnorum cupidius, quàm consideratius speculatur, interemptum, legitimo iure extulit, Punico quoq; sagulo, & corona donatum laurea, rogo imposuit. Ergo humanitatis dulcedo etiã inefferata barbarorum ingenia penetrat, orbosq;, & truces hostium mollit oculos, ac uictoriæ insolentissimos spiritus flectit: nec illi arduum aut difficile est inter arma contraria, inter districtos cominus mucrones placidum iter reperire. Vincit iram, prosternit odium: hostilemq; sanguinem hostilibus lacrymis permiscet: atque etiam admirabilem Annibalis uocem, pro funeribus Romanorum ducum arbitria statuentis expressit: quia aliquantò ei plus gloriæ Paulus, & Gracchus, & Marcellus sepulti, quàm oppressi attulerunt: siquidem illos Punico astu decepit, Romana mansuetudine honorauit. Vosq; fortes, ac piæ umbræ, non pœnitendas sortiti estis exequias? nam ut optabilius in patria, ita speciosius pro patria collapsæ, supremi officij decus infelicitate amissum, uirtute recuperastis.

DE

DE GRATIS. CAP. II.

GRatas uerò animi significationes, et ingrata facta libuit oculis subijcere, ut uitio, ac uirtuti iustæ merces æstimationis ipsa cõparatione accederet. Sed quoniam contrario proposito sese distinxerunt, nostro quoq; stylo separentur, priorem q; locum obtineat, qui laudem, quàm qui reprehensionem merentur.

De Martio Coriolano.

NIq; ut à publicis actis ordiar, Martium patriã oppugnare conantem, admotoq; portis urbis ingenti Volscorũ exercitu, funus, ac tenebras Romano imperio minitantem, Veturiæ mater, ac Volumnia uxor, nefariũ opus exequi precibus suis passæ nõ sunt: in quarũ honorem Senatus matronarum ordinem benignissimis decretis adornauit: sanxit nanque, ut fœminis semita uiri cederent, cõfessus plus salutis Reip. in stola, quàm in armis fuisse: uetuslisq; auriũ insignibus nouum uittæ discrimen adiecit: permisit quoque his purpureæ uestes, & aureis uti segmentis: super hoc ædem & aram Fortunæ muliebri eo loco, quo Coriolanus exoratus fuerat, faciẽdum curauit, memorem beneficij animum suũ exquisitæ religionis cultu testando. Quem secundi etiam belli Punici tempore exhibuit. Cùm enim à Fuluio Capua obsideretur, ac duæ Cãpanæ mulieres benevolentiã erga Romanos dimittere ex animis noluissent, Vestiæ

Opidia materfamiliâs, & Cluuia Facula meretrix, quarũ altera quotidie pro salute nostri exercitus sacrificauit, altera captis militibus Romanorũ alimenta subministrare nõ destitit, urbe illa oppressa, Senatus ijs & libertatẽ, & bona restituit: & si quid amplius præmij peterent, libẽter se daturũ asseuerauit. Vacasse in tanto gaudio P.C. duabus humilibus fœminis referre gratiã, nedum præ se tulisse, mirandũ.

De Quintio & Minutio.

Quid illa quoq; iuuẽtute Romana gratius? quæ Quintio et Minutio COS. sultro nomina sua militari sacramẽto obtulit, ut Tusculanis, quorũ fines Æquiculi occupauerãt, præsidium ferrent, quia paucis antè mensibus constantissimè & fortissimè imperium Romani populi defenderant. Ergo quod auditu nouum est, ne patriæ grata uoluntas cessasse uideretur, exercitus se ipse conscripsit.

De Fabio Maximo.

Magnũ grati pop. Rom. specimen in Quinto Fabio Maximo enituit: Nam cùm quinque consulatibus salubriter Reipub. administratis decessisset, certatim æs contulit, quo maior, ac spectosior eius funeris põpa duceretur. Eleuet aliquis præmia uirtutis, cùm animaduertat fortes uiros felicius sepeliri, quàm uiuere ignauos.

De Minutio magistro Equitum.

Fabio autẽ etiam incolumi summa cum gloria

via gratia relata est: dictatori enim magistro equitũ Minutius scito plebis, quod nunquã antea factũ fuerat, æquatus, partito exercitu separatim in Samnio cum Annibale conflixerat: ubi temere inito certamine pestiferum habiturus exitum, subsidio Fabij conseruatus, & ipse eum patrẽ appellauit, & à legionibus suis patronum salutari uoluit: ac deposito æqualis imperij iugo, magisterium equitum, sicut parerat, Dictaturæ subiecit, imprudentisq; uulgi errorem gratæ mentis significatione correxit.

De Terentio Culeone.

Tam herele probabiliter, quàm Quintus Terentius Culeo prætoria familia natus, & inter paucos Senatorij splẽdidus ordinis, optimo exemplo Africani superioris currum triumphãtis, quia captus à Carthaginiẽsibus, ab eo fuerat recuperatus, pileum capite gerens, secutus est: autori enim libertatis suæ, tanquam patrono accepti beneficij confessionem, spectãte populo Romano meritò reddidit.

De Philippo rege, & de Flaminio.

At Flaminij de Philippo rege triumphantis currum nõ unus, sed duo millia ciuium Romanorum pileata comitata sunt, quæ his Punicis bellis intercepta, & in Græcia seruitia, cura sua collecta, in pristinum gradum restituerat. geminũ ea re decus imperatoris, à quo simul & deuicti hostes, & conseruati ciues

spectaculum patriæ præbuerũt. Illorum quoq; salus dupliciter omnibus accepta fuit, & quia tam multi, & quia tam grati exoptatum libertatis statum recuperauerunt.

De Metello.

Metellus uerò Pius pertinaci erga patrem exulem amore, tam clarum lacrymis, quàm aliys uictoriys cognomen assecutus, non dubitauit Consul pro Quinto Callidio prætore candidato supplicare populo, quòd tribunus plebis legem, qua pater in ciuitatem restitueretur, tulerat: quinctiam patronum eum domus & familiæ suæ semper dictitauit. Nec hac re de principatu, quem procul dubio obtinebat, quicquam decerpsit, quia non humili, sed grato animo longè inferiore hominis maximo merito eximiam submittebat dignitatem.

De Mario.

Nam C. quidem Marij nõ solum præcipuus, sed etiam prapotens gratæ mentis fuit impetus: duas etiam Camertium cohortes, mira uirtute uim Cimbrorum sustinentes in ipsa acie, aduersus cõditionem fœderis ciuitate donauit. quod quidem factum & ucrè, & egregiè excusauit, dicendo inter armorum strepitum, uerba se iuris ciuilis exaudire nõ potuisse. Et sanè id tẽpus tunc erat, quo magis defendere, quam audire leges oportebat.

De Lucio Sylla.

C. Marij

C. Marij uestigia ubique L. Sylla certamine laudis subsequitur: dictator enim priuato Pompeio & caput adoperuit, & sella assurrexit, & equo descendit: eaq; se libenter facere in concione prædicauit, memor ab eo duodeuigimti annis nato partes suas exercitu paterno adiutas. Multa insignia Pompeio, sed nescio an hoc quicquam admirabilius contigerit, quòd magnitudine beneficij, sui Syllam oblinisci coëgit. Sit aliquis in summo splendore etiam sordibus gratis locus. Marco Cornuto prætore funus Hirtij, & Pansæ iussu senatus locante, qui tunc Libitinam exercebant, tum rerum suarum usum, tam ministerium suum gratuitò polliciti sunt, quia ij pro Republica dimicantes occiderant: perseuerantique postulatione extuderunt, ut exequiarum apparatus sestertio nummo ipsis præbẽtibus adderetur: quorum laudem adiecta lege conditio auget magis, quàm extenuat: quoniã quidẽ quæstu cõtemserunt, nulli alij rei, quàm quæstui uiuentes. Pace cinerum suorũ reges gentiũ exterarum secũdum hunc tam contemptũ gregem referri se patientur, qui aut non attingendus, aut non nisi in ultima parte domesticorũ exemplorum collocandus fuit. Sed dum honesti actus etiam ab infimis editi, memoria non intercidant, licet separatum locum obtineant, ut nec his adiecti, nec illis prælati uideantur.

EXT

EXTERNA.

De Dario.

Darius priuatæ adhuc fortunæ, amiculo Silosontis Samij delectatus, curiosa contemplatione fecit, ut ultro sibi & quidē à cupido daretur. Cuius muneris, quàm grata æstimatio animo eius esset allapsa, regno potitus ostēdit: totam nanque urbem, & insulam Samiorum Silosonti fruēdam tradidit. Non enim pretium rei æstimatum sed occasio liberalitatis est honorata, magusq; à quo donum proficisceretur, quàm ad quem perueniret, prouisum.

De Mithridate.

Mithridates quoque rex magnificè gratus apparuit, quoniam pro Leonico acerrimo defensore salutis suæ, à Rhodijs nauali pugna excepto, omnes hostium captiuos permutauit: satius esse existimans ab inuictissimis circumueniri, quàm benemerito gratiam non referre.

De Attalo rege.

Liberalis populus Romanus magnitudine muneris, quòd Attalo regi Asiam dedit dono: Sed Attalus etiam testamenti æquitate gratus, qui eandem Asiam populo Romano legauit. Itaque nec huius munificentia, nec illius tam memor beneficij animus tot uerbis laudari potest, quod amplissimæ ciuitates uel amicè datæ, uel piè reddītæ sunt.

De Masinissa rege.

Cæter

Cæterùm nescio an præcipuè Masinissæ regis pectus grati animi pignoribus fuerit refertum: beneficio enim Scipionis, & persuasu regni modo liberius auctus, memoriam inclyti muneris ad ultimum uitæ finem, longæ etiam à Dijs immortalibus senectute donatus, constantissima fide perduxit: adeo, ut eum non solum Africa, sed etiam cunctæ gentes scirent amiciorem Corneliæ familiæ, atque urbi Rom. quàm sibimet semper fuisse. Ille, cùm graui Carthaginiēsium bello premeretur, ac uix tutelæ suī imperij sufficeret, tamē Scipioni Æmiliano, quia nepos Africani erat, bonam, magnamq; partem Numidici exercitus, quā Lucullo Consuli, à quo ad auxilia petēda missus fuerat, in Hispaniam duceret, promptissima mente tradidit, præsentiq; periculo respectum pristini beneficij anteposuit. Ille, cum iam ætate deficiente, magnas regni opes, quatuor & quinquaginta filiorum numero relinquens in lectulo labcretur, Marcum Manilium, qui proconsul Africam obtinebat, literis obsecrauit, ut ad se Scipionem Æmilianū, sub eo tunc militantem mitteret: felicioremē mortem suam futuram ratus, si in cōplexu dextræ eius supremum spiritum, ac mandata posuisset. Ille aduentum Scipionis satis suis præcurrentibus, hæc uxori, liberisq; præceperat: unum in terris pop. Rom. & unam in pop. Rom. Scipionis

giem suam formatam poni uoluit.

De L. Sylla.

Lucius quoque Sylla, cùm Imperator esset, chlamidato sibi, & crepidato Neapoli ambulare deforme non duxit.

De Caio Duellio.

Caius autem Duellius, qui primus naualem triumphum ex Pœnis retulit, quotiescũq; epulaturus erat, ad funalem cereum præeunte tibicine, & fidicine, à cœna domum reuerti solitus est, insignem bellicæ rei successum nocturna celebratione testando.

De Papyrio Massone.

Nam Papyrius quidem Masso, cùm bene gesta Repub. triumphum à Senatu non impetrasset, in Albano monte triumphãdi & ipsè initium fecit, & cæteris postea exemplum præbuit, proq; laurea corona cùm alicui spectaculo interesset, myrtea usus est.

De C. Mario.

Num C. Marij penè insolens factum? Nam post Iugurthinum, Cimbricumq;, & Theutonicum triumphum, cantharo semper potauit: quòd Liber pater inclytum ex Asia ducens triumphum hoc usus poculi genere ferebatur, ut inter ipsum haustum uini, victoriæ eius suas victorias compararet.

De M. Catone.

Marcus autem Cato Prætor M. Scauri, cæteror-

umq; reorũ iudicia nulla indutus tunica, sed tantùmodo amictꝰ prætexta, egit: sed hæc, atq; his similia, uirtutis aliquid sibi in consuetudine nouanda licentiæ sumentis indicia sunt. Illis autem, quæ deinceps subnectam, quantum sui habere fiduciam soleat, cognoscetur.

DE FIDVCIA SVI.

CAP. VII.

Prob. & Cn. Scipionibus in Hispania cum maiore parte exercitus acie Punica oppressis, omnibusq; prouinciæ eius nationibus Carthaginiensium amicitiã secutis, nullo ducum nostrorum illic ad corrigendam rem proficisci audente, P. Scipio quartum & uigesimum annum agens iturũ se pollicitus est. Quæ quidẽ fiducia p. R. salutis ac uictoriæ spem dedit. Eademq; in ipsa Hispania usus est. Nam, cùm oppidum Badiam circunsederet, tribunal suum adeuntes, in ædem, quæ intra mœnia hostium erat, uadimonium in posterum diem facere iussit. cõtinuoq; urbe potitus, & tempore, & loco, quo prædixerat, sella posita, ius eis dixit. Nihil hac fiducia generosius, nihil prædictione uerius, nihil celeritate efficacius, nihil etiam dignitate dignius. Nec minus animosus, minus'ue prosper illius in Africã transitus, in quam è Sicilia exercitũ Senatu uetante traduxit, quia nisi plus in ea re suo, quàm PA. CONSC. *cõsilio credidisset, secũdi Punici belli*

finis

lani uiolentia. Ille enim metu patriæ pulsauit, hic uerecundia: de qua ne queri quidem (tanta ueræ pietatis cõstantia) nisi post fata sustinuit.

In Scipionem Asiaticum.

Talia passo (credo) quæ fratri eius acciderũt, solatio esse potuerunt: cui Rex Antiochus deuictus, & Asia imperio P.R. adiecta, speciosissimus q; triumphus, ut peculatus reus fieret, & in carcerẽ duci iuberetur, causam præbuit.

In Africanum posteriorem.

Nihilo uirtute minor posterior Africanus: sed ne exitu quidem felicior: duabus enim urbibus Numantia, atque Carthagine imperio Rom. imminentibus, ex rerum natura depulsis, raptorem spiritus domi inuenit, mortis punitorem in foro non reperit.

In Scipionem Naficam.

Quis ignorat tantum laudis Scipionem Naficam toga, quantum armis utrunq; Africanum meruisse? Qui pestifera Tiberij Gracchi manu faucibus oppressam Remp. strangulari passus non est: sed is quoque propter iniquissimam uirtutum suarum apud ciues æstimationem sub titulo legationis Pergamum secessit. Et quod uitæ superfuit, ibi sine ullo ingratæ patriæ desiderio peregit.

In Lentulum.

In eodem nomine uersor, necdum Corneliæ gẽtis querelas exhausi. Nãq; P. Lentulus clariss

rissimus, & amantissimus Reip. ciuis, cùm in Auentino Caij Gracchi nefarios conatus, & aciem pia, ac forti pugna, magnis uulneribus exceptis, fugasset, prælij illius, quo leges, pacem, libertatemq; in suo statu retinuerat, hanc mercedem tulit, ne in nostra quidem urbe moreretur. Siquidem inuidia, & obtrectatione compulsus, legatione à Senatu libera impetrata, habitaq; concione, qua à dijs immortalibus petijt, ne unquam ad ingratum populum reuerteretur, in Siciliam profectus est, ibiq; perseuranter morando compotem se uoti fecit. Quinque igitur deinde Cornelij, totidem sunt notissima ingratæ patriæ exempla, atque horum quidem secessus uoluntarij.

In Halam Seruilium.

Hala uerò, cùm magistrum equitum Spurium Melium regnum affectantem occidisset, custoditæ libertatis ciuiũ, exilio suo pœnas pependit. Cæterùm ut Senatus populiq; mens in modũ subitæ tempestatis concitata, leui querela prosequenda est: ita singulorũ ingrata facta liberiore indignatione proscindenda sunt: quia potẽtes consilij, cùm utrunq; ratione perpendere liceret, scelus pietati prætulerunt.

De P. Sextilio.

Quo enim nimbo, qua procella uerborũ, impium Sextilij caput obrui meretur? Quod L. Cæsarem, à quo tum studiosè, tum etiã feliciter

grauissimi criminis reus defensus fuerat, Cinnanæ proscriptionis tẽpore profugum, præsidiũ suum in fundo Tarquiniensi cladis conditione implorare, beneficij iura repetere coactã, à sacris perfidæ mensæ, & altaribus nefandorum penatium auulsum, truculento uictori iugulandum tradere nõ exhorruit. Finge accusatorem eius fortuna publica in supplicis nomen conuersum, tam luctuosam illam opem genibus annixum orasse, crudeliter tamen repulsus uideretur: quinetiam quos iniuriæ inuisos faciũt, gratiosos miseriæ reddunt. Verùm Sextilius nõ accusatorẽ, sed patronũ sæuissimæ inimicitiæ suis manibus obiecit: si metu mortis, uita indignus: si præmij spe, morte dignissimus.

De Cn. Popilio Lenate.

Sed ut ad alium consentaneũ huic ingrati animi actum transgrediar, M. Cicero Cn. Popilium Lenatẽ, Picenæ regionis, rogatu Marci Cælij, non minore cura, quàm eloquẽtia defendit: cumq; causa admodum dubia fluctuãtem saluum ad penates suos remisit. hic Popilius postea nec re, nec uerbo à Cicerone læsus, ultrò M. Antoniũ rogauit, ut ad illũ proscriptum persequẽdũ & iugulandum mitteretur: impetratusq; detestabilis ministerij partibus, gaudio exultans, Caietam cucurrit, & uirum, omitto quòd amplissimæ dignitatis, certè salutis eius autorẽ, studio præstantis officij priuatim

tim sibi uenerandum, iugulũ præbere iussit: ac protinus caput Romanæ eloquentiæ, & pacis clarissimam dexterã, per summũ, & securum oriũ amputauit: eaq; saeuitia, tanquam opimis spolijs alacer in urbẽ reuersus est. Neq; ei scelestum portãti onus succurrit, illud se caput ferre, quod pro capite eius quõdam perorauerat. Inualidæ ad hoc monstrum sugillãdum literæ: quoniam qui talem Ciceronis casum satis dignè deplorare possit, alius Cicero non extat.

De Pompeio Magno.

Quo te nunc modo Magne Pompei attingam, nescio. Nam et amplitudinẽ fortunæ tuæ, quæ quondam omnes terras, & omnia maria fulgore suo occupauerat, intueor: & ruinam eius maiorem esse, quàm ut manu mea attentari debeat, memini. Sed tamen nobis quoque tacentibus Cn. Carbonis, à quo admodũ adolescens de paternis bonis in foro dimicans protectus es, iussu tuo interempti mors animis hominum obuersabitur, non sine aliqua reprehensione: quia ingrato facto, plus L. Syllæ uiribus, quàm propriæ indulsisti uerecundiæ.

EXTERNA.

De Carthaginiensibus.

At ne nostra confessis alienigenæ urbes insultent, Carthaginienses Annibalẽ, qui pro illorum incolumitate, & uictoria tot Imperatores, totũq; exercitus nostros trucidauerat, quot

gregarios milites hostium si occidisset, magnæ gloriæ foret, è conspectu suo submouere inamicum induxerunt.

De Spartanis.

Neminem Lycurgo aut maiorẽ, aut utiliorem uirũ Lacedæmon genuit: utpote cui Apollo Pythius oraculũ petenti respondisse fertur, nescire se utrum illum hominum an Deorum numero aggregaret: huic tamẽ neq; uitæ summa synceritas, neq; cõstantissimus erga patriã amor, neq; leges salubriter excogitatæ auxilio esse potuerunt, quò minus infestos ciues experirentur: sæpe enim lapidibus petitus, aliquando iectus publico furore, etiam priuatus oculo: ad ultimũ ipsa patria pulsus est. Quid aliæ facient urbes? ubi etiã illa, quæ cõstãtiæ, & moderatiõis, et grauitatis sibi laudẽ eximiã uẽdicat, tã ingrata aduersus tã benemeritũ extitit?

De Athenienſibus.

Detrahe Athenienſibus Theſea nullæ, aut non tam claræ Athenæ erunt: ſiquidẽ ille uicatim diſperſos ciues ſuos in unam urbem contraxit ſeparatimq; & agreſti more uiuenti populo, ampliſſimæ ciuitatis formã atq; imaginem impoſuit. Idem ſæua potentiſſimi Regis Minois imperia uixdum ætate pubeſcente repulit. Idem effrænatam Thebarum inſolẽtiam domuit. Idem opem liberis Herculis tulit, & quicquid ubiq; monſtri, aut ſceleris fuit, uirtute animi, ac robore dextræ cõminuit: huius tamen ſummoti ab Athenienſibus, Scyros exule minor inſula, oſſa mortui cepit.

In Solonem.

Iam Solon, qui tã præclaras, tamq; utiles Athenienſibus leges tulit, ut ſi ijs perpetuò uti uoluiſſent, ſempiternũ habituri fuerint imperium: qui Salamina uelut hoſtilem arcem ex propinquo ſaluti eorum imminentem recuperauit: qui Piſiſtrati tyrannidem primus uidit orientem, & ſolus armis opprimi debere, palàm dictitare auſus eſt: ſenectutem Cypri profugus exegit: neque ei in patria, de qua optimè meruerat, humari contigit.

In Miltiadem.

Bene egiſſent Athenienſes cum Miltiade, ſi eum poſt trecenta millia Perſarũ Marathone deuicta in exiliũ protinus miſiſſent, ac non in carcere, & uinculis mori coegiſſent: ut puto, hactenus ſæuire aduerſus optimè meritũ abũde duxerunt. Imò ne corpus quidem eius, ſic expirare coacti, ſepulturæ prius mandari paſſi ſunt, quàm filius eius Cimon eiſdem uinculis ſe conſtringendum traderet: hanc hæreditatem paternã maximi ducis filius, & futurus ipſe ætatis ſuæ dux maximus, ſolum ſe ſortitum, catenas ſcilicet & carcerem gloriari potuit.

In Ariſtidem.

Ariſtides etiã, quo totius Græciæ iuſtitia

censetur, cõtinentiæ quoq; eximium specimen, patria iussus excedere est. Felices Athenas, quæ post illius exilium inuenire aliquem, aut uirum bonum, aut amantem sui ciuem potuerunt, cum quo tunc ipsa sanctitas migrauit.

In Themistoclem.

Themistocles eorũ, qui ingratã patriã experti sunt, celeberrimũ exẽplum, cùm illã incolumem, clarã, opulentã, principem Græciæ reddidisset, coegit; sensit inimicam, ut ad Xerxis, quem paulò antè destruxerat, non debitam sibi misericordiam perfugere necesse haberet.

In Phocionem.

Phocion uerò his dotibus, quæ ad pariendũ honorem potentissimæ iudicantur, clementia & liberalitate instructissimus, non tantùm in eculeo ab Atheniẽsibus impositus est, sed certè post obitum nullam Atticæ regionis, quæ ossibus eius iniceretur, glebulã inuenit, infossus extra fines proÿci, intra quos optimus ciuis uixerat. Quid abest igitur quin publica demẽtia sit existimãda, summo consensu maximas uirtutes, quasi grauissima delicta punire, beneficiaq; iniurijs rependere? quod cùm ubiq; tum præcipuè Athenis intolerabile uideri debet: in qua urbe aduersus ingratos actio cõstituta est: & rectè: quia dandi, & accipiẽdi beneficij cõmerciũ, sine quo uix uita hominũ extat, perdit, & tollit, quisquis benemeritò parẽ referre gratiam

gratiam negligit. Quantã ergo reprehensionẽ meretur, qui cum æquissima iura, sed iniquissima haberent ingenia, moribus suis, quàm legibus uti maluerunt? Quod siqua prouidẽtia Deorũ effici posset, ut excellẽtissimi uiri, quorum modò casus retuli, legẽ ingratorũ uindicem retinentes, patriã suam in ius, ad aliã ciuitatem pertraherent, non'ne ingeniosum, & garrulũ populũ, mutum, atq; elinguẽ hac postulatione reddidissent? discordes foci tui, paciscq; diuidua tuguria Græciæ facta sunt columen. Lucet Marathon Persicis trophæis: Salamis, et Artemisiũ Xerxis naufragia numerantur: prænalidis manibus exhausta mœnia, pulchrioribus operibus cõsurgunt: harũ rerum autores ubi uixerunt? ubi iacent? respõde: nẽpe Theseа paruulo in scopulo sepeliri, & Miltiadem in carcere mori, & Cimona paternas induere catenas, & Themistoclem uictorẽ uicti hostis genua cõplecti, Solonemq; cũ Aristide, & Phocione penates suos ingrata fugere coëgisti: cum interim cineribus nostris fœdè ac miserabiliter dispersis, Oedipodis ossa, cæde patris, nuptijs matris contaminata, inter ipsum Areopagũ, diuini atq; humani certaminis uenerabile domicilium, et excelsis præsidijs Mineruæ arcẽ honore aræ decoratos, sacrosãctiores colis: adeò tibi aliena mala tuis bonis gratiora sunt. Lege itaq; legẽ, quæ te iureiurãdo obstrictã tenet

& quia benemeritis debita reddere præmia noluisti, læsis iusta piacula exoluæ. Tacent mutæ umbræ fati necessitate constrictæ. At immemores beneficiorũ Athenæ reprehensione, lingua sermone licenti soluta, non uacent. Sed omittamus ingratos, & potius de pijs loquamur. Aliquantò enim satius est fauorabili, quàm inuisæ rei uacare. Venite igitur in manus nostras prospera parentum nota, felicibus auspicijs propagatæ soboles, quæ efficitis, ut & genuisse iuuet, & generare libeat.

DE PIETATE. CAP. IIII.

De Coriolano.

Coriolanus maximi uir animi, & altissimi consilij, optimeq; de Repu. meritus, iniquissimæ damnationis ruina prostratus, ad Volscos infestos tunc Romanis confugit. Magno ubiq; pretio uirtus æstimatur. Itaq; quò latebras quæsitũ uenerat, ibi breuissimè summũ adeptus est imperiũ. Euenitq; ut quẽ pro se salutarem Imperatorem ciues habere uoluerant, penè pestiferũ aduersus se ducem experirẽtur: frequenter enim fusis exercitibus nostris, uictoriarum suarum gradibus, aditum iuxta mœnia urbis Volsco militi struxit. Quapropter fastidiosus ille in æstimãdis bonis suis populus, qui reo non pepercerat, exuli coactus est supplicare: missi ad eum deprecandũ legati, nihil profecerunt: missi deinde sacerdotes cum insulis,

lis, æquè sine effectu redierunt: stupebat Senatus, trepidabat populus, uiri pariter, & mulieres exitiũ imminens lamentabantur. Tunc Veturia Coriolani mater, Volumniã uxorem eius, & liberos secũ trahens, castra Volscorum petijt: quam ubi filius aspexit, properè ut amẽs matris complexum petijt. Illa ex precibus in iram uersa ait: Sine ut prius, quàm complexũ accipiam, sciam, an ad hostem, an ad filiũ uenerim: captiuane, an mater in castris tuis sim. In hoc me longa uita, & infelix senecta traxit, ut exulem, deinde te hostem uiderem? potuisti populari hanc terram, quæ te genuit, atque aluit? nisi te peperissem, Roma non oppugnaretur: multaq; insuper addidit cõplorando: quibus, & uxoris, ac paruulorũ fletibus motus, matrẽ complexus, Expugnasti, inquit, & uicisti iram meã patria. Precibus huius admonitus, cuius utero conceptus sum, teguãuis meritò mihi inuisam, dono: continuoq; agrum Romanum hostilibus armis liberauit. Ergo pectus acceptæ dolore iniuriæ spe potiundæ uictoriæ, uerecundia detrectandi ministerij, metu mortis refertum, totum sibi pietas uacuefecit: uniusq; parentis aspectus, bellum atrox salutari pace mutauit.

De Superiore Africano.

Eadem pietas uiribus suis inflammatũ Africanum superiorẽ, nixdum annos pubertatis in-

gressum, ad opẽ patri in acie ferendã uirili robore armauit. Consulẽ enim cũ apud Ticinũ suum aduersis auspicijs cũ Annibale pugnãtem sauciũ grauiter, intercessu seruauit suo: neque illũ aut ætatis infirmitas, aut militiæ tyrociniũ, aut infelicis prælij etiã ueterano bellatori pertimescendus exitus, interpellare ualuit, quo minus duplici gloria cõspicuus, coronam, imperatore simul & patre ex ipsis morte rapto, mereretur. Auribus ista tam præclara exempla Ro. ciuitas accepit, illa uidit oculis.

De L. Manlio Torquato.

Lucio Manlio Torquato diem ad populum Pomponius Tri. Pleb. dixerat, quòd occasione benefaciendi belli ductus, obtinendi legitimã imperij tempus excessisset: quodq; filiũ optimæ indolis iuuenẽ, rustico opere grauatũ, publicis usibus subtraheret. Id postquã Manlius adolescens cognouit, protinus urbẽ petiit, & se in Põponij domum prima luce direxit: qui existimans in hoc cum uenisse, ut patris crimina, à quo plus iustò aspere tractabatur, deferret: excedere omnes iussit cubiculo, quò licentius remotis arbitris iudicium perageret, nactus occasionem opportunam proposito suo iuuenis, gladium, quem tectum attulerat, distrinxit: tribunumq; minis, ac terrore compulsum iurare coëgit, à patris eius accusatione recessurum: eoq; effectum est, ne Torquatus causam

causam diceret. Commendabilis est pietas, quæ mansuetis parentibus præstatur: sed Manlius quò horridiorem patrem habuit, hòc periculo eius laudabilius subuenit: qui ad eum diligendum præter naturalem amorem, nullo indulgentiæ blandimento inuitatus fuerat.

De M. Cotta.

Hanc pietatem æmulatus Marcus Cotta, eo ipso die, quo togam sumpsit uirilem, protinus ut è Capitolio descendit, C. Carbonem, à quo pater eius damnatus fuerat, postulauit: protractumq; reum iudicio afflixit, & ingenium, & adolescentiam præclaro opere auspicatus.

De C. Flaminio.

Apud C. quoq; Flaminium autoritas patria æque potens fuit. Nam cum Trib. pleb. legem de Gallico agro uiritim diuidendo, inuito, & repugnante Senatu promulgasset, precibus minisq; eius acerrimè resistens, ac ne exercitu quidem aduersus se conscripto, si in eadem sententia perseueraret, absterritus, postquam pro Rostris ei legem iam referenti pater manum iniecit: primato fractus imperio, descendit è Rostris, ne minimo quidem murmure destitutæ concionis reprehensus.

De Claudia uirgine Vestali.

Magna sunt hæc uirilis pietatis opera, sed nescio an his omnibus ualentius, & animosius Claudiæ Vestalis uirginis factũ: quæ cùm patrem

trem suũ triumphantẽ, è curru uolẽtẽ Trib. pl. manu detrahi animaduertisset, mira celeritate utrisq; se imponẽdo, amplissimã potestatẽ inimicitijs accensam depulit. Igitur alterũ triumphum pater in Capitoliũ, alterum filia in ædem Vestæ duxit: nec discerni potuit, utri plus laudis tribueretur: cui victoria, an cui pietas comes aderat. Ignoscite uetustissimi foci, ueniãq; æterni date ignes, si à uestro sacratissimo tẽplo ad necessariũ, magisq; speciosum urbis locum contextus operis nostri progressus fuerit. Nulla enim acerbitate fortunæ, nullis sordibus pretium charæ pietatis euilescit: quinetiam eò certius, quò miserius experimentum habet.

De amore filiæ erga matrem.

Sanguinis ingenui mulierem prætor apud tribunal suũ capitali crimine damnatã, triumuiro in carcere necandam tradidit: quam receptam, is, qui custodiæ præerat misericordia motus, non protinus strangulauit: adiũ quoq; ad eam filiæ, sed diligẽter excussæ, nequid cibi inferret, dedit: existimans futurum, ut inedia consumeretur. Cùm autem iam dies plures intercederent, secum ipse quærens, quidnam esset, quod tandiu sustentaretur, curiosius obseruata filia, animaduertit illam exerto ubere famẽ matris lactis sui subsidio lenientem: quæ tam admirabilis spectaculi nouitas ab ipso ad Triumuirum, à Triumuiro ad prætorem, à prætore ad consulum iudicium perlata, remissionem pœnæ mulieri impetrauit. Quò nõ penetrat, aut quid non excogitat pietas? quæ in carcere seruandæ genitricis nouam rationem inuenit. Quid enim tam inusitatum, quid tam inauditum, quàm matrem uberibus natæ alitam? putauerit aliquis hoc contra rerum naturam factum, nisi diligere parentes prima naturæ lex esset.

De filiæ pietate in patrem.

Idem prædicatiũ de pietate eius existimetur, quæ patrem suũ Cimona consimili fortuna affectum, pariq; custodiæ traditum, iam ultimæ senectutis uelut infantẽ, pectori suo admotum aluit. Hærent, ac stupent hominum oculi, cùm cuius facti pictam imaginem uident, casusq; antiqui conditionem, præsentis spectaculi admiratione renouant, in illis mutis membrorum lineamentis uiua ac spirantia corpora intueri credentes: quod necesse est animo quoq; euenire aliquantò efficaciore pictura literarum uetera pro recentibus admonito recordari.

De Cimonis pietate erga patrem.

Ne te quidem Cimon silentio inuoluam, qui patri tuo sepulturam uoluntarijs uinculis emere non dubitasti. Nam etsi maximo tibi posteæ & ciui, & duci euadere contigit, plus tamen aliquanto laudis in carcere, quàm in curia adfecutus es: cæteræ enim uirtutes admirationis tantummodo multum, pietas uerò etiam amoris plus

ris plurimum meretur.

EXTERNA.

De duobus Fratribus.

Vos quoq; fratres memoria complectar, quorum animus origine fuit nobilior. Siquidē admodum humiles in Hispania nati, pro parentum alimentis spiritum erogando, speciosō exitu uitæ inclaruistis: duodecim enim millia nummūm, quæ post mortem uestram his darentur, à filijs Patietis pacti estis, ut eorū patris interfectorem Epastum gentis suæ tyrannum occideretis: nec ausi solum insigne facinus estis, sed etiam strenuo, ac forti exitu claruistis. Eisdem enim manibus Patietis ultionem, Epasti pœnam, genitoribus nutrimenta, uobis gloriosa fata peperistis. Itaq; tumulis etiam nunc uiuitis, quia parentum senectutem tueri quàm uestram expectare satius esse duxistis.

De Cleobe & Bitone fratribus, & Amphinomo & Anapo.

Notiora sunt fratrum paria, Cleobis, & Biton, Amphinomus, & Anapus: illi, quòd ad sacra Iunonis peragenda matrem uexerunt: ij, quòd patrem & matrem humeris per medios ignes Aetnæ portarunt: sed neutris pro spiritu parentum expirare propositum fuit. Nec ego Argiuam detrecto laudem, aut Aetnæi montis gloriam inuoluerim: uerùm obscuriori propter ignorantiam pietati notitiæ lumen admoueo: sicut Scythis libenter pietatis testimonium reddo.

De Dario rege.

Dario enim totis regni sui uiribus in eorum regionibus subinde impetum facienti, paulatim cedentes, ad ultimas iam solitudines peruenerant. Interrogati deinde ab eo per legatos, quem fugiendi finem, aut quod initiū pugnandi facturi essent: responderunt, se nec urbes ullas, nec agros cultos, pro quibus dimicarēt, habere: cæterum cùm ad parentum suorum monimēta uenissent, scituros, quemadmodum Scythæ præliari solerent. Quo quidem uno tam pio dicto, immanis, & barbara gens ab omni se se uitatis crimine redemit. Prima igitur & optima rerum natura pictatis est magistra, quæ nullo uocis ministerio, nullo usu literarum indigens, proprijs, ac taciris uiribus, charitatem parentum liberorum pectoribus infundit. Quid ergo doctrina proficit? ut politiora, sed non ut meliora fiant ingenia: quoniam quidem sola uirtus nascitur magis, quàm fingitur.

De filio Crœsi.

Quis enim plaustris uagos, & syluarum latebris corpora sua tegentes, in modumq; ferarum laniatu pecudum uiuentes, sic Dario respondere docuit? Illa nimirum, quæ etiam Crœsi filium loquendi usu defectum, ad protegēdam patris incolumitatem ministerio uocis instruxæ

instruxit. Captis enim à Cyro Sardibus, cùm unus è numero Persarum, ignarus uiri, in eadem eius concitato impetu ferretur: uelut oblitus quid sibi nascenti fortuna denegasset, ne Crœsum regem occideret, proclamando, pene iam impressum mucronem iugulo reuocauit. Ita, qui ad id tempus mutus sibi uixerat, saluti parentis uocalis factus est.

De quodam iuuene, dicto Plutone.

Eadem charitas Italico bello Pinensem iuuenem, cui Plutoni erat cognomẽ, tanto animi, corporisq; robore armauit, ut cum obsessæ urbis suæ claustris præsideret, & Romanus Imperator patrem eius captiuũ, in cõspectu ipsius constitutum, districtis militum gladijs circumdedisset, occisurum sẽ minitans, nisi irruptioni suæ iter præbuisset, solus è manibus eorũ senem rapuerit, duplici pietate memorandus, quòd & patris seruator, nec patriæ fuit proditor.

DE PIETATE ERGA fratres. CAP. V.

HAnc charitatẽ, proximus fraternæ beneuolentiæ gradus excipit. Nam ut meritò primũ amoris uinculũ ducitur plurima, & maxima beneficia accepisse: ita proximũ iudicari debet simul accepisse. quàm copiosè enim suauitatis illa recordatio est: In eodem domicilio antè quàm nascerer, habitaui: in ijsdem incunabulis infantiæ tẽpora peregi: eosdẽ appellaui

laui parentes: eadem pro me uota excubuerũt: parem ex maiorũ imaginibus gloriam traxi. Chara est uxor, dulces liberi, iucũdi amici, accepti affines: sed postea cognitis nulla beneuolentia accedere debet, quæ priorem exhauriat.

De Scipione maiore.

Atq; hæc tẽste Scipione Africano loquor, qui tametsi arctissima familiaritate Lælio iunctus erat, attamen Senatum supplex orauit, ne prouinciæ sors fratri suo erepta, ad eum transferretur: legatumq; se L. Scipioni in Asiam iturum promisit, & maior natu, minori: & fortissimus, & belli gloria excellens, laudis inopi: & quod super omnia est, nõdum Asiatico, iam Africanus. Itaque clarissimorum cognominum alterum sumpsit, alterum dedit: triumphi que prætextam huius excepit, illius tradidit: ministerio aliquanto maior, quàm frater Imperio.

De M. Fabio consule.

Macus uerò Fabius consul inclyta pugna Hetruscis, & Veientibus superatis, delatum sibi summo Senatus, populi que studio triumphum ducere non sustinuit: quia eo prælio Q. Fabius frater eius consularis fortissimè dimicans occiderat. Quantam in eo pectore pietatem fraternæ charitatis habitasse existimemus, propter quam tantus amplissimi honoris fulgor extingui potuit?

De Tiberio Cæsare.

Hoc exemplo uetustas, illo seculum nostrum ornatum est: cui contigit fraternum ingũ claudiæ prius, nunc & Iuliæ gentis intueri decus: tantum enim amorem Princeps, parẽsq; noster insitum animo fratris Drusi habuit, ut cùm Vicini, quò uictor hostium ad complectendos parentes uenerat, graui illum, & periculosa ualetudine in Germania fluctuare cognouisset, protinus inde metu attonitus crumperet. Iter quoque quàm rapidum, & præceps uelut uno spiritu corripuerit, eo patet, quòd Alpes, Rhenumq; transgressus, die ac nocte, mutato subinde equo, ducentis millibus passuũ, per modo deuictam Barbariam, Antabagio duce solo comite contentus, euasit, sed eum tunc maximo labore & periculo implicatũ, mortaliumq; frequentia defectum, sanctissimum pietatis numen, & Dij fautores eximiarum uirtutum, & fidissimus Romani Imperij custos Iupiter comitatus est. Drusus quoq;, quãquam fato iam suo, quàm illius officio propior erat, uigore spiritus, & corporis uiribus collapsus, eo ipso tamen, quo uita & mors distinguitur, momento, legiones cum insignibus suis fratri obuiam procedere iussit, & ut Imperator salutaretur, præcepit: & dextra in parte prætorium ei statui, & consulare, & Imperatorium nomen obtinere uoluit: eodem'que tempore, & fraterna maie

maiestati cessit, & uita excessit.

De quodam milite Cn. Pompeii.

His scio equidem nullum aliud, quàm Castoris, & Pollucis specimen consanguineæ charitatis cõuenienter adijci posse: sed omnis memoriæ clarissimis Imperatoribus profecto non erit ingratum, si militis summa erga fratrem suum pietas, huic uoluminis parti adhæserit. Is nãq; in castris Cn. Pompeij stipendia peragens, cùm Sertorianum militem acrius sibi in aciem instantem cominus interemisset, iacentemq; spoliaret, ut fratrem germanũ esse cognouit, multum, ac diu conuitio deos ob donum impiæ uictoriæ insecutus, propè castra transtulit, & pretiosa ueste opertum, rogo imposuit, ac deinde subiecta face, protinus eodem gladio, quo illum interemerat, pectus suum transuerberauit: seq; super corpus fratris prostratum, commanibus flammis cremandam tradidit. Licebat ignorantiæ beneficio innocenti uiuere: sed ut sua potius pietate, quàm aliena uenia uteretur, comes fraternæ necis non defuit.

DE PIETATE ERGA patriam. CAP. VI.

Arctissimis sanguinis uinculis pietas satisfecit: restat nũc ut patriæ exhibeatur: cuius maiestati, etiam illa, quæ deorũ numinibus æquatur, autoritas parentum, uires suas subiecit: fraterna quoque charitas æquo animo,

ac libenter cedit, summa quidem cum ratione: quia euersa domo, interdum Reipub. status manere potest: urbis ruina, penates omnes secum trahat necesse est. Verùm quid attinet uerbis ista complecti? quorum tanta uis est, ut aliqui salutis suæ impendio testati sint.

De Bruto primo consule.

Brutus consul primus cum Arunte Tarquinij Superbi filio regno expulsi in acie ita equo concurrit, ut pariter illatis hastis, uterq; mortifero uulnere ictus exanimis prosterneretur. Meritò obiecerim populo Romano libertatem suam magno stetisse.

De Curtio Romano.

Cùm autem in mediam partem fori, uasto ac repentino hiatu terra subsideret, responsumq; esset, ea re illum tantummodo compleri posse, qua pop. Rom. plurimum ualeret: Curtius & animi, & generis nobilissimus adolescens, interpretatus urbem nostram uirtute, armisq; præcipuè excellere, militaribus insignibus ornatus, equum conscendit, eumq; uehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit: super quem uniuersi ciues honoris gratia certatim fruges iniecerunt, continuoq; terra pristinum habitum recuperauit. Magna postea decora in foro Romano fulserũt: nullum tamen hodie pietate Curtij erga patriam clarius obnersatur exemplum: cui principatum gloriæ

gloriæ obtinenti consimile factum subnectam.

De Genitio Cippo Prætore.

Genitio Cippo Prætori paludato portã egredienti, noui, & inauditi generis prodigium incidit. Nanq; in capite eius subitò uelut cornua emerserunt: responsumq; est cum regem fore, si in urbem reuertisset. Quod ne accideret, uoluntarium, ac perpetuum sibimet indixit exilium. Dignam pietatem, quæ quod ad solidam gloriam attinet, septem regibus præferatur: cuius testandæ rei gratia capitis effigies æreæ portæ, quã excesserat, inclusa est: dictã que Raudusculana, quòd olim rauda æra dicebantur.

De Aelio Prætore.

Genitius laudis huius successionem Aelio Prætori tradidit, cui ius dicenti, cùm in capite picus consedisset, aruspexq; affirmasset, conseruato eo fore domus ipsius statum felicissimum, Reipublicæ miserrimum: occiso in contrarium utrunq; cessurum: euestigio picum morsu suo in conspectu Senatus necauit: decem & septem militum familiam eximiæ fortitudinis uiros Cannensi prælio amisit: Respub. procedente tempore ad summum Imperij fastigium excesit. Hæc nimirum exempla, Sylla, & Marius, & Cinna tanquam stultæ irriserunt.

De P. Decio.

Publius Decius, qui consulatũ in familiam suam primus intulit, cùm Latino bello Roma-

nam aciem inclinatam penè iam & prostratã uideret, caput suum pro salute Reipub. deuouit, ac protinus concitato equo, in medium hostium agmen, patriæ salutem, sibi mortem petens, irrupit. factaq; ingenti strage, plurimis telis obrutus, super corruit: ex cuius uulneribus, & sanguine insperata victoria emersit.

De filio P. Decii.

Vnicum talis imperatoris specimen esset, nisi animo suo respõdentem filiũ genuisset. Is nanq; in quarto consulatu patris exemplum secutus, deuotione simili, æquè strenua pugna, consentaneo exitu labantes, perditasq; utres urbis nostræ correxit. Itaq; dignosci aduum est, utrum Romana ciuitas utilius habuerit Decios, an amiserit: quoniam uita eorum ne uinceretur, obstitit, mors fecit ut uinceret.

De Scipione Afr. superiore.

Non est extinctus pro Repub superior Scipio Africanus: sed admirabili uirtute ne Respub. extingueretur, prouidit: siquidem cùm afflictæ Cannensi clade urbs nostra, nihil aliud quàm præda uictoris esse Annibalis uideretur, ideoq; reliquiæ prostrati exercitus, deserendæ Italiæ, auiore Quinto Metello, consiliũ agitarent: tribunus militũ admodum iuuenis, stricto gladio mortem unicuiq; minitãdo, iurare omnes nunquam se relicturos patriam coëgit: pietatemq; nõ solùm ipse pleniſsimam exhibuit: sed etiam ex

ex pectoribus aliorum abeuntem reuocauit.

De Publicanis.

Age ut à singulis ad uniuersos transgrediar, quanto, & quàm æquali amore patriæ tota ciuitas flagrauit? nam cùm secũdo Punico bello exhaustum ærarium, ne deorum quidem cultui sufficeret: publicani ultrò aditos censores hortati sunt, ut omnia sic locarẽt, tanquam Respub. pecunia abundaret, seq; præstituros cuncta, nec ullum æssem, nisi bello confecto, petituros polliciti sunt.

De dominis seruorum, equitibus & centurionibus.

Domini quoq; eorum seruorum, quos Sempronius Gracchus ob insignem pugnã Beneuenti manumiserat, pretia ab imperatore exigere supersederunt. In castris etiam non eques, non centurio stipendium sibi dari desiderauit: uiri, ac fœminæ, quicquid auri, argentiue habuerunt, item pueri insignia ingenuitatis ad sustentandam temporis difficultatem contulerunt: ac neq; beneficio senatus, qui muneribus his functos, tributi onere liberauerat, quisquam uti uoluit, sed insuper id omnes promptiſsimis animis præstiterunt. Non ignorabant enim captis Veijs, cum decimarum nomine, quas Camillus nouerat, aurum Apollini Delphico mitti oporteret: neque emendi eius facultas esset, matronas ornamenta sua in ærarium

retuliſſe. Similiterq; audierãt, mille pondo auri, quæ Gallis pro obſidione Capitolij promiſſa debebantur, earũ cultu expleta. Itaq; & proprio ingenio, & exemplo uetuſtatis admoniti, nulla ſibi in re ceſſandum exiſtimauerunt.

EXTERNA.

De Codro rege Athenien.

At externa eiuſdem propoſiti exempla attingam. Rex Athenienſium Codrus, cùm ingenti hoſtium exercitu Attica regio debilitata ferro, igniq; uaſtaretur, diffidẽtia humani auxilij ad Apollinis Delphici oraculum cõfugit, perq; legatos ſciſcitatus eſt, quonã modo illud tam graue bellum diſcuti poſſet. reſpondit deus, ita illi finem fore, ſi ipſe hoſtili manu occidiſſet. Quod quidem non ſolùm totis Athenienſium caſtris, ſed etiam contrarijs percrebuit. Eoq; factum eſt, ut ediceretur, nequis Codri corpus uulneraret. Id poſtquàm cognouit, depoſitis inſignibus imperij, familiarem cultum induit, ac pabulantiũ hoſtium globo ſeſe obiecit: unumq; ex his falce percuſſum, in eadem ſuam compulit: cuius interitu ne Athenæ occiderent, effectum eſt.

De Thraſybulo.

Ab eodem fonte pietatis Thraſybuli quoq; animus manauit: is, cùm Athenienſiũ urbem triginta tyrannorum teterrima dominatione liberare cuperet, paruaq; manu maximæ rei molem aggrederetur, & quidam è conſcijs dixiſſet: Quãtas tandem tibi Athenæ, per te libertatem conſecutæ, gratias debebunt? Reſpondit: Dij faciant, ut quantas ipſe illis debeo, uidear retuliſſe. Quem affectum inclytũ deſtructæ tyrannidis opus laude cumulauit.

molem

De Themiſtocle.

Themiſtocles autem, quem uirtus ſua uictorem, iniuria patriæ imperatorem Perſarum fecerat, ut ſe ab ea oppugnanda abſtineret, inſtituto ſacrificio, exceptum patera tauri ſanguinem hauſit: & ante ipſam aram, quaſi quædam pietatis clara uictima concidit: quo quidem tam memorabili eius exceſſu, ne Græciæ altero Themiſtocle opus eſſet, effectum eſt.

De duobus Philenis fratribus Carthaginienſibus.

Sequitur eiuſdem generis exemplũ: Cùm inter Carthaginẽ, & Cyrenas de margine agri pertinaciſſima cõtentio eſſet, ad ultimũ placuit utriq; eodem tempore iuuenes mitti, & locũ in quem ij cõueniſſent, finem ambobus haberi populis: uerùm hoc pactum duo fratres Carthaginienſes nomine Phileni, perfidia præcurrêre, citra conſtitutam horã maturato greſſu in longius promotis terminis: quòd cùm intellexiſſent Cyrenenſiũ iuuenes, diu de fallacia eorum queſti, poſtremò acerbitate cõditionis iniuriam diſcutere conati ſunt. dixerunt nanq; ſic eum

finem ratum fore, si Phileni uiuos se ibi obruẽ passi essent: sed consilio euentus non respondit: illi enim nulla interposita mora, corpora sua his terra operienda tradiderunt: qui quoniam patriæ, quàm uitæ suæ longiores terminos esse maluerunt, bene iacent, manibus, & ossibus suis Punico dilatato imperio. Vbi sunt superba Carthaginis alta mœnia? ubi maritima gloria inclyti portus? ubi cunctis littoribus terribilis classis? ubi tot exercitus? ubi tãtus equitatus? ubi immenso Africæ spatio non contenti spiritus? omnia ista duobus Scipionibus fortuna partita est. At Philenorum egregij facti memoriam, ne patriæ quidem interitus extinxit: Nihil est igitur excepta uirtute, quod mortali animo, ac manu, immortale quæri possit.

De Aristotele.

Iuuenili ardore plena hæc pietas. Aristoteles uerò supremæ uitæ reliquias senilibus, ac rugosis membris in summo literarum otio uix custodiens, adeò ualenter pro salute patriæ incubuit, ut eam ab hostilibus armis solo aquatam, in lectulo Athenienſi iacens, & quidem Macedonum manibus, quibus abiecta erat, eriperet. Ita urbs non tam strata, atque euersa Alexandri, quàm restituta Aristotelis notum est opus. Patet ergo quàm benignæ, quãq; profusæ pietatis erga patriam omniũ ordinum, omnis ætatis homines extiterint, sanctissimiq; naturæ

naturæ legibus mirificorum etiam exemplorum clara mundo subscripserit ubertas.

DE PARENTVM AMORE, & indulgentia in liberos.

CAP. VII.

Sed nunc uela pij affectus, & placidi, parentum erga liberos indulgentia, salubriq; aura prouecta, gratam suauitatis secũ dotem afferat. Fabius Rutilianus quinq; consulatibus summa cum gloria peractis, omnibusq; & uirtutibus, & uitæ emeritis stipendijs, legatus ire Fabio Gurgiti filio ad bellũ difficile, & periculosum conficiendum grauatus non est, penè ipso per se dum taxat animo sine corpore militaturus: utpote propter ultimam senectutem lectuli otio, quàm labori præliorũ habilior. Idem triumphãtis currum, equo insidens, sequi, quem ipse parulũ triumphis suis gestauerat, in maxima uoluptate posuit: nec accessor gloriosæ illius pompæ, sed autor spectatus est.

De Ceseto Romano.

Non tam Ceseti speciosa equitis Romani sors patria, sed par indulgẽtia: qui à Cæsare omniũ iam extremorum & domesticorum hostium uictore, cùm abdicare filium suum iuberetur, quòd is Trib. Pleb. cum Marullo collega, inuidiam ei tanquàm regnum affectanti fecerat: in hunc modum respondere sustinuit: Celerius tu mihi Cæsar omnes filios meos eripies, quàm

quàm ex his ego unum nota pellam mea. Habebat autem duos præterea optimæ indolis filios, quibus Cæsar se incrementa dignitatis benignè largiturum pollicebatur. Hunc patrem tametsi summa diuini principis clementia tutum præstitit, quis tamen non humano ingenio maius ausum putet, quòd cui totus orbis terrarum succubuerat, non cesserit?

De Octauio Balbo.

Sed nescio an Octauius Balbus cõcitatioris, & ardentioris erga filium benevolentiæ fuerit. Proscriptus à Triumuiris, cùm domo, posticè clàm esset egressus, iamq; fugæ expediti initium haberet: postquàm intus filium trucidari falso clamore uiciniæ accepit, ei se neci, quam euaserat, obtulit, occidendũq; militibus tradidit. Pluris nimirũ illud momentũ, quo illi prater spem uidere filium incolumem contigerat, quàm salutẽ suã æstimans. Miseros adolescentis oculos, quibus amantissimũ sui patrẽ ipsius opera sic expirantem, intueri necesse fuit.

De Seleuco rege.

Cæterùm ut ad iucundiora cognitu ueniamus, Seleuci Regis filius Antiochus nouercæ Stratonices infando amore correptus, memor quàm improbis facibus arderet, impiũ pectoris uulnus pia dissimulatione contegebat. Itaque diuersi ijsdem uisceribus affectus, ac medullis inclusi, summa cupiditas, & maxima uere-

cundia, ad ultimam tabem corpus eius redegerunt. Iacebat ipse Antiochus in lectulo, moribundo similis: lamentabãtur necessarij: pater mœrore prostratus, de obitu unici filij, deq; sua miserrima orbitate cogitabat: totius domus funebris magis, quàm regius erat ululus. Sed hanc tristitiæ nubẽ Leptini mathematici, uel, ut quidam tradunt, Erasistrati medici prouidentia discussit: iuxta enim Antiochũ sedens, ut eum ad introitum Stratonices rubore perfundi, & spiritu increbescere, eaq; egrediente pallere, & exercitatiorem anhelitum subinde recuperare animaduerit, curiosiore obseruatione ad ipsam ueritatem penetrauit. Intrante enim Stratonice, & rursus abeunte, brachium adolescẽtis dissimulanter apprehendendo, modò segetiore, modò languidiore pulsu uenarum comperit, cuius morbi ager esset. Protinusq; id Seleuco exposuit. Qui charissimam sibi coniugem filio suo cedere non dubitauit: quòd in amorem incidisset fortunæ acceptum referens: quòd dissimulare eum usq; ad mortem paratus esset, ipsius pudori imputãs. Subijciatur animis senex, Rex, amans, iam patebit, quàm multa, quamq; difficilia paterni affectus indulgentia superauit.

De Ariobarzane rege Cappadociæ.

At Seleucus quidẽ uxore, Ariobarzanes filio suo Cappadociæ regno cessit, in conspectu

Cn.

Cn. Pompeÿ: cuius cùm ipse tribunal conscendisset, inuitatus q; ab eo in curuli sella sedisset, postquàm filium in cornu scribæ humiliorem fortuna sua locũ obtinentem conspexit, nõ sustinuit infra se collocatũ intueri: sed protinus sella descendit, & diadema in caput eius transtulit: hortariq; cœpit, ut cò transiret, unde ipse surrexerat. Exciderunt lacrymæ iuueni, cohorruit corp⁹, dilapsum diadema est, nec quò iussus erat, progredi potuit: quodq; penè fidē ueritatis excedit, latus erat, qui regnum deponebat: tristis, cui dabatur: nec ullum finem tam egregium certamen habuisset, nisi patriæ uoluntati autoritas Pompeÿ affuisset. Filiũ enim & regem appellauit, & diadema sumere iussit, & in curuli sella considere coëgit. Comicæ lenitatis hi patres, tragicæ asperitatis illi.

DE PARENTVM SEVERITATE aduersus liberos.

CAP. VIII.

De Lucio Bruto.

BRutus par gloria Romulo, quia ille urbem, hic libertatem Romanam condidit: filios suos, Tarquinÿ dominationē à se expulsam reducentes, summum imperium obtinens, comprehensos, proq; tribunali uirgis cæsos, & ad palum religatos securi percuti iussit. Exuit patrem, ut Consulem ageret: orbusq; uincere, quàm publicæ uindictæ deesse maluit.

De Cassio.

Huius æmulatus exemplũ Cassius, filiũ, qui Trib. Ple. Agrariam legem primus tulerat, multisq; alÿs reb⁹ populariter animos hominũ amore sui deuinctos tenebat, postquàm illam potestatem deposuit, adhibito propinquorũ, & amicorũ consilio, affectati regni crimine domi damnauit: uerberibusq; affectũ, necari iussit: ac peculium eius Cereri consecrauit.

De Manlio Torquato.

Titus autem Manlius Torquatus propter egregia multa uaræ dignitatis, iuris quoq; ciuilis, & sacrorum pontificalium peritissimus, in consimili facto ne consilio quidem necessariorũ indigere se credidit. Nam cùm ad senatũ Macedonia de filio eius Decio Syllano, qui eam prouinciã obtinuerat, querelas per legatos detulisset, à P.C. petÿt, nequid antè de ea re statuerent, quàm ipse Macedonũ, filiÿq; sui causam inspexisset: summo deinde tum amplissimi ordinis, tum etiam eorum, qui questum uenerant, consensu cognitione suscepta, domi consedit solusq; utriq; parti per totum biduũ nacauit, ac tertio die plenissimè, diligentissimeq; auditis testibus, ita pronunciauit: Cùm Syllanum filium meum pecunias à socÿs accepisse mihi probatum sit, & Repub. & domo mea indignum iudico, protinusq; è conspectu meo abire iubeo. Tã tristi patris sententia perculsus

Syllan

Syllanus, lucem ulterius intueri non sustinuit, suspendioq; se proxima nocte consumpsit. Peregerat iam Torquatus Seueri & religiosi iudicis partes, satisfactum erat Reipub. habebat ultionẽ Macedonia, potuit tam uerecũdo obitu filij, patris inflecti rigor. At ille neque adolescentis exequijs interfuit: & cùm maximè funus eius duceretur, consulere se uolentibus, uacuas aures accommodauit. Videbat enim se in eo atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati seueritate conspicua imago posita erat. Prudentissimoq; uiro succurrebat, effigies maiorum suorũ cum titulis suis, idcirco in prima ædium parte poni solere, ut corũ uirtutes posteri non solùm legerent, sed etiam imitarentur.

De Marco Scauro.

Marcus uerò Scaurus, lumen, ac decus patriæ, cùm apud Athesim flumen impetu Cymbrorũ Romani equites pulsi, deserto cõsule Catulo, pauidi urbem repeterent, consternationis eorum participi filio suo misit, qui dicerent, se libentius in acie eius interfecti ossibus occursurum, quàm ipsum tam deformis fugæ reum uisurum. Itaq; siquid modo reliquiũ in pectore uerecũdiæ superesset, conspectũ degenerati patris uitaturum. recordatione enim inuentæ suæ, qualis M. Scauro aut habẽdus, aut spernẽdus esset filius, admonebatur: quo nũtio accepto, iuuenis coactus est fortius aduersus semetipsum gladio

gladio uti, quàm aduersus hostes usus fuerat.

De Aulo Fuluio.

Nec minus animosè Aulus Fuluius, uir Senatorij ordinis, euntẽ filiũ in aciẽ retraxit, quàm Scaurus è prælio fugientem increpuit. Nanq; iuuenẽ & ingenio, & literis, & formæ inter æquales nitentẽ, prauo cõsilio amicitiam Catilinæ secutũ, inq; castra eius temerario impetu ruentẽ, in medio itinere abstractũ, supplicio mortis affecit: præfatus, nõ se Catilinæ illũ aduersus patriã, sed patriæ aduersus Catilinã genuisse. Licuit, donec Ciuilis belli rabies præteriret, incluſum arcere: uerum illud cauti patris narraretur opus, hoc seueri refertur. Sed ut hanc incitatam & asperã seueritatẽ mitiores relatu patrum mores clementiæ suæ misturæ tẽperent, exactæ pœnæ cõcessa uenia iũgatur.

DE PARENTVM MODERATIONE aduersus susceptos liberos.

CAPVT IX.

De Lucio Gellio.

Lucius Gellius, omnibus honoribus ad cẽsurã usq; defunctus, cũ crimina grauissima de filio in nouercã cõmissum stuprũ, & parricidiũ cogitatũ, ppemodũ explorata haberet, nõ tam ad uindictã procurrit continuò, sed penè uniuerso Senatu adhibito in cõsiliũ expositis suspitionib⁹, defendẽdi se adolescẽti potestatẽ fecit. Inspectaq; diligentissimè causa, absoluit

eum tum concilij, tum etiã sententia sua: quòd si impetu iræ abstractus sauire tẽptasset, admisisset magis scelus, quàm iudicasset.

De Quinto Hortensio.

Quinti autẽ Hortẽsij, qui suis tẽporibus ornamentũ Romanæ eloquẽtiæ fuit, admirabilis in filio patiẽtia extitit. Cùm enim eousque impietatẽ eius suspectã, & nequitiã inuisam haberet, ut Messalã suæ sororis filiũ hæredẽ habiturus, ambitus reũ defendens iudicibus diceret, si illum dãnassent, nihil sibi præter oscũlũ nepotum, in quibus acquieseeret, superfuturum: hac scilicet sententia, quam etiã editæ orationi inseruit, filium potius in tormento animi, quàm in uoluptatibus reponens: tamen ne naturæ ordinem confunderet, non nepotes, sed filiũ hæredem reliquit, moderatè usus affectibus suis: quia & uiuus moribus eius uerũ testimonium, & mortuus sanguini honorem debitũ reddidit.

De Fulnio.

Idem fecit clari generis, magnæq; dignitatis uir Fulnius, sed in filio aliquantum territus. Nam cum auxilium senatus imploraſſet, ut suspectus in parricidio, & ob id latens per triumuirum conquireretur, ac iussu patrum C. comprehensus esset, non solum eum non notauit, sed etiam decedens, dominum omnium esse uoluit: quem genuerat hæredem instituens, non quem fuerat expertus.

De quodam patre ignoto.

Magnorum uirorũ clementibus actis ignoti patris nouæ atque inusitatæ ultionis consilium adiciam: qui cùm à filio necti sibi insidias comperisset, nec inducere in animum posset, ut uerum sanguinem ad hoc sceleris progressum crederet: seductam uxorem suspicans, supplici ter rogauit, ne se ulterius celaret, siue illum adolescentem subiecisset, siue ex alio concepisset: asseuerationẽ deinde eius, & iureiurando se nil tale debere suspicari persuasus, in locum desertum filio perducto, gladium, quem secum occultum attulerat, tradidit, ac iugulum feriendum præbuit, nec ueneno, nec latrone ei ad peragendum parricidium opus esse affirmans: quo facto non paulatim, sed magno impetu recta cogitatio pectus iuuenis occupauit. Continuòque abiecto gladio, Tu uerò, inquit, pater uiue: & si tam obscquens es, ut hoc precari filio permittas, me quoque exupera. Sed tantum quæso, ne meus erga te amor eo sit ultior, quòd à pœnitentia oritur. Solitudinem sanguine meliorem, pacatiores que penatibus syluas: & alimentis blandius ferrum, ac mortis oblatæ, quàm datæ uitæ felicius beneficium. Commemoratis patribus, qui iniurias filiorum patienter exceperunt, referamus eos, qui mortes æquo animo toleraruut.

DE PARENTIBVS QVI OBITVM filiorum forti animo tulerunt.

CAPVT X.

De Horatio Puluillo.

HOratius Puluillus, cũ in Capitolio Ioui Opt. Max. ædem põtifex dedicaret, interq; nũcupationẽ solẽniũ uerborũ postẽ tenens, mortuũ esse filiũ suũ audisset: neq; manũ à poste remouit, ne tanti templi dedicationẽ interrumperet, neq; uultum à publica religione ad priuatum dolorem reflexit, ne patris magis, quàm pontificis partes egisse uideretur.

De Aemilio Paulo.

Clarum exemplũ: nec minus tamen illustre, quod sequitur. Aemilius Paulus nunc felicissimi, nunc miserrimi patris clarissima repræsentatio, ex quatuor filijs formæ insignis, egregiæ indolis, duos iure adoptionis in Corneliam, Fabiamq; gentẽ tralatos, sibi ipse denegauit: duos ei fortuna abstulit. Quorũ alter triumphũ patris funere suo quartũ ante diem præcessit: alter in triumphali curru conspectus, post diem tertiũ expirauit: Itaq; qui ad donandos usq; liberos abundauerat, in orbitate subito destitutus est: quẽ casum quo robore animi sustinuerit, oratione, quam de rebus à se gestis apud populũ habuit, hanc adijciendo clausulam, nulli ambiguum reliquit. Cùm in maximo prouentu felicitatis uestræ Quirites timerẽ, ne quid mali fortuna moliretur, Ioue m Opt. Max. Iunonẽq; reginam, & Mineruam precatus sum, ut si aduersi quid Populo Romano immineret, totum in meam domum conuerteretur. Quapropter bene habet se res: annuendo enim uotis meis id egerunt, ut uos potius meum casum doleatis, quàm ego uestrum ingemiscerẽ. Vno etiam nunc domestico exemplo adiecto in alienis luctibus orationi meæ uagari permittam.

De Quinto Martio rege.

Quintus Martius Rex, superioris Catonis in cõsulatu collega, filiũ summæ pictatis, magnæ spei, & quæ nõ parua calamitatis accessio fuit, unicũ amisit. Cumq; se obitu eius subrutũ, & euersum uideret, ita dolorẽ altitudine cõsilij coercuit, ut à rogo iuuenis protinus curiã peteret: senatumq;, quẽ eo die lege habere oportebat, euocaret. quòd nisi fortiter mœrorem ferre scisset, unius diei lucem inter calamitosum patrem & strenuum consulem, neutra in parte cessante officio, partiri non potuisset.

EXTERNA.

De Pericle, principe Athenienſium.

Princeps Athenienſiũ Pericles intra quatriduum duobus mirificis adoleſcentibus filijs ſpoliatus, his ipſis diebus, & uultu priſtinum habitum retinente, & oratione nulla ex parte infractiore cõcionatus eſt. Ille uerò caput quoque ſolito more coronatum gerere ſuſtinuit, ut

nihil ex uetere ritu propter domesticum uulnus detraheret, non sine causa igitur tanti roboris animus ad Olympij Iouis cognomen ascendit.

De Xenophonte.

Xenophon autem, quod ad Socraticam disciplinam attinet, proximus à Platone felicis, ac beatæ facundiæ gradus, cùm solenne sacrificium perageret, è duobus filijs maiorem natu nomine Gryllum, apud Mantineam in prælio cecidisse cognouit: nec ideo institutum Deorum cultum omittendum putauit, sed tantummodo coronam deponere contentus fuit: quam ipsam, percunctatus quonã modo occidisset, ut audiuit fortissimè pugnantẽ interijsse, capiti reposuit: numina quibus sacrificabat testatus maiorem se ex uirtute filij uoluptatem, quam ex morte amaritudinem sentire. Alius remouisset hostiam, abiecisset altaria, lacrymis respersa tura disiecisset: Xenophontis cor pia religione immobile stetit, & animus in consilio prudentiæ stabilis mansit: ac dolori succumbere, ipsa clade quæ nuntiata erat, tristius duxit.

De Anaxagora.

Ne Anaxagoras quidẽ supprimendus est. Audita nãque morte filij, Nihil, inquit, mihi inexpectatum, aut nouum nuntias: Ego enim illum ex me natum sciebam esse mortalem. Has uoces utilissimis præceptis imbuta uirtus mittit: quas si quis efficaciter auribus percepe-

rit, non ignorabit, ita liberos procreandos, ut meminerit his à rerum natura, & accipiendi spiritus, & reddendi eodem momento temporis legem dici: atq; ut mori neminem solere, qui non uixerit: ita nec uiuere aliquem quidem posse, qui non sit moriturus.

VALERII MAXIMI LIBER SEXTVS.

DE PVDICITIA. CAP. I.

VNDE te uirorum pariter, ac fœminarum præcipuum firmamentum Pudicitia inuocem? tu enim prisca religione consecratos focos Vestæ incolis. Tu Capitolinæ Iunonis puluinaribus incubas. Tu palatij columen augustos penates, sanctissimumq; Iuliæ genialem thorum assidua statione celebras. Tuo præsidio puerilis ætatis insignia munita sunt. Tui numinis respectu syncerus iuuentæ flos permanet. Te custode matronalis stola censetur. Ades igitur, & cognosce, quæ fieri ipsa uoluisti.

De Lucretia.

Dux Romanæ pudicitiæ Lucretia, cuius uirilis animus, maligno errore fortunæ, muliebre corpus sortitus est: à Sex. Tarquinij regis superbi filio per uim stuprum pati coacta,

cùm grauissimis uerbis iniuriam suam in concilio necessariorũ deplorasset, ferro se, quod ueste tectum attulerat, interemit. Causamq; tam animoso interitu imperium consulare pro regio permutandi Populo Romano præbuit: atque hanc illatam iniuriam non tulit.

De Virginio uiro plebeio.

Virginius Plebeij generis, sed Patritij uir spiritus, ne probro contaminaretur domus sua, proprio sanguini nõ pepercit. Nam cùm Appius Claudi⁹ decẽuir, filiæ eius uirginis stupri, potestatis uiribus fretus, pertinacius expeteret, deductã in forum puellã occidit, pudicæq; interemptor, quàm corruptæ pater esse maluit.

De Pontio Aufidiano.

Nec alio robore animi præditus fuit Pontius Aufidianus, eques Rom. qui postquam comperit filiæ suæ uirginitatem à pædagogo proditam Faunio Saturnio, non contentus sceleratum seruum affecisse supplicio, etiã ipsam puellam necauit. Ita ne turpes eius nuptias celebraret, acerbas exequias duxit.

De P. Meuio.

Quid Publius Meuius, quàm seuerũ pudicitiæ custodẽ egit? In libertũ nanq; gratũ admodum sibi animaduertit, quia cũ nubilis iam ætatis filiæ suæ osculũ dedisse cognouerat, præsertim cũ non libidine, sed errore lapsus uideri posset. Cæterùm amaritudine pœnæ, teneris adhuc

huc puellæ sensibus, castitatis disciplinã ingenerari magni æstimauit. Eiq; tam trisli exemplo præcepit: ut non solùm uirginitatem illibatam, sed etiã oscula ad uirũ syncera perferret.

De Q. Fabio Maximo Seruiliano.

Quintus uerò Fabius Maximus Seruilianus honoribus, quos splendidissimè gesserat, censuræ grauitate consummatis, exegit pœnas à filio dubiæ castitatis, & punito pependit uoluntario secessu conspectum patriæ uitando.

De P. Attilio Philisco.

Dicerem Censorium uirum nimis acerbum extitisse, nisi Publiũ Attiliũ Philiscũ in puerili corpore quæstum à domino facere coactũ, tam seuerum postea patrem cernerem. Filiam enim suam, eò quòd stupri se crimine coinquinauerat, interemit. Quam sanctã igitur in ciuitate nostra pudicitiã fuisse existimare debemus, in quæ etiã institores libidinis, tã seueros ei⁹ iudices euasisse animaduertim⁹? sequitur excellẽtis nominis, ac memorabilis facti exẽplũ.

De M. Claudio Marcello

Aedili, & filio suo.

Marcus Claudius Marcellus Aedilis Curulis C. Scantinio Capitolino Trib. ple. diem ad populũ dixit, quòd filium suum de stupro appellasset: eoq; asseuerante se cogi non posse, ut adesset, quia sacrosanctã, potestatem haberet, & ob id tribunitium auxilium implorante, to-

tum collegium tribunorum negauit se interce-
dere, quò minus pudicitiæ quæstio perageretur. Citatus itaque Scantinius reus, uno teste qui tentatus erat, damnatus est. Constat iuuenem productum in rostra, defixo in terrã uultu, perseueranter tacuisse, uerecundoq; silentio plurimum in ultionem suam ualuisse.

De Metello Celere.

Metellus quoq; Celer stuprosæ mentis acer punitor extitit, Cn. Sergio Silo promissorum matrisfamiliæ nummorum gratia diem ad populum dicendo, eum'que hoc uno crimine damnando: non enim factum tunc, sed animus in quæstione deductus est: plusq; uoluisse peccare nocuit, quàm non peccasse profuit.

De T. Veturio filio Veturii.

Concionis hæc, illa curiæ grauitas. Titus Veturius filius eius Veturij, qui in consulatu suo Samnitibus, ob turpiter ictum fœdus, deditus fuerat: cùm propter domesticam ruinam, & graue æs alienum Cælio Plotio nexum se dare adolescentulus admodum coactus esset seruilibus ab eo uerberibus, quia stuprum pati noluerat, affectus querelam ad Consules detulit: à quibus hac de re certior factus Senatus, Plotium in carcerem duci iussit: in qualicunque enim statu positam Romano sanguini pudicitiam tutam esse uoluit. Et quid mirum, si hoc uniuersi P. C. censuerunt?

De

De C. Fescenino Triumuiro.

Caius Fescenius Triumuir C. Cornelium fortissimè militiæ stipendia emeritum, uirtutis q; nomine quater honore primi pili ab Imperatoribus donatum, quòd cum ingenuo adolescentulo stupri commercium habuisset, publicis uinculis onerauit: à quo appellati Tribuni, cùm de stupro nihil negaret, sed sponsionem se facere paratum diceret, quòd adolescens ille palàm, atq; aperiè corpore quæstum facitasset: intercessionem suam interponere noluerunt. Itaque Cornelius in carcere mori coactus est. Non putarunt Tribb. pleb. Rempublicam nostram cum fortibus uiris pacisci oportere, ut externis periculis domesticas delitias emerent.

De Tribuno pleb. siue Pop. Rom.

Libidinosi Centurionis supplicium, Marci Lectorij Mergi Tribuni militaris, æquè similis fœdus exitus sequitur: cui Cominius Trib. pleb. diem ad populũ dixit, quòd Corniculariũ suum stupri causa appellasset. Nec sustinuit eius rei sententiã Lectorius, sed se ipse ante iudicij tempus fuga prius subtraxit, deinde etiã morte se puniuit. Naturæ modũ expleuerat: fato tamen functus, uniuersæ plebis sententia crimine impudicitiæ dãnatus est. Signa illũ militaria, sacratæ aquilæ, et certissima Romani Imperij custos seuera castrorũ disciplina, usq; ad inferos persecuta est. Quoniã cui[a] uirtutis magister esse debue

debuerat, sãctitatis corruptor tẽtabat existere.

De Caio Mario.

Hoc monuit C. Marium Imperatorẽ, tum, cùm Clusium sororis suæ filium Tribunũ militum à Cælio Plotio manipulario milite iure cæsum pronuntiauit, quia eum de stupro compellare ausus fuerat. Sed ut eos quoq;, qui in uindicanda pudicitia dolore suo publica lege usi sunt, strictim percurram: Sempronius Muscã C. Gallium deprehensum in adulterio flagellis cæcidit: C. Menius L. Octauium similiter deprehensum neruis contudit: Carbo Actienus à Bibieno, item Pontius à P. Cernio deprehẽsi castrati sunt: Cn. etiam Furius Broccum, quem deprehenderat, familiæ stuprandum obiecit: quibus iræ suæ indulsisse, fraudi non fuit.

EXTERNA.

De Hippone fœmina.

Atque ut domesticis externa subnectam, Græca fœmina nomine Hippo, cùm hostium classe esset excepta, in mare se, ut pudicitiam morte tueretur, abiecit: cuius corpus Erechtheo littori appulsum, proxima undis humus sepulturæ mandatum, ad hoc tempus tumulo contegit: sanctitatis uerò gloriam æternæ traditam memoriæ Græcia laudibus suis celebrando, quotidie florentiorem effecit.

De Orgiagontis Reguli uxore.

Vehementius hoc, illud consideratius exemplum

plum pudicitiæ. Exercitu & copijs Gallogræcorum à Cn. Manilio consule in Olympo monte ex parte delectis, ex parte captis, Orgiagontis Reguli uxor miræ pulchritudinis à Centurione, cui custodienda tradita erat, stuprum pati coacta: postquam uentum est in eum locum in quem Consulis iussu Centurio, misso nuntio, necessarios mulieris pretium, quo eam redimerent, afferre iusserat: aurum expendente Centurione, & in eius pondus animo, oculisq; intento, Gallogræcis lingua gentis suæ imperauit, ut eum occiderent: interfecti deinde caput abscissum manibus retinens ad coniugem uenit, abiectoq; ante pedes eius, & iniuriæ, & ultionis suæ ordinem exposuit. Huius fœminæ quid aliud quisquam, quàm corpus in potestatem hostium uenisse dicat? Nanque animus neque uinci, nec pudicitia capi potuit.

De uxoribus Theutonicorum.

Theutonicorum uerò coniuges Marium uictorem orarunt ut ab eo uirginibus Vestalibus dono mitterentur, affirmantes æquè se, atque illas uirilis concubitus expertes futuras: eaq; re non impetrata, laqueis sibi nocte proximæ spiritum eripuerunt. Dij melius, quòd hunc animum uiris earum in acie non dederunt. Nam si mulierum suarum uirtutem imitari uoluissent, incerta Theutonicæ victoriæ trophæa reddidissent.

QVAE

QVAE LIBERE DICTA, aut facta sunt. CAP. II.

Libertatem autem uehementis spiritus dicis pariter, & factis testatam, ut nō inuitauerim, ita ultrò uenientem non excluserim, quæ inter uirtutem, uitiumq; posita, si salubri modo se temperauerit, laudem: si quo non debuit, profuderit, reprehensionem meretur: ac uti gi sic auribus gratior, quàm sapientissimi cuiusq; animo probabilior est, utpotè sequentius aliena uenia, quàm sua prouidentia tuta. Sed quia humanæ uitæ partes prosequi propositum est, nostra fide, æstimatione propria referatur.

De quodam principe Priuernatum.

Priuerno capto, interfectisq; qui id oppidum ad rebellandum incitauerāt, Senatus indignatione accensus consilium agitabat, quidnam sibi de reliquis quoq; Priuernatibus faciendum esset. Ancipiti igitur casu eorū salus fluctuabat, eodē tempore, & uictoribus, & uictis subiecta. Cæterùm cùm auxilium unicum in precibus restare animaduerterent, ingenui & Italici sanguinis obliuisci non potuerunt. Princeps enim eorum in curia interrogatus quam pœnā mereretur: Respondit, quam merentur, qui cùm se dignos libertate iudicarent, arma sumpserant. Exasperatos P. cōscriptorum animos, uerbis inflammauerat. Sed Plautius consul fauens Priuernatum causæ, regressum animo so eius dicto

dicto obtulit, quæsiuitq; qualē eum eis pacem habituri Romani essent impunitate donata: at is constantissimo uultu: Si bonam dederitis, inquit, perpetuam: si malam, non diuturnam: quæ uoce perfectum est, ut uictis non solùm uenia, sed etiam ius, & beneficiū nostræ ciuitatis dare tur. Sic in Senatu Priuernās loqui ausus est.

De L. Crasso.

Lucius uerò Philippus Consul aduersus cūdem ordinem libertatem exercere non dubitauit: nam segnitiem pro Rostris exprobrans, alio sibi Senatu opus esse dixit: tantumq; à pœnitentia dicti abfuit, ut etiam L. Crasso summæ dignitatis, & eloquentiæ uiro, id in curia grauiter ferenti manum iniici iuberet. Ille reiecto lictore: Non es, inquit, mihi Philippe Consul, quia nec ego tibi Senator sum.

De P. Scipione Africano.

Quid? Philippū ab incursu suo tutum libertas reliquit? imò & similiter aggressa, et æquè experta patientia est, Cn. Carbo Trib. pleb. nuper sepultæ Gracchanæ seditionis turbulentissimus uindex, idemq; orientium ciuilium malorum fax ardentissima, Publium Africanum à Numantiæ ruinis summo cū gloriæ fulgore uenientem, ab ipsa pēnè porta in Rostra produ ctum, quid de Tiberij Gracchi morte, cuius sororem in matrimonio habebat, sentiret, interrogauit: ut autoritate clarissimi uiri, inchoato ita

incendio

incẽdio multum incrementi adiceret: quia non dubitabat, quin propter tam arctam affinitatem aliquid pro interfecti necessarij memoria miserabiliter esset locuturus. At is iure eum cæsum uideri respondit: cuius dicto cùm concio tribunitio furore instincta uiolenter succlamasset: Taceant, inquit, quibus Italia nouerca est. orto deinde murmure: Non efficietis, ait, ut solutos uerear, quos alligatos adduxi. Vniuersus populus iterum ab uno contumelioſè correptus erat. Quantus est honos uirtutis? tacuit actutum recens victoria ipsius Numantina, & patris Macedonica, deuictæq; Carthaginis spolia habita, ac duorum regũ Siphacis & Perſe triumphales currus catenatæ ceruices, tunc totius fori prementes ora clauserunt: nec timori datum est silẽtium, sed quia beneficio Aemiliæ & Corneliæ gentis, multi metus urbis, atq; Italiæ finiti erant, plebs Romana libertatis Scipionis libera non fuit. Quapropter minus mirari debemus, quòd amplissima Pompeij autoritas toties cũ libertate luctata est: nec sine magna laude, quoniam omnis generis hominum licentiæ ludibrio se esse quieta fronte tulit.

De Cn. Pisone.

Cn. Piso, cùm Manilium Crispum reum ageret, eumq; euidenter nocentem gratia Pompeij uideret eripi, iuuenili impetu, ac studio ad accusationem prouectus, multa & grauia crimina

mina præpotenti defensori obiecit: interrogatus deinde ab eo, cur se quoq; non accusaret: Da, inquit, uades Reipublicæ te, si postulatus fueris, ciuile bellum non excitaturum, iam de tuo prius, quàm de Manilij capite in consilium iudices mittam: ita eodem iudicio duos sustinuit reos: accusatione Manilium, libertate Pompeium: & eorum alterum lege peregit, alterum professione, qua solùm poterat.

De Catone.

Quid ergo libertas sine Catone? nec magis, quam Cato sine libertate. Nam cùm in Senatorem nocentem, & infamem reum iudex sedisset, tabellæq; Cn. Pompeij, laudationem eius continentes, prolatæ essent, proculdubio efficaces futuræ pro noxio, submouit eas è quæstione, legem recitando, qua cautum erat, ne Senatoribus tali auxilio uti liceret. Huic facto persona admirationẽ ademit. Nam quæ in alio audacia uideretur, in Catone fiducia cognoscitur.

De Cn Lentulo Marcellino Consule.

Cn. enim Lentulus Marcellinus Consul, cùm in concione de Magni Pompeij nimia potẽtia quereretur, assensusq; illi clara uoce uniuersus populus esset: Acclamate, inquit, acclamate Quirites, dum licet: iam enim uobis impunè facere non licebit. Pulsata est tunc eximij ciuis potentia, hinc inuidiosa querela, hinc lamentatione miserabili. Cui candida fascia crus alligatum

gatum habenti, Fauonius, Non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema: exigui panni cauillatione regias eius uires exprobrans. At is neutra in parte mutato uultu, utrunque cauit, ne aut hilari fronte libenter agnoscere potentiam, aut trisli iram profiteri uideretur: eaq; patientia inferioris etiam generis, & fortunæ hominibus aditum aduersus se dedit, è quorum turba duos retuliſſe abunde erit.

De Ael. Mantia Formiano.

Aelius Mantia Formianus, Libertini filius, ultimæ senectutis, L. Libonem apud Cęsores accusabat: in quo certamine cum Pompeius Magnus humilitatĕ ei, ætatemq; exprobrans, ab inferis illum ad accusandum remiſſum dixiſſet: Non mĕtiris, inquit, Pompei: uenio enim ab inferis L. Libonem accusaturus: sed dum illic moror, uidi cruentum Cn. Domitium Aenobarbum deflentem, quòd summo genere natus, integerrimæ uitæ, amantiſsimus patriæ, in ipso iuuentutis flore, tuo iuſſu eſſet occiſus. Vidi pari claritate conſpicuum Brutum ferro lacerratum, querentem, id sibi prius perfidia, deinde etiam crudelitate tua accidiſſe. Vidi Cn. Carbonem acerrimum puritiæ tuæ, bonorumq; patris tui defensorem, in tertio conſulatu catenis, quas tu ei iniecis iuſſeras, uinctum, obtestantem te, aduersus omne fas & nefas, cùm in summo eſſet imperio, à te equite Romano trucidatum.

tum. Vidi eodem habitu, & quiritatu tuo prætorium uirum Perpennam sæuitiam tuam execrantem, omnesq; eos una uoce indignantes, quòd indemnati sub te adoleſcentulo carnifice occidiſſent. Obducta iam uetuſtis cicatricibus bellorum ciuilium uaſtiſsima uulnera, municipali homini, seruitutem paternam redolenti, effrænatæ temeritatis, intolerabilis spiritus, impunè reuocare licuit. Itaq; eo tempore & fortiſsimum erat Cn. Pompeio maledicere, & tutiſsimum: sed non patitur nos hoc longiore querela prosequi personæ insequentis aliquantò sors humilior.

De Diphilo tragœdo.

Diphilus tragœdus, cùm Apollinaribus ludis inter actum ad eum uersum ueniſſet, in quo hæc sententia continetur, Miseriæ nostra Magnus eſt: directis in Pompeium Magnum manibus, pronunciauit, reuocatusq; aliquoties à populo sine ulla cunctatione nimiæ illum, & intolerabilis potentiæ reum gestu perseueranter egit. Eadem petulantia usus eſt in ea quoque parte, Virtutem iſtam ueniet tempus cum grauiter gemas.

De M. Caſtritio.

Marci etiam Caſtritij libertate inflāmatus animus, qui dum Placentiæ magiſtratū gereret, Cn. Carbone conſule iubente decretum fieri, quo sibi obsides à Placētinis darētur, nec sum-

mo eius imperio obtemperauit, nec maximis uiribus cessit: atq; etiam dicenti multos se gladios habere, respondit, Et ego annos. Obstupuerunt tot legiones tam robustas senectutis reliquias intuentes. Carbonis quoque ira, quia materiam sæuiendi perquàm exiguam habebat, paruulum uitæ tempus ablatura, in seipsa collapsa est.

De Seruio Galba.

Iam Seruij Galbæ temeritatis plena postulatio, quòd diuum Iulium consummatis uictoriis, in foro ius dicentem, in hunc modum interpellare sustinuit: C. Iuli Cæsar pro Cn. Pompeio Magno quondam genero tuo in tertio eius cõsulatu pecuniã spopondi, quo nomine nunc appellor: Quid agam? dependam? palàm, atque apertè ei bonorum Pompeij uenditionem exprobrando. Vt à tribunali summoueretur, meruerat: sed ipsa illud mansuetudine mitius pectus, æs alienũ, Pompeij ex suo fisco solui iussit.

De Cesselio uiro sapiente.

Age Cesselius uir iuris ciuilis scientia clarus, quàm periculosè contumax? nullius enim aut gratia, aut autoritate compelli potuit, ut de aliqua earum rerum, quas triumuiri dederant, formulam componeret. Hoc animi iudicio uictoriæ eorum beneficia extra ommem ordinem legum ponens. Idem, cùm multa de temporibus Cæsaris liberius loqueretur, amiciq; ne id faceret, monerent: duas res, quæ hominibus amarissimæ

rissimæ uidentur, magnam sibi licentiam præbere respondit senectutem, & orbitatem.

EXTERNA.

De quadam muliere.

Inserit se tantis uiris mulier alienigeni sanguinis, quæ à Philippo rege temulento immerenter damnata, Prouocarem ad Philippum, inquit, sed sobrium. Excussit crapulam oscitanti, ac præsentia animi ebrium resipiscere, causaq; diligentius inspecta iustiorem sententiam ferre coegit. Igitur æquitatem, quam impetrare non potuerat, extorsit: ac potius præsidium à libertate, quàm ab innocentia mutuauit.

De quadam fœmina Syracusana.

Iam illa non solùm fortis, sed etiam urbana libertas. Senectutis ultimæ quædam, Syracusis omnibus Dionysij tyranni exitium, propter nimiam morũ acerbitatem, & intolerabilia onera uotis expetentibus, sola quotidie matutino tẽpore deos, ut incolumis, ac sibi superstes esset, orabat. Quod ubi is cognouit, non debitam sibi admiratus benenolentia, accersit eam, & quid ita hoc, aut quo suo merito faceret, interrogauit. Tum illa, Certa est, inquit, ratio propositi mei: puella enim, cùm grauem tyrannũ haberemus, carere eo cupiebam: quo interfecto aliquantò tetrior uitam occupauit: eius quoq; finiri dominationem magni æstimabam: tertium ne superioribus importuniorem habere cœpi-

mus rectorem. Itaque timens, ne si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedat, caput meum pro tua salute deuoueo. Tam sacetam audaciam Dionysius punire erubuit.

De Theodoro Cyrenæo.

Inter has, & Theodorum Cyrenæum quasi animosi spiritus coniugium esse potuit, uirtute par, felicitate dissimile. Is enim Lysimacho regi mortem sibi minitanti, Enimuero, inquit, magnifica res tibi contigit, quia cantharidis uim assecutus es. Cum'que hoc dicto accensus cruci eum adfigi iussisset, Terribilis hæc (ait) sit purpuratis tuis: mea quidem nihil interest, humi'ne, an sublime putrescam.

DE SEVERITATE. CAP. III.

ARmet se duritia pectus necesse est, dum horridæ, ac tristis seueritatis acta narrãtur, ut omni mitiori cogitatione seposita, rebus auditu asperis uacet. Ita enim districtæ, & inexorabiles uindictæ, & uaria pœnarũ genera in medium procurrent, utilia quidem legum munimenta sed minimè in placido, & quieto pagmarum numero reponẽda. Marcus Manlius, unde Gallos depulerat, inde ipse præcipitatus est: quia fortiter defensam libertatẽ, nefariè opprimere conatus fuerat: cuius iustæ ultionis nimirum hæc præfatio fuit: Manlius eras mihi, cũ præcipites agebas Senones: postquàm imitari cœpisti, unus factus es ex Senonibus.

Huius

Huius supplicio æternæ memoriæ nota inserta est: propter illũ enim lege sanciri placuit, Ne quis patricius in arce, aut in Capitolio habitaret, qui domũ eò loci habuerat, ubi nunc ædes Monetæ uidemus.

In Spurium Cassium.

Par indignatio aduersus Spurium Cassium erupit: cui plus suspicio cõcupitæ dominationis nocuit, quam tres magnifici consulatus, ac duo speciosissimi triũphi profuerunt. Senatus enim, populus q; Ro. non contentus capitali eum supplicio afficere, interempto domum superiecit, ut penatium quoque strage puniretur: in solo autem ædem Telluris fecit. Itaque quod prius domicilium potentissimi uiri fuerat, nunc religiosæ seueritatis monimentum est.

In Spurium Melium.

Eadem ausum Spurium Melium consimili exitu patria multauit: area uerò domus eius, quò iustitia supplicij notior ad posteros perueniret, æquimelij appellationẽ traxit. Quantum ergo odij aduersus hostes libertatis institũ animis antiqui haberent, parietum ac tectorũ, in quibus uersati fuerant, ruinis testabantur. Ideoq; & M. Flacci, & L. Saturnini seditiosissimorũ ciuiũ corporibus trucidatis, penates ab imis fundamentis eruti sunt. Cæterum Flacciana area, cùm diu penatibus uacua mansisset, à Q. Catulo Cymbricis spolijs adornata est.

In Tiberium, & Caium Gracchos.

Viguit in nostra ciuitate Tiberij & Caij Gracchorũ summa nobilitas, ac spes amplissima: sed quia statũ ciuitatis conati erant cõuellere, insepulta cadauera iacuerũt, supremusq; humanæ conditionis honos filijs Gracchi, et nepotibus Africani defuit: quinetiã familiares eorum, nequis Reipublicæ inimicis amicus esse uellet, de robore præcipitati sunt.

De P. Mutio Trib. Pleb.

Idem sibi licere tam P. Mutius Trib. Pleb. quàm Senatus & pop. Ro. credidit, qui omnes collegas suos, qui duce Spurio Cassio id egerant, ut magistratibus non subrogatis, cõmunis libertas in dubium uocaretur, uiuos cremauit. Nihil profectò hac seueritate fidẽtius: unus enim Tribunus eam pœnam nouem collegis inferre ausus est, quam nouem tribuni ab uno collega exigere exhorruissent.

In M. Clodium.

Libertatis adhuc custos, & uindex seueritas, sed pro dignitate etiam, ac pro disciplina æquè grauis. M. enim Clodiũ Senatus Corsis, quia turpem cum his pacẽ fecerat, dedidit: quẽ ab hostibus non acceptum, in publica custodia necari iussit. Semel læsa maiestate imperij, quot modis iræ pertinax uindex? factum eius rescidit, libertatem ademit, spiritum extinxit, corpus contumelia carceris, & detestanda geniar

moniarum scalarũ nota fœdauit, atq; hic quidem senatus animaduersionem meruerat.

De Cornelio Scipione.

Cn. autem Cornelius Scipio Hispali filius, prius, quàm mereri posset, expertus est: nam cũ ei Hispania prouincia sorte obuenisset, ne illuc iret, decreuit, adiecta causa, quòd rectè facere nesciret. Itaque Cornelius propter uitæ inhonestum actum sine ullo prouinciali ministerio, tamen repetundarum lege damnatus est.

De Caio Vatieno.

Ne in C. quidẽ Vatieno, qui sinistræ manus digitos, ne bello Italico militaret, abscideràt, seueritas senatus cessauit: publicatis enim bonis eiꝰ, ipsum æternis uinculis puniendũ cẽsuit: effecitq;, ut quem honeste spiritũ profundere in acie noluerat, turpiter in catenis consumeret.

De M. Curio Consule.

Id factum imitatus M. Curius consul, cùm delectum subitũ educere coactus esset, & iuniorum nemo respondisset: coniectis in sortem omnibus tribubus, Pollia, quæ proxima exierat, primũ nomen urna extractũ citari iussit: neq; eo respõdente, bona adolescẽtis hastæ subiecit. Quod ut illi nuntiatũ est, ad Cõsulum tribunal cucurrit, collegiumq; Tribunorũ appellauit. Tunc M. Curius præfatus non opus esse eo ciue Reipublicæ, qui parère nesciret: & bona eius, & ipsum uendidit.

De Lucio Domitio Prætore.

Aeque tenax propositi L. Domitius. Nam cùm Siciliam Prætor regeret, & ad eum eximiæ magnitudinis aper allatus esset, adduci ad se pastorem, cuius manu occisus erat, iussit. Interrogatumq; quomodo eam bestiam confecisset, postquã cõperit usum uenabulo, crucifixit: quia ipse ad exturbãda latrocinia, quibus prouincia uastabatur, ne quis telum haberet, edixerat. Hoc aliquis in finem seueritatis, & sæuitiæ ponendum dixerit: disputatione enim utroq; flecti potest. Cæterùm ratio publici imperij Prætorem nimis asperum existimari non patitur. Sic se in uiris puniendis seueritas exercuit. Sed ne in fœminis quidem supplicio afficiendis segniorem se egit.

De Horatio.

Horatius post prælium trium Curiatiũ conditione pugnæ omniũ Albanorũ uictor, cùm ex illa clarissima acie domũ repetens sororem suam uirginem Curiatij sponsi mortem profusius, quàm illa ætas debebat, flentem uidisset, gladio, quo patriæ rem bene gesserat, interemit: parũ pudicas ratus lacrymas, quæ præpropero amori dabantur. Quem hoc nomine reum apud populum actum, pater defendit. Ita paulò propensior animus puellæ ad memoriã futuri uiri, & fratrẽ ferocem uindicem, et uindictæ tam rigidum assensorem patrem habuit.

De Spu

De Spurio Posthumio Albino, & Quinto Martio Philippo.

Consimili seueritate Senatus postea usus, Spurio Posthumio Albino, & Quinto Martio Philippo consulibus, mãdauit, ut de ijs, quæ sacris Bacchanalium incestu usæ fuerant, inquirerent: à quibus cùm multæ essent damnatæ, in omnes cognatas intra domos animaduerterunt: lateq; patens opprobrij deformitas, seueritate supplicij emendata est: quia quantum ruboris ciuitati nostræ mulieres turpiter se gerendo incusserant, tantum laudis grauiter punitæ attulerunt.

De Publicia & Licinia.

Publicia autem, quæ Posthumium Albinũ consulem, item Licinia, quæ Claudium Asellum uiros suos ueneno necauerant, propinquorũ decreto strangulatæ sunt: non enim putauerunt seuerissimi uiri in tam euidenti scelere longum publicæ quæstionis tempus expectãdum. Itaq; quarum innocentium defensores fuissent, sontium maturi uindices extiterunt. Magno scelere horum seueritas ad exigendam uindictã concitata est.

De Egnatio Metello.

Egnatij autẽ Metelli longè minore de causa, qui uxorem, quòd uinum bibisset fuste percussam interemit. Idq; factum non accusatore tantum, sed etiã reprehensore caruit, unoquoq;

exist

existimante, optimo illâ exẽplo uiolatæ sobrietatis pœnas pepẽdisse: & sanè quæcũq; fœmina uini usum immoderatè appetit, et uirtutib⁹ omnibus ianuam claudit, & delictis aperit.

De C. Sulpitio Gallo.

Horridum C. quoque Sulpiũ Galli maritale supplicium: nam uxorem dimisit, quòd eam capite aperto foris uersatam cognouerat: abscissa sententia, sed tamen aliqua ratione munita. Lex enim, inquit, tibi meos tantũ præfinit oculos, quibus & formam tuam approbes, & placere desideres: his decoris instrumenta compara, his ẽsto speciosa, horum te certiori crede notitiæ: ulterior tui conspectus superuacua inuitatione accersitus, in suspicione, & crimine hæreat necesse est.

De Q. Antistio Vetere.

Nec aliter sensit Quintus Antistius Vetus repudiando uxorem, quòd illam in publico cum quadam libertina uulgari secretò loquentem uiderat: nam (ut ita dicam) incunabulis culpæ & nutrimentis, non ipsa commotus culpa, citeriorem delicto præbuit ultionem, ut potius caueret iniuriam, quàm uindicaret.

De P. Sempronio Sopho.

Iungendus est his P. Sempronius Sophus, qui coniugem repudij nota affecit, nihil aliud, quàm se ignorãte ludos ausam spectare. Ergo dum sic olim fœminis occurritur, mens earum

à delictis aberat. Cæterùm etsi Romanæ seueritatis exemplis, totus orbis terrarum instrui potest, tamen externa summatim cognoscere fastidio non sit.

EXTERNA.

De Archilocho poëta.

Lacedæmonij libros Archilochi è ciuitate sua exportari iusserũt, quòd eorum parum uerecundam, ac pudicam lectionem arbitrabantur: noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quàm ingenijs prodesset. Itaq; maximum poëtam, aut certè summo proximum, quia domum sibi inuisam obscœnis maledictis lacerauerat, carminum exilio multarunt.

De Athenienſibus.

Athenienses autem Timagoram inter officium salutationis Darium Regem more gentis illius adulatum, capitali supplicio affecerunt: unius ciuis humilibus blandityis, totius urbis suæ decus Persicæ dominationi summissum grauiter ferentes.

De Cambyſe rege.

Iam Cãbyses inusitatæ seueritatis, qui malũ cuiusdam iudicis ex corpore pellem detractã, sellæ intendi, in eaq; filium eius iudicaturum considere iussit: cæterùm & Rex, & Barbarus, atroci, ac noua pœna iudicis, ne quis posteà corrumpi iudex posset, prouidit.

GRAVITER DICTA,
aut facta. CAP. IIII.

MAgnam & bonam laudis partem in claris uiris etiã illa uendicant, quæ aut ab his grauiter dicta, aut facta pertinax memoria uiribus æternis comprehendit: quorum ex abundanti copia, nec parca nimis, nec rursus auida manu, quò magis desiderio satisfaciat, quàm satietati abundet, hauriamus.

De Manlio Torquato.

Ciuitate nostra Cãnensi clade perculsa, cùm admodum tenui filo suspensa Reipub. salus ex sociorum fide penderet, ut eorum animi ad imperium Romanum tuendum constantiores essent, maiori parti senatus principes Latinorũ in ordinem suum sublegi placebat. Anius autem Campanus etiam Consulem alterũ Capuæ creari debere asseuerabat. sic contusus & æger Romani imperij spiritus erat. Tunc Manlius Torquatus filius eius, qui Latinos apud Veserim inclyta pugna fuderat, quàm poterat clara uoce denuntiauit, si quis sociorum inter Patres C. sententiam dicere ausus esset, continuò se ipsum interempturum. Hæ unius minæ, & Romanorum languentibus animis calorem pristinum reddiderunt, & Italiam ad ius ciuitatis nobiscum exequendum cõsurgere passa non sunt: nanque ut patris armis, ita uerbis filij fracta cessit.

De Manl

De Manlio.

Par illius quoque Manlij grauitas, cui cùm consulatus omnium consensu deferretur, eumq; sub excusatione aduersæ ualetudinis oculorum recusaret: instantibus cunctis, Alium, inquit, Quirites quærite, ad quem hunc honorem trãsferatis: nam si me gerere cum cogeritis, nec ego mores uestros ferre, nec uos meum imperium perpeti poteritis. Si priuati tam põderosa uox, quàm graues fasces consulis extitissent?

De Scipione Aemiliano.

Nihilo segnior Scipionis Aemiliani aut in curia, aut in concione grauitas: qui cùm haberet consortem censuræ Mumium, ut nobilem, ita eneruis uitæ, pro Rostris dixit se ex maiestate Reipub. omnia gesturum, si sibi ciues uel dedissent collegam, uel non dedissent.

De eodem Scipione.

Idem, cùm Seruius Sulpitius Galba, & Aurelius consules in Senatu cõtenderent, uter aduersus Viriatum in Hispaniam mitteretur: ac magna inter P. C. dissensio esset, omnib⁹ quonam eius sententia inclinaretur expectãtibus, Neutrum, inquit, mihi mitti placet: alter nihil habet, alteri est nihil satis. æquè malam licentis imperij magistram iudicans inopiam, atque auaritiam: quo dicto ut neuter in prouinciam mitteretur, obtinuit.

De Pompilio Legato.

Cu-

Cn. uerò Põpilius à Senatu legatus ad Antiochum missus, ut bello se, quo Ptolemæũ lacessebat, abstineret: cùm ad eum uenisset, atque is prõpto animo, & amicissimo uultu dextrã ei porrexisset, inuicem ei suã porrigere noluit, sed tabellas Senatusconsultum cõtinentes tradidit: quas ut legit Antiochus, dixit se cum amicis collocuturum. Indignatus Pompilius, quòd aliquam moram interposuisset, uirga sõlum, quo insistebat, denotauit: &, Prius, inquit, quàm hoc circulo excedas, da responsum, quod Senatui referam. Non legatum locutum, sed ipsam curiam ante oculos positam credetes: continuò enim Rex affirmauit fore, ne amplius de se Ptolemæus quereretur. Ac tum demum Pompilius manum eius tanquam socij apprehendit. Quàm efficax est animi sermonisq; abscissa grauitas? eodem momento Syriæ regnum terruit, Ægypti texit.

De Publio Rutilio.

Publij autem Rutilij uerba prius, an facta existimem, nescio: nam utrisque æquè admirabile inest robur. Cùm amici cuiusdam iniusta rogationi resisteret: atque is per summam indignationem dixisset: Quid ergo, inquit, mihi opus est amicitia tua, si quod rogo, non facis? respondit: Imò quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sum? Huic loci consentanea illa opera, quòd magis ordinũ dissen-

sione, quàm ulla culpa sua reus factus, nec obsoletam uestem induit, nec insignia Senatoris deposuit, nec supplices ad genua iudicum manus tetendit, nec dixit quicquam splendore præteritorum annorum humilius, effectiq;, ut periculum huic non impedimentum grauitatis eius esset. sed experimentum: atq; etiã cum ei reditum in patriam Syllana uictoria præstaret: in exilio, nequid contra leges faceret, remansit: quapropter felicitatis cognomen iustius quis moribus grauissimi uiri, quàm impotentis armis assignauerit. Quod quidem Sylla rapuit, Rutilius meruit.

De Marco Bruto.

Marcus Brutus suarum prius uirtutum, quàm patriæ parricida (uno enim facto & illas in profundam præcipitauit, & omnẽ sui nominis memoriam, inexpiabili detestatione perfudit) ultimum prælium initurus, negantibus id quibusdam committi oportere: Fidenter, inquit, in aciem descendo: hodie enim aut rectè erit, aut nihil curabo. Præsumpserat uidelicet neque uiuere sine uictoria, neq; mori sine securitate posse.

EXTERNA.

De Populo Cinanensi.

Huius mentio mihi subijcit, quod aduersus D. Brutũ in Hispania grauiter dictũ est, referre: nam cũ se ei tota penè Lusitania dedidisset,

ac sola gentis huius urbs Cinania pertinaciter arma retineret, tentata redemptione, propemodum uno ore legatis Bruti respondit, seruum sibi à maioribus, quo urbem tuerentur: non aurum, quo libertatem ab imperatore auaro emerent, relictum. Melius sine dubio homines nostri sanguinis hæc dixissent, quàm audissent. Sed illos quidem natura in huius grauitatis uestigia deduxit.

De Socrate Philosopho.

Socrates autẽ Græcæ doctrinæ clarissimum columen, cùm Athenis causam diceret, defensionem q; ei Lysias à se cõpositam, qua in iudicio uteretur, recitasset, demissam, & supplicẽ, imminentiq; procellæ accõmodatã: Auferr, inquit, quæso istã: nam ego si adduci possem, uocem in ultima Scythiæ solitudine perorarẽ, tũ meipsum morte multandum concederẽ. Spiritum contempsit, ne careret grauitate: maluitq; Socrates extingui, quàm Lysias superesse.

De Alexandro rege.

Quantus hic in sapientia, tantus in armis Alexãder illam uocẽ nobiliter edidit. Dario enim uno iam & altero prælio uirtutem eius experto, atq; ideo partẽ regni Tauro tenẽte, mõte, & filiã in matrimoniũ cum decies centum millibus talentũm pollicente, cùm Parmenion dixisset, se, si Alexãder esset, usurum ea cõditione, respondit, Et ego uterer, si Parmenion

essem. Vocem duabus uictorijs respondentem, dignamq; cui uertia, sicut euenit, tribueretur.

De Lacedæmoniis.

Atque hæc quidem et animi magnifici, & prosperi status: illa uerò, qua legati Lacedæmoniorum, apud patrem eius miseram fortunæ suæ conditionem testati sunt, gloriosior, quàm optabilior. Intolerabilibus enim oneribus ciuitatem eorum implicanti, siquid morte grauius imperare perseueraret, mortem se prælaturos responderunt.

De quodam Spartano.

Nec parum graue Spartani cuiusdam dictum: siquidem nobilitate, & sanctitate præstans, & in petitione magistratus uictus, maximæ sibi esse lætitiæ prædicauit, quòd aliquot patria sua se melieres uiros haberet: quo sermone repulsam honori adæquauit.

DE IVSTITIA. CAP. V.

Tempus est iustitiæ quoq; sancta penetralia adire, in quibus semper æqui, ac probi facti respectus religiosa cum obseruatione uersatur: & ubi studium uerecundiæ est, cupiditas rationi cedit: nihilq; utile, quod parum honestum uideri possit, ducitur. Eius autem præcipuum & certissimum inter omnes gentes nostra ciuitas exemplum est.

De Senatu.

Camillo Consule Phaliscos circumsedente,

magister ludi plurimos, & nobilissimos inde pueros, uelut ambulandi gratia eductos, in castra Romanorum perduxit: quibus interceptis, non erat dubium quin Phalisci deposita belligerẽdi pertinacia, traditurí se nostro imperatori essent: ea re cognita, Senatus censuit, ut pueri uinctum magistrũ uirgis cedentes in patriã remitterentur, qua iustitia animi eorum sunt capti, quorum mœnia expugnari nõ poterant: namq; Phalisci beneficio magis, quam armis uicti, portas Romanis aperuerunt.

De eodem Senatu.

Eadem ciuitas aliquoties rebellando, semperq; aduersis cõtusa prælijs tandẽ se Qu. Luctatio COS. dedere coacta est: aduersus quam sæuire cupiẽs Pop. Rom. postquam à Papyrio, cuius manu iubente COS. uerba deditionis scripta erant, doctus est Phaliscos non potestati, sed fidei se Romanorũ cõmisisse, omnẽ iram placida mente deposuit, pariterq; & uiribus odij, non sanè facilè uinci assuetis, & uictoriæ obsequio, quæ promptissimè licentiam submiserat, ne iustitiæ suæ deesset, obstitit.

De eodem Populo Romano.

Idẽ, cùm P. Claudius Camerinos ductu, atq; auspicijs suis captos sub hastã uendidisset, eos ærariũ pecunia, fines agris auctos animaduertebat, tamen quia parum liquida fide id gestũ ab Imperatore uidebatur, maxima cura conquisitos

quisitos redemit, hisq; habitandi gratia locum in Auentino assignauit, & prædia restituit: pecuniam etiam non ad curiam, sed ad sacraria ædificanda, sacrificiaq; facienda tribuit: iustitiæq; promptissimo tenore effecit, ut exitio suo lætari possent, quia sic renati erant. Mœnibus nostris, & finitimis regionibus, quæ adhuc retuli, quod sequitur, per totum terrarum orbem manauit.

De eodem Senatu, & Fabricio.

Timochares Ambraciensis Fabricio COS. pollicitus est se Pyrrhũ ueneno per filiũ suum, qui potionibus eius præerat, necaturũ. Ea res cùm ad senatũ delata esset, missis legatis Pyrrhum monuit, ut aduersus huius generis insidias cautius se gereret: memor urbem à filio Martis conditam, armis bella non uenenis gerere debere. Timocharis autem nomen suppressit, utroque modo æquitatem amplexus: quia nec hostem malo exemplo tollere, nec eum, qui bene mereri paratus fuerat, prodere uoluit.

De quatuor Tribunis plebis.

Summa iustitia in quatuor quoque Tribunis Pleb. eodem tempore conspecta est. Nam, cùm Lucio Siracino (sub quo duce aciem nostram apud Ferruginem à Volscis inclinatam cum cæteris equitibus correxerant) diem ad populum L. Hortensius collega eorum dixisset,

xisset, pro Rostris iurauerunt, in squalore se esse, quòd imperator ipsorum reus esset futurus. Non sustinuerunt enim egregij iuuenes, cuius armati periculum uulneribus & sanguine suo defenderant, eius togati ultimum discrimen, po testatis insignia retinentes, intueri: qua iustitia mota concio, actione Hortensium desistere coëgit. Nec se etiam aliter eo facto, quod sequitur, exhibuit.

De Tiberio Graccho, & Caio Claudio.

Cùm Tiberius Gracchus, & C. Claudius ob nimis seuerè gestā censurā, maiorem partem ciuitatis exasperassent, diem his, M. Pompilius Tribunus perduellionis ad populum dixit præter cōmunem cōsternationē, priuata etiam ira accensus, quia necessariū eius Rutilium ex publico loco parietē demoliri iusserant: quo in iudicio primæ classis permultæ centuriæ Claudium apertè dānabant: de Gracchi absolutione uniuersæ consentire uidebantur, qui clara uoce iurauit, si de collega suo grauius esset iudicatum, in factis se paribus, eandem eum illo pœnam exilij subiturum: eaq; iustitia tota illa tempestas ab utriusq; fortunis, & capite depulsa est. Claudium enim populus absoluit: Graccho causæ dictionē M. Pompilius remisit.

De Collegio Tribunorum.

Magnam laudem & illud collegiū Tribunorum tulit, quòd cùm unus ex eo L. Cotta fiducia

ducia sacrosanctæ potestatis creditoribus suis satisfacere nollet, decreuit, ut si neq; solueret pecuniam, neq; daret eum quo sponsio fieret, appellantibus se creditoribus, auxilio futurum: iniquum ratum, maiestatem publicam, priuatæ perfidiæ obtentui esse. Itaq; Cottam in Tribunatu quasi in aliquo sacrario latentem, tribunitia inde iustitia extraxit.

De Cn. Domitio Trib. pleb.

Cuius, ut ad alium æque illustrem transgrediar, Cn. Domitius Tribunus Plebis M. Scaurum principē ciuitatis in iudicium populi deuocauit, ut si fortuna aspirasset, ruinam: sin minus, certè ipsa obtrectatione amplissimi uirē incrementū claritatis apprehēderet: cuius opprimendi cùm summo studio flagraret, seruus Scauri ad eum noctu peruenit, instructurum se eius accusationē multis, & grauibus dominē criminibus promittēs. erat in eodē pectore inimicus et Domitius, & dominus, diuersa æstimatione nefariū iudiciū perpēdens: iustitia tamen uicit odiū: continuo enim & suis auribus obseratis, et iudicis ore clauso, duci cū ad Scaurum iussit: accusatorē etiam reo suo, ne dicam diligendum, certè laudandū: quē populus tum propter alias uirtutes, tum hoc nomine libentius, et COS. et Censorem, & Pont. Max. fecit.

De Lucio Crasso.

Nec aliter se L. Crassus in eodē iustitiæ ex-

perimento gessit. Cn. Carbonis nomen infesto animo, utpote inimicissimum sibi detulerat: sed tamen scrinium eius a seruo allatū ad se, complura continens, quibus facilè opprimi posset: ut erat signatū, cum seruo catenato ad eū remisit. Quo pacto igitur inter amicos uiguisse tunc iustitiam credimus, cùm inter accusatores quoq; et reos, tantū uirtū obtinuisse uideamus?

De L. Sylla.

Iam L. Sylla non se tam incolumem, quàm Sulpitiū Rufum perditū uoluit, tribunitio furore eius sine ullo fine uexatus. Cæterùm cùm eum proscriptū, & in uilla latentē à seruo proditum cōperisset, manumissum parricidam, ut fides edicti sui extaret, præcipitari protinus è saxo Tarpeio, cū illo scelere parto pileo iussit: uictor alioqui insolēs, hoc imperio iustissimus.

EXTERNA.

De Pittaco Mitylenæo.

Verùm ne alienigenæ iustitiæ obliti uideamur, Pittacus Mitylenæus, cuius aut meritis tantū ciues debuerunt, aut moribus crediderūt, ut suis suffragijs tyrannidē deferrēt, tandiu illud imperiū sustinuit, quandiu bellū de Sygeo cum Athenienſibus gerendū fuit. postquam auтē pax uictoria parta est, cātinuo reclamātibus Mitylenæis deposuit, ne dominus ciuium ultrà, quàm Reip. necessitas exegerat, permaneret: at etiam cùm recuperati agri dimidia pars

pars consensu omnium offerretur, auertit animum ab eo munere, deforme iudicans uirtutis gloriam, magnitudine prædæ minuere.

De Aristide Athenienſi.

Alterius nunc mihi prudentia referēda est, ut alterius repræsentari iustitia posit. Cùm salubcrrimo consilio Themistocles migrare Athenienses in classem coēgisset, Xerxeq; rege, & copijs eius, Græcia pulsis, ruinas patriæ in priſtinum habitum reformaret, & opes clandestinis molitionibus ad principatum Græciæ capessendum nutriret, in concione dixit, habere se rem deliberatione sua prouisam, quam si fortuna ad effectum perduci passa esset, nihil magis aut potentius Athenienſi populo futurum, sed eam uulgari non oportere: postulauitq;, ut aliquis sibi, cui illam tacitè exponeret, daretur: datus est Aristides. Is postquam cognouit eum classem illam Lacedæmoniorum, quæ tota apud Gytheum subducta erat, uelle incendere, ut ea consumpta dominatio maris ipſis cederet, processit ad ciues, & ipsis retulit, Themistoclem ut utile consilium, ita minime iustum animo uoluere. Cuius tigio uniuersa concio quod æquum non uideretur, nec expedire quidem proclamauit, ac protinus Themistoclem incœpto iussit desistere.

De Zeleuco Locrenſi.

Nihil illis etiam iustitiæ exemplis fortius.

Zeleucus urbe Locrensium à se saluberrimis, utq; utilissimis legibus munita, cùm filius eius adulterij crimine damnatus, secundum ius ab ipso constitutum utroq; oculo carere deberet, ac tota ciuitas in honorẽ patris necessitatẽ pœnæ adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnauit: ad ultimum precibus populi euictus, suo prius, deinde filij oculo cruto, usum utrique uidendi reliquit. Ita debitum supplicij modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem & iustum legislatorem partitus.

De Charonda Tyrio.

Sed aliquanto Charondæ Tyrij præfectior, & abscisßior iustitia, ad uim, & cruorẽ usque seditiosas conciones ciuium pacauerat: lege eã uendo, ut si quis eas cum ferro intrasset, continuò interficeretur: interiecto deinde tempore ex longinquo rure gladio accinctus, domũ repetens, subito indicta concione, sicut erat, in eam processit, ab eoq;, qui proximè constiterat, solutæ à se legis suæ monitus: Idem ego illam, inquit sanciam: ac protinus ferro, quod habebat, districto incubuit: eumq; liceret culpæ uel dissimulare, uel errore defendere, pœnã tamen præsentare maluit, neque fraus iustitiæ fieret.

DE FIDE PVBLICA. CAP. VI.

HVius imagine ante oculos posita, uenerabile fidei numen dexterâ suâ certissimum

num salutis humanæ pignus ostẽtat, quâ semper in nostra ciuitate uiguisse, et omnes gẽtes cẽ serunt, & nos paucis exẽplis recognoscamus.

De Senatu Pop. q; Rom.

Cùm Ptolemæus Rex tutorẽ Populum Rom. filio reliquisset, Senatus M. Aemiliũ Lepidũ Pont. Max. bis COS. ad pueri tutelã gerendã Alexandriã misit, amplissimiq;, & integerrimi uiri sanctitatem Reip. usibus, & sæcris comparatam, externæ procurationi uacare uoluit, ne fides ciuitatis nostræ frustra petita existimaretur: cuius beneficio regia incunabula conseruata pariter, ac decorata, incertum Ptolemæum reddiderunt, patris'ne fortuna magis, an tutoris maiestate gloriari deberet.

De Ciuitate Romana.

Speciosa quoque illa Romana fides. Ingentẽ Pœnorũ classe circa Siciliã deducta, duces eius fractis animis cõsilia petendæ pacis agitabãt. Quorum dux Amilcar ire se ad consules negabat audere, ne eodem modo catenæ sibi iniicerẽtur, quo ab ipsis Cornelio Asinæ cõsuli fuerant iectæ. Hanno autẽ certior Romani animi æstimator, nihil tale timendũ ratus, maxima cum fiducia ad colloquium eorum terẽdit: apud quos cùm de belli fine ageret, & Tribunus militũ ei dixisset, posse illi meritò cuenire, quod Cornelio accidisset: uterq; COS. Tribuno tacere iusso, Isto te, inquit, metu Hanno fides

ciuitatis nostræ liberat. claros illos fecerat tantum hostium ducem uincere potuisse, sed multò clariores fecit noluisse.

De eodem Senatu.

Aduersus eosdem hostes pares fidem in iure legationis tuendo patres C. exhibuere. M. enim Aemilio Lepido, L. Flaminio COSS. L. Minutium, & L. Manilium Carthaginiensium legatis, quia manus his intulerant, per feciales reddendos curauerunt. Sed tum Senatus non eos, quibus hoc præstabatur aspexit.

De superiore Africano.

Huius exēplū superior Africanus secutus, cùm onustam multis, & illustribus Carthaginiensiū uiris nauem in suā potestatem redegisset, inuiolatā dimisit, quia se legatos ad cū missos dicebant: tametsi manifestū erat, illos uitādi præsentis periculi gratia falsū legationis nomen āplecti, ut Romani imperatoris potius decepta fides, quā frustra implorata iudicaretur.

De Senatu Pop. q; Rom.

Repræsentemus etiam illud Senatus nullo modo prætermittendum opus: legatos ab urbe Apollinia Romam missos, Qu. Fabius, Cn. Apronius ædiles orta contentione pulsauerūt. quod ubi comperit, continuo eos per feciales legatis dedidit, quæstoremq; cum his Brundusium ire iussit, ne quam in itinere à cognatis deditorum iniuriam acciperent. Illam curiam mortalium quis concilium, an non templum fidei dixerit? quam ut ciuitas nostra semper benignam præstitit, ita etiam in sociorum quoq; animis constantem recognouit.

EXTERNA.

Post duorum in Hispania Scipionum, totidemq; Romani sanguinis exercituum miserabilem stragem, Saguntini uictricibus Annibalis armis intra mœnia urbis suæ compulsi, cùm uim Punicam ulterius nequirent arcere, collatis in forū, quæ unicuiq; erant charissima, atq; undiq; circundatis accensisq; ignis nutrimentis, ne à societate nostra deficerēt, publico, & cōmuni rogo semetipsos superiecerunt. Crediderim tunc ipsam fidē humana negotia speculantem, mœstum gessisse uultum, perseueranti ssimum sui cultū iniquæ fortunæ iudicio tam acerbo exitu damnatum cernentem. Idem præstando Petilini eundem laudis honorem meruit, ab Annibale, quia deficere à nostra amicitia noluerūt, obsessi: legatos ad Senatum auxilium implorantes miserunt, quibus propter recentem cladem Cannensem succurri non potuit. Cæterùm permissum est eis, ut facerent, quod utilissimum incolumitati eorum uiderētur. Liberum ergo erat Carthaginiēsium gratiam amplecti. Illi tamen fœminis, omnique ætate imbelli urbe egesta, quò tutius armati famem traherent, pertinacissimè in muris consti-

ter

stiterunt, expirauitq; prius eorum tota ciuitas, quàm ulla ex parte Romanæ societatis reflectum deposuerint. Itaq; Annibali non Petiliæ, sed fidum Petiliæ sepulcrum capere contigit.

DE FIDE VXORVM erga uiros. CAP. VII.

De Tertia Aemilia.

ATq; ut uxoriam quoque fidem attingamus: Tertia Aemilia Africani prioris uxor, mater Corneliæ matris C. & T. Gracchorum, tantæ fuit comitatis, & patientiæ, ut cùm sciret uiro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulauerit: ne domitorem orbis Africanum, fœmina magnum uirum impatientia reum ageret: tantumq; mens eius à uindicta abfuit, ut post mortem Africani manumissam ancillulam in matrimonium liberto suo daret.

De Turia uxore Lucretii.

Quintum Lucretium proscriptum à triumuiris uxor Turia inter cameram, & tectum cubiculi abditū, una conscia ancillula, ab imminente exitio, non sine magno periculo suo, tutum præstitit: singulariq; fide id egit, ut cùm cæteri proscripti in alienis, & hostilibus regionibus per summos animi, & corporis cruciatus uix euaderent, ille in cubiculo, & in coniugis sinu salutem reperiret.

De Sulpitia uxore Lentuli.

Sulpitia autem cùm à matre Iulia diligentissimè custodiretur, ne Lentulum Cruscellionem uirum suum proscriptum à triumuiris in Siciliam prosequeretur, nihilominus familiari uestem sumpta, cum duabus ancillis, totidemq; seruis ad eum clandestina fuga peruenit: nec recusauit seipsam proscribere, ut ei fides sua in coniuge proscripto constaret.

DE FIDE SERVORVM erga dominos. CAP. VIII.

RElatu ut seruorum etiam erga dominos, quò minus expectatam, hoc laudabiliorem fidem referamus.

De quodam seruo M. Antonii.

Marcus Antonius, auorum nostrorū temporibus clarissimus Orator, incesti reus agebatur, cuius in iudicio accusatores seruū in quæstione perseuerantissimè postulabant, quòd ab eo, cùm ad stuprū iret, laternā prælatā contenderet: erat autem is etiam tum imberbis, & stabat coram, uidebatq; uē ad suos cruciatus pertineve, nec tamē eos fugit auit. Ille uerò, ut domum uentum est, Antoniū hoc nomine uehemētius confusum, & solicitum ultro est hortatus, ut se iudicibus torquendum traderet, affirmans nullum ore suo uerbum exiturū, quo causa eius læderetur. ac promissi fidem mira patientia præstitit, plurimis etiā laceratus uerberibus, eculeoq; impositus, candentibus etiā laminis ustus, omnem uim accusatoris, custodita

rei salute subuertit. Argui fortuna meritò potest, quòd tam pium, & tam fortem spiritum seruili nomine inclusit.

De quodam seruo C. Marii.

Consulem autem C. Marium Prænestinæ obsidionis miserabilem exitum sortitum, cuniculi latebras frustra euadere conatum, leuiq; uulnere à Telesino, cum quo mori destinauerat, perstrictum, seruus suus ut Syllanæ crudelitatis expertem faceret, gladio traiectum interemit, cùm magna præmia sibi proposita uideret, si eum uictoribus tradidisset: cuius dexteræ tam opportunum ministerium nihil eorum pietati cedit, à quibus salus dominorum protecta est: quia eo tempore Mario non uita, sed mors in beneficio reposita erat.

De Philocrate, seu Euporo seruo Gracchi.

Aequè illustre quod sequitur. C. Gracchus, ne in potestatem inimicorum deueniret, Philocrati seruo suo ceruices incidẽdas præbuit: quas cùm celeri ictu abscidisset, gladium cruore domini madentem per sua egit præcordia. Euporum alij hunc uocitatum existimant: ego de nomine nihil disputo, familiaris autem tantummodo fidei robur admiror, cuius si præstantiam animi generosius iuuenis imitatus foret, suo, non serui beneficio imminentia supplicia uitasset: nunc commisit ut Philocratis, quàm Gracchi

Gracchi cadauer speciosius iacêret.

De Pindaro, seruo Cassii.

Alia nobilitas, alius furor: sed fidei par exemplum. Pindarus C. Cassium Philippẽsi prælio uictũ, nuper ab eo manumissus, iussu ipsius obtruncatum, insultationibus hostium subtraxit. Seq; è conspectu hominum uolũtaria morte abstulit, ita ut ne corpus quidem eius absumpti inueniretur. Quis Deorum grauissimi sceleris ultor illam dexteram, quæ in necem patriæ parentis exarserat, tanto torpore alligauit, ut se tremebundam Pindari genibus submitteret, ne publici parricidij, quas merebatur pœnas, arbitrio pij uictoris exoluere? Tu profectò, tu Diue Iuli cœlestibus tuis uulneribus debitam exegisti uindictam, perfidum erga te caput sordidi auxilij supplex fieri cogendo, eo animi æstu compulsum, ut neque retinere uitam uellet, neq; finire manu sua auderet.

De seruis Caii Plotini Planci, & de ipso Caio.

Adiunxit se his cladibus Cn. Plotinus Plancus Numacij Planci Consularis, & Censorij frater, qui cùm à triumuiris proscriptus in regione Salernitana lateret, delicatiore uitæ genere, & odore unguenti, occultam salutis custodiam detexit: ĩstis enim uestigijs, eorum qui miserum prosequebantur, sagax inducta cura, abditum fugæ eius cubile odorata est: à quibus

comprehensi serui latentes, multumq; ac diu torti, negabant se scire ubi dominus esset. Non sustinuit deinde Plancus tam fideles, tamq; boni exempli seruos ulterius cruciari: sed processit in medium, iugulumq; gladijs militum obiecit. Quod certamen mutuæ beneuolentiæ arduum dignosci facit, utrum dignior dominus fuerit, qui tam constantem seruorum fidem experiretur, an serui qui tam iusta domini misericordia quæstionis seuitia liberaretur.

De quodam seruo Panopionis.

Quid urbani Panopionis serui, quàm admirabilis fidei? qui cùm ad dominum proscriptum occidendum domesticorum indicio certiores factos milites in Reatinam uillam uenisse cognoscerent, commutata cum eo uestę, permutato etiam anulo, illum postico clàm emisit, se autem in cubiculum ac lectulum recepit, & ut Panopionem occidisse passus est. Eventis huius facti narratio, sed nõ parua materia laudationis: nam si quis ante oculos ponere uelit subitum militum accursum, conuulsa ianuæ claustra, minacem uocẽ, truces ultus fulgentia arma, rem uera æstimatione prosequetur: nec quam citò dicitur aliquẽ pro alio mori noluisse, tam id ex facili etiam fieri potuisse arbitrabitur. Panopion autem quãtum seruo deberet, amplum ei faciendo monimentum, ac testimonium pietatis grato titulo reddendo, confessus est.

sus est. Contentus essem huius exemplis generis, nisi unum me dicere admiratio facti cogeret.

De seruo Antii Restionis.

Antius Restio proscriptus à Triumuiris, cùm omnes domesticos circa rapinam, & prædam occupatos uideret, quàm maximè poterat dissimulata fuga se penatibus suis intempesta nocte subduxit: cuius furtiuũ egressum seruus ab eo uinculorũ pœna coërcitus, inexpialibiq; literarum nota per summam oris contumeliam inustus, curiosis speculatus oculis, atq; uestigia huc, atq; illuc errantia beneuolo studio subsecutus, lateri uoluntarius comes arrepsit. Quo quidem tam exquisito, tamq; ancipiti officio, perfectissimum inexpectatæ pietatis cumulum expleuerat: his enim, quorum felicior in domo status fuerat, lucro intentis, ipse, cũ nihil aliud, quàm umbra, & imago suppliciorum suorum maximũ sibi esset emolumentũ: eius, à quo tam grauiter punitus erat, salutem uẽdicauit. cumque abunde foret iram remittere, adiecit etiam charitatem: nec hactenus beneuolentia processit, sed in eo conseruando mira quoq; arte usus est. nam ut sensit cupidos sanguinis milites supervenire, amoto domino rogum extruit, eiq; egentem à se comprehẽsum, & occisum senem superiecit. interrogantibus deinde militibus, ubinam esset Antius, manũ rogo intendẽs, ibi illũ datis sibi crudelitatis piaculis uri respõdit:

quia uerisimilia loquebatur, habita est uoci fides: quo euenit, ut Antius statim quærendæ incolumitatis occasionem assequeretur.

DE MVTATIONE MORVM, & fortunæ. CAP. IX.

MVltùm animis hominũ, & fiduciæ adiycere, & solicitudinis detrahere potest morũ, ac fortunæ in claris uiris recognita mutatio, siue nostros status, siue proximorũ ingenia cõtemplemur. Nã cùm aliorũ fortunas speculando, ex cõditione abiecta, atq; contẽpta claritatem emersisse uideamus, quid aberit, quin et ipsi meliora de nobis semper cogitemus, memores stultum esse, perpetuæ infelicitatis se dãnare: spemq; quæ etiam incerta ratione fouetur, interdum certã in desperationẽ conuertere?

De Manlio Torquato filio Lucii Manlii Torquati.

Manlius autem Torquatus adeò hebetis, atq; obtusi cordis inter initia iuuẽtæ existimatus, ut à patre Manlio amplissimo uiro, quia & domesticis, & Reip. usibus inutilis uidebatur, reus relegatus, agresti opere fatigaretur, postmodũ patrem reũ iudiciali periculo liberauit: filium uictorem, quòd aduersus imperium suum cum hoste manu conseruerat, securi percussit: patriam Latino tumultu fessam, speciosissimo triũpho recreauit. In hoc credo fortunæ nubilo contemptu adolescentiæ perfusum, quo

senectutis eius decus lucidius enitesceret.

De Scipione Africano Superiore.

Scipio autẽ Africanus Superior, quem Dij immortales nasci uoluerunt, ut esset in quo uirtus se per omnes numeros omnibus efficaciter ostenderet, solutioris uitæ primos adolescentiæ annos egisse fertur, remotos quidẽ à luxuriæ crimine, sed tamen Punicis trophæis, deuictæ Carthaginis ceruicibus imposito iugo, teneriores.

De C. Val. Flacco.

Caius quoq; Valerius Flaccus secũdi Punici belli temporibus luxu perditam adolescentiam inchoauit. Cæterùm à P. Licinio Pont. Max. flamen factus, quò facilius à uitijs recederet, ad curam sacrorũ, & ceremoniarum conuersa animo, usus duce frugalitatis religione, quantũ prius luxuriæ fuerat exemplum, tãtum postea modestiæ, & sanctitatis specimen euasit.

De Q. Fab. Maximo.

Nihil Q. Fabio Maximo, qui Gallicæ uictoriæ cognomen Allobrogi sibimet, ac posteris peperit, adolescente magis infame, nil eodem sene ornatius, aut speciosius illo seculo nostra ciuitas habuit.

De Q. Catulo.

Quis ignorat Q. Catuli autoritatẽ in maximo clarissimorũ uirorũ prouentu excelsum gradum obtinuisse? cuius si superior ætas reuoluatur, multi luxus, multæ delitiæ reperiẽtur: quæ

quidem ei impedimento non fuerunt, quò minus patriæ princeps existeret: nomenq; eius in capitolino fastigio fulgeret, ac uirtute ciuile bellum ingenti motu oriens sepeliret.

De Lucio Sylla.

Lucius uerò Sylla usq; ad quæsturæ suæ comitia uitã libidine, uino, ludicræ artis amore, perinquinatam perduxit. Quapropter C. Marium COS. molestè tulisse traditur, quòd sibi asperrimum in Africa bellum gerenti, tam delicatus quæstor sorte obuenisset: eiusdem uirtus quasi præruptis, & disiectis nequitiæ, quã obsidebatur, claustris, catenas Iugurthæ manibus iniecit: Mithridatem compescuit: socialis belli luctus repressit: Cimæ dominationem fregit, cumq; in Africa, qui se quæstorem fastidierat, ipsam illam prouinciam proscriptum, & exulem petere coëgit: quæ tam diuersa, tamq; inter se contraria, si quis apud animum suum attentiore comparatione expendere uelit, duos in uno homine Syllas fuisse crediderit: turpem adolescentulum, & uirum dicerem fortem, nisi ipse se Felicem appellari maluisset.

DE SVBLIMITATE A statu humili. CAP. X.

ATque ut nobilitatem beneficio pœnitentiæ se ipsam admonuimus respicere, ita altiora modo suo sperare ausos subtexamus. De

De Tito Ausidio.

Titus Ausidius cùm Asiatici publicani exiguam admodũ particulam habuisset, postea totam Asiam pro consulari imperio obtinuit: nec indignati sunt socij eius parere fascibus, quem aliena tribunalia adulantem uiderant: gessit se etiam integerrimè, ac splendidissimè: miroq; id modo demonstrauit, pristinum quæstum suæ fortunæ, præsens uerò dignitatis incrementum moribus suis imputari debere.

De P. Rutilio.

At P. Rutilius non Publicanum in Siciliæ egit, sed operam publicanis dedit: idem ultimã inopiam suam autorato socijs officio sustentauit: ab hoc postmodum consule leges uniuersi Siculi acceperunt: acerbissimoq; prædonum ac fugitiuorum bello liberati sunt: portus ipsos, si quis modò mutis rebus inest sensus, tantam in eodem homine uarietatẽ status admiratos arbitror. Quem enim diurnas capturas exigentem animaduerterant, eundem iura dantem, classesq;, & exercitus regentem uiderunt.

De Publio Ventidio.

Huic tãto incremẽto maius adiciã: Asculo capto, Cn. Pompeij Magni pater P. Ventidiũ ætate puberem in triumpho suo populi oculis subiecit. Hic est Ventidius, qui postea Romæ ex Parthis, & per Parthos de Crassi manibus in hostili solo miserabiliter iacentibus, triumphum

phum duxit: itaq; qui captiuus carcerem exhorruerat, uictor Capitolium felicitate celebrauit. In eodem etiam illud eximium, quòd eodem anno Prætor, & Consul est factus.

DE VARIETATE CASVVM.

CAPVT XI.

De L. Lentulo.

CAsuum nunc contemplemur uarietatẽ. L. Lentulus Consularis lege Cæcilia repetundarum crimine oppressus, Censor cum L. Censorino creatus est: quẽ quidem fortuna inter ornamenta, & dedecora alterna uice uersauit, consulatui illius damnationẽ, damnationi Censuram subijciẽdo: & neq; bonis eum perpetuis frui, nec malis æternis ingemiscere patiendo.

De Cn. Cornelio Scipione Asina.

Eisdem uiribus uti uoluit in Cn. Cornelio Scipione Asina, qui COS. à Pœnis apud Liparas captus, cùm belli iure omnia perdidisset, latiore subinde uultu eius adiutus, cuncta recuperauit: Consul etiam iterũ creatus. Quis crederet illum à duodecim securibus ad Carthaginiensium peruenire catenas? quis rursus existimaret à Punicis uinculis ad summa imperij peruenturum fastigia? sed tamen ex Consule captiuus, & ex captiuo Consul factus est.

De Crasso, dicto Diuite.

Quid? Crasso non'ne pecuniæ magnitudo locupletis nomen dedit? sed eidem postea inopi a turpem

turpem decoctoris superlationem inimnxit. Siquidem bona eius à creditoribus, quia solidum præstare non poterat, uenierunt. Itaq; amaræ sagillatione non caruit, cùm egens ambularet, dines ab occurrentibus salutabatur.

De Q. Cepione.

Crassum casus acerbitate Q. Cepio præcurrit: is nanq; Præturæ splẽdore, triumphi claritate, consulatus decore, Maximi Pontificis sacerdotio, ut Senatus patronus diceretur, assecutus, in publicis uinculis spiritum deposuit, corpusq; eius funesti carnificis manibus lacerãtum, in scalis gemonijs iacens, magno cum horrore totius fori Romani conspectum est.

De C. Mario Candidato.

Iam C. Marius maximæ fortunæ luctatio est: omnes enim eius impetus tã corporis, quàm animi robore fortissimè sustinuit: Arpinatibus honoribus iudicatus inferior, quæsturã Romæ petere ausus est: patientia deinde repulsarum, irrupit magis in curiam, quàm uenit. In tribunatus quoq; & ædilitatis petitione consimilem campi notam expertus: Præturæ candidatus supremo loco inhæsit, quam tamen non sine periculo obtinuit: ambitus enim accusatus, uix, atq; ægrè absolutionẽ à iudicibus impetrauit. Ex illo Mario tã humili Arpinate, tam ignobili Romæ, tamq; fastidiendo candidato, ille Mari? euasit, qui Africã subegit,

Iugurtham Regem ante currũ egit, qui Theutonicorũ, Cymbrorũq; exercitus deleuit, cuius bina trophæa in urbe spectantur, cuius septẽ in fastis consulatus leguntur, cui post exiliũ Consulem creari, proscriptoq; facere proscriptionẽ contigit. Quid huius conditione inconstantius, aut mutabilius? quẽ si inter miseros posueris, miserrimus: inter felices, felicissim⁹ reperietur.

De C. Cæsare.

Caius autem Cæsar, cuius uirtutes adiũ sibi in cœlũ struxerunt, inter primæ iuuentutis initia priuatus Asiam petens, à maritimis prædonibus circa insulã Pharmacusam exceptus, quinquaginta sẽ talentis redemit. Parua igitur summa clarissimum mundi sydus in piratico myoparone repẽdi fortuna uoluit. Quid est ergo quòd amplius de ea re queramur, si ne cõsortibus quidẽ diuinitatis suæ parcit? Sed cæleste numen se ab iniuria uindicauit: continuò enim captos prædones crucibus affixit. Aliẽo studio nostra commemorauimus, remissiore nunc animo aliena narrentur.

EXTERNA.

De Polemone Atheniẽsi Philosopho.

Perditæ luxuriæ Athenis adolescens Polemon, neq; illecebris eius tantummodo, sed etiã ipsa infamia gaudens, cùm è conuiuio nõ post occasum solis, sed post ortum surrexisset, domumq; rediens Xenocratis philosophi patentem ianuam uidisset, uino grauis, unguẽtis delibutus, sertis capite redimito, pellucida uestẽ amictus, refertam turba doctorum hominum scholã eius intrauit, nec cõtentus tam deformẽ introitu, consedit etiam, ut clarissimũ eloquiũ, & prudẽtissima præcepta temulentiæ lasciuiæ eleuaret: orta deinde, ut par erat, omnium indignatione, Xenocrates uultum in eodem habitu continuit, omissaq; re, quam differebat, de modestia, ac temperantia loqui cœpit. Cuius grauitate sermonis resipiscere coactus Polemon, primum coronam capite detractam proiecit, paulò pòst brachiũ intra pallium reduxit, procedente tempore oris cõuiualis hilaritatem deposuit, ad ultimum totam luxuriam exuit, unius q; orationis saluberrima medicina sanatus, ex infami ganeone, maximus philosophus euasit: peregrinatus est huius animus in nequitia, non habitauit.

De Themistocle.

Piget Themistoclis adolescentiam attingere, siue patrem aspiciam, abdicationis iniungentem notam, siue matrem suspẽdio finire uitam propter filij turpitudinem coactam; cùm omnium postea Graij sanguinis uirorum clarissimus extiterit, mediũq; Europæ & Asiæ uel spei uel desperationis pignus fuerit: hæc enim salutis suæ patronum habuit, illa uadem uictoriæ assumpsit.

De Cim

De Cimone Athenienſi.

Cimonis uerò incunabula opinione ſtultitiæ fuerunt referta: eiuſdem ſtultitia imperia ſalutaria Athenienſes ſenſerunt: itaque coëgit eos ſtuporis ſemetipſos damnare, qui eum ſtolidum crediderant.

De Alcibiade.

Nanq; Alcibiadē quaſi duæ fortunæ partitæ ſunt: altera, quæ ei nobilitatem eximiam, abundantes diuitias, formam præſtantiſſimā, fauorem ciuium propenſum, ſummā imperia, præcipuas potentiæ uires, flagrantiſſimum ingenium aſſignaret: altera quæ damnationem, exilium, uenditionem bonorū, inopiam, odium patriæ, uiolentam mortem infligeret, nec aut hæc, aut illa uniuerſa, ſed uaria, perplexa, freto, atque æſtui ſimilima.

De Polycrate tyranno Samiorum.

Ad inuidiam uſque Polycratis Samiorum tyranni abundantiſſimis bonis conſpicuus uitæ fulgor exceſſit: nec ſine cauſa: omnes enim conatus eius placido excipiebantur itinere: ſpes certum cupitæ rei fructū appræhendebat: uota nuncupabantur ſimul, & ſoluebantur: uelle ac poſſe in æquo poſitū erat: ſemel duntaxat uultum mutauit, perquàm breui triſtitiæ ſalebra ſuccuſſum: tunc cùm admodum gratū ſibi annulum de induſtria in profundum, ne omnis incōmodi expers eſſet, abiecit: quem tamen cōtinuò recup

recuperauit, capto piſce, qui eum deuorauerat. Sed hunc, cuius felicitas ſemper plenis uelis proſperum curſum tenuit, Orontes Darij regis præfectus, in excelſiſſimo Micalenſis montis uertice cruci affixit: ex qua putres ei⁹ artus, et tabido cruore manātia mēbra, atq; illā lauā, cui Neptunus anulū piſcatoris manu reſtituerat, ſitu marcidā, Samos amara ſeruitute aliquandiu preſſa, liberis, ac lætis oculis aſpexit.

De Dionyſio tyranno.

Dionyſius autem cùm hæreditatis nomine à patre Syracuſanorū, ac penè totius Siciliæ tyrannidem accepiſſet, maximarū opum dominus, exercituum dux, rector claſſium, equitatu potēs, propter inopiam, literas puerulos Corinthi docuit, eodemq; tempore, tanta mutatione maiores natu, nequis nimis fortunæ crederet, magiſter ludi factus ex tyranno, monuit.

De Siphace rege.

Sequitur hunc Siphax Rex, conſimilem fortunæ iniquitatem expertus, quem amicū hinc Roma per Scipionē, illinc Carthago per Haſdrubalem ultro petitum ad penates Deos eius uenerat. Cæterùm eò claritatis euectus, ut uallidiſſimorū populorum non tantum arbiter, ſed & victor uictoriæ exiſteret: parui temporis interiecta mora, catenatus à Lælio legato ad Scipionem imperatorē pertractus eſt: cuius q; dexteram regio inſidens ſolio arrogantī manu

attig

attigerat, eius genibus supplex procubuit. Caduca nimirum & fragilia, puerilibusq; consentanea crepundijs sunt ista, quæ uires, atque opes humanæ uocantur. Affluunt subitò, repentè dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt: sed incertissimo flatu fortunæ, huc atq; illuc acta, quos in sublime extulerunt, improuiso recursu destitutos, in profundo cladium miserabiliter immergunt: itaque neque debent existimari, neque dici bona, quæ inflictorũ malorum amaritudinem, desiderio sui duplicant.

VALERII MAXIMI LIBER SEPTIMVS.

DE FELICITATE. CAP. I.

VOLVBILIS fortunæ complura exempla retulimus: constantis & propitiæ admodum pauca narrari possunt: quo patet, eam aduersas res cupido animo infligere, secundas parce tribuere: eadem ubi malignitatis obliuisci sibi imperauit, non solum plurima, ac maxima, sed etiam perpetua bona congerit.

De Q. Metello.

Videamus ergo quot gradibus beneficiorũ Qu. Metellum à primo originis die, ad ultimum

mum usq; fati tempus nunquã cessante indulgentia, ad summum beatæ uitæ cumulum perduxerit. Nasci enim in urbe terrarum principe uoluit: parẽtes ei nobilissimos dedit: adiecit animi rarissimas dotes, & corporis uires, ut sufficere laboribus posset: uxorem pudicitia, & fœcunditate conspicuam conciliauit. Consulatus decus, imperatoriam potestatem, speciosissimi triumphi prætextam largita est: fecit, ut eodem tempore tres filios consulares, unum etiã censorium, duos triumphales, & quartum prætorium uideret: ut tres filias nuptui daret, earũq; sobolem sinu suo exciperet: tot partus, tot incunabula, tot uiriles togæ, tam multæ nuptiales faces, honorum, imperiorum, omnis deniq; gratulationis summa abũdantia, cùm interim nullum funus, nullus gemitus, nulla causa tristitiæ. Cœlum contemplare: uix tamen tibi talem statum reperies: quoniã quidem luctus, & dolores, Deorum quoque pectoribus à maximis uatibus assignari uidemus: hunc autem uitæ actum eius consentaneus finis excepit. Nam Qu. Metellum ultimæ senectutis spatio defunctum, leniq; genere mortis inter oscula, complexusq; charissimorũ pignorum extinctum, filij & generi humeris suis per urbem latum rogo imposuerunt.

De Gyge.

Clara hæc felicitas: obscurior illa, sed diuina splend

splendore præposita: cùm enim Gyges regno Lydiæ, armis & diuitijs abũdantißimo, inflatus animo Apollinem Pythium sciscitatũ uenisset, an aliquis mortaliũ se esset felicior: Deus ex abdito sacrarij specu, uoce missa, Aglaum Psophidiũ ei prætulit. Is erat Arcadum pauperrimus, sed ætate iam senior: terminos agelli sui nunquam excesserat, paruuli ruris fructibus, ac uoluptatibus contentus. Verùm profectò beatæ uitæ finem Apollo, nõ adumbratũ, oraculi sagacitate complexus est. Quocirca insolenter fulgore fortunæ suæ glorianti respondit, magis se probare securitate ridens tugurij, quàm tristem curis, & solicitudinibus aulam: paucasq; glebas pauoris expertes, quàm pinguissima Lydiæ arua metu referta: & unum aut alterum iugum boum facilis tutelæ, quàm exercitꝰ, et arma, & equitatũ, uoracibus impensis onerosum: & usus necessarij horreolum nulli nimis appetẽdum, quàm thesauros omniũ insidijs, & cupiditatibus expositos. Ita Gyges dum adstipulatorem uanæ opinionis Deum habere concupiscit, ubinam solida, & syncera esset felicitas, didicit.

SAPIENTER DICTA, aut facta. CAP. II.

Nunc id genꝰ felicitatis explicabo, quod totum in habitu animi est: nec uotis petitur. sed in pectoribus sapientia prædiis natis, dictis factisq; prudentibus enitescit.

De Appio Claudio.

Appium Claudium crebro solitum dicere accepimus, negotium Pop. Rom. melius, quàm otium committi: non quòd ignoraret quàm iucundus tranquillitatis status esset, sed quòd animaduerteret, præpotentia imperia agitatione rerum, ad uirtutem capessendam excitari, nimia quiete in desidiam resolui: & sanè negotium, nomine horridum, ciuitatis nostræ mores in suo statu continuit: blandæ appellationis quies plurimis uitijs respersit.

De Scipione Africano.

Scipio uerò Africanus turpe esse aiebat in re militari dicere, Non putaram: uidelicet quia explorato, & excusso cõsilio, quæ ferro agunturꝰ, administrari oportere arbitrabatur summa ratione. Inemendabilis enim est error, qui uiolentia Martis cõmittitur. Idẽ negabat aliter cum hoste confligi debere, quàm aut si occasio obuenisset, aut necessitas incidisset: æquè prudenter: nam & prosperã gerendæ rei facultatem omittere, maxima dementia est: & in angustias utiq; pugnandi compulsum abstinere se prælio, pestiferæ ignauiæ affert exitium: eorumq;, qui ista committunt, alter beneficio fortunæ uti, alter iniuriæ nescit resistere.

De Q. Metello.

Quinti quoq; Metelli cum grauis, tum etiã

alta in senatu sententia: qui deuicta Carthagine, nescire se, illa uictoria boni ne plus, an mali Reip. attulisset, asseuerauit: quoniã ut pacem restituendo profuisset, ita Annibale submouendo, nonnihil nocuisset: eius enim transitu in Italiam, dormientem Populi Romani uirtutem excitatam: metuiq; debere, ne acri æmulo liberata in eundem somnum reuolueretur. In æquo igitur malorum posuit, uri tecta, nastari agros, exhauriri ærarium, & prisci roboris hebetari neruos.

De Licinio Fimbria consulari.

Quid illud factum Licinij Fimbriæ consularis, quàm sapiens? à M. Luctatio Pinthia spẽ dido equite Ro. iudex additus de sp̃osione, quã is cum aduersario, quòd uir bonus esset, fecerat: nunquàm in iudicium pronuntiatione sua finire uoluit: ne aut probatũ uirũ, si cõtra eum iudicasset, fama spoliaret: aut iuraret eum uirum bonum esse, cùm ea res innumerabilibus laudibus contineatur. Forensibus hæc, illa militaribus stipendijs prudentia exhibita est.

De Papyrio Cursore consule.

Papyrius Cursor consul cùm Aquiloniã oppugnans prælium uellet cõmittere, pullarius q; non prosperantibus auibus optimũ ei auspicium renũtiasset, de fallacia illius factus certior, sibi quidẽ, & exercitui bonum omen datum credidit, ac pugnam iniit. Cæterùm mendacem ante ipsam

ipsam aciem constituit: ut haberent Dij, cuius capite, siquid iræ conceperant, expiarent: directum est autem siue casu, siue cœlestis numinis prouidentia, quod primum è contraria parte missum erat telum, in ipsum pullarij pectus, eumq; exanimem prostrauit: id ut cognouit Consul, fidente animo & inuasit Aquiloniã, & cepit. Tam citò animaduertit, quo pacto iniuria imperatoris uindicari deberet: quemadmodum uiolata religio expianda foret: qua ratione uictoria apprehendi posset: egit uirum seuerum, Consulem religiosum, imperatorem strenuum, timoris modum, pœnæ genus, spei uiam, uno mentis impetu rapiendo. Nunc ad senatus acta transgrediar.

De Senatu.

Cùm aduersus Annibalẽ senatus Claudiũ Neronem, & L. Salinatorẽ Consules mitteret, eosq; ut uirtutibus pares, ita inimicitijs acerrimè inter sẽ dissidentes uideret: summo studio in gratiã reduxit, ne propter priuatas dissensiones, Remp. parum utiliter administrarent: quia consimili imperio ubi concordia non inest, maior aliena opera interpellandi, quàm sua edendi cupiditas nascitur: ubi uerò pertinax intercedit odium, alter alteri, quàm utereque contrarij castris certior hostis proficiscitur. Eosdem senatus, cùm ob nimis asperè actam censuram à Cn. Bebio Trib. Pleb. pro

Rostris agerentur rei, causæ dictione decreto suo liberauit, uacuũ omnis iudicij metu eũ honorem reddendo, qui exigere deberet rationem, non reddere. Par illa sapiẽtia senatus, Tiberiũ Gracchũ Trib. Pl. Agrariã legẽ promulgare ausum morte multauit. Idem ut secundũ legem eius per Triumuiros ager populo uiritim diuideretur, egregiè cẽsuit. Siquidẽ grauissimæ seditionis eodem tempore & autorem, & causam sustulit. Quàm deinde se prudenter in rege Masinissa gesit? nam cùm promptissima, & fidelissima eius opera aduersus Carthaginienses usus esset, eumq; in dilatando regno auidiorem cerneret, legem ferri iussit, qua Masinissæ ab imperio Pop. Rom. soluta libertatem tribueret: quo facto tum optimè meriti beneuolentiam retinuit, tum Mauritaniæ, & Numidiæ, cæterarumq; illius tractus gẽtium nunquam fida pace quiescentem feritatem, à ualuis suis repulit. Tempus deficiet domestica narrantem: quoniam imperium nostrum non tam robore corporum, quàm animorum uigore incrementum, ac tutelam sui comprehendit, maiori itaque ex parte Romana prudentia in admiratione tacita reponatur, alienigenis'que huius generis exemplis detur aditus.

EXTERNA.

De Socrate Philosopho.

Socrates humanæ sapientiæ quasi quoddam terrest

trestre oraculũ, nihil ultrà petendum à Dijs immortalibus arbitrabatur, quàm ut bona tribuerent: quia ij demũ scirẽt, quid unicuiq; esset utile: nos autem plerunque id uotis expetere, quod non impetrasse melius foret. Etenim densissimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quàm latè patentẽ errorem cæcas precationes tuas spargis: diuitias appetis, quæ multis exitio fuerunt: honores concupiscis, qui complures pessundederunt: regna tecum ipsa uoluis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur: splẽdidis coniugijs iniycis manus, at hæc ut aliquando illustrant, ita nonnũquam funditus domos euertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum causis quasi felicissimis rebus inhiare, teq; totum cœlestiũ arbitrio permitte: quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt. Idem expedita & compendiaria uia eos ad gloriam peruenire dicebat, qui id agerent, ut quales uideri uellent, tales etiam essent: qua quidem prædicatione apertè monebat, ut homines ipsam potius uirtutem haurirent, quàm umbram eius consectarentur. Idem ab adolescentulo quodam consultus, utrum uxorem duceret, an se omnino matrimonio abstineret: Respondit, utrumutrum horum feciisset, actarum pœnitentiã. Hinc te, inquit, solitudo, hinc orbitas, hinc generis interitus, hinc hæres alienus excipiet:

illinc perpetua solicitudo, contextus querelarũ, dotis exprobratio, affiniũ graue supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonij, incertus liberorum euentus. Non passus est inuenẽ in cõtextu verũ asperarũ, quasi latæ materiæ facere delectũ. Idem cùm Atheniensium scelerata dementia tristem de capite eius sententiam tulisset, fortiq; animo, & constanti uultu potionem ueneni è manu carnificis accepisset, admoto iam labris poculo, uxori Xantippæ inter flatum & lamentationẽ nociferanti innocentem cum perimi, Quid ergo? inquit, nocenti mihi mori satius esse duxistis? O immensam illam sapientiam, quæ ne ipso quidem uitæ excessu obliuisci sui potuit!

De Solone.

Agè quàm prudenter Solon neminẽ, dum adhuc uiueret, beatũ dici debere arbitrabatur: quòd ad ultimum usq; fati diem ancipiti fortunæ subiecti essemus. Felicitatis igitur humanæ appellationem rogus cõsummat, qui se incursu malorũ obijcit. Idẽ, cùm ex amicis quẽdam grauiter mœrentẽ uideret, in arcem perduxit, hortatusq; est, ut per omnes subiectorũ ædificiorum partes oculos circunferret: quod ut factum animaduertit, Cogita nunc tecum, inquit, quàm multi luctus sub his tectis & olim fuerint, hodieq; uersentur: insequentibus q; seculis sint habituri, ac mitte mortaliũ incõmoda tanq

tanquam propria deflere: qua consolatione demonstrauit urbes esse humanarũ cladium consepta miseranda. Idem aiebat, si in unum locũ cuncti mala sua contulissent futurum, ut propria deportare domum, quàm ex omni miseriarum aceruo portionem suam ferre mallent: quo colligebat non oportere nos, quæ fortuito patiebamur, præcipuæ, & intolerabilis amaritudinis iudicare.

De Bia Prienensi.

Bias antẽ, cùm patriam eius Prienen hostes inuasissent, omnibus, quos modo sæuitia belli incolumes abire passa fuerat, pretiosarũ rerum pondere onustis fugientibus, interrogatus quid ita nihil ex bonis suis secum ferret? Ego (inquit) uerò bona mea mecum porto. Pectore enim illa gestabat, non humeris: non oculis uisenda, sed æstimanda animo: quæ domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec Deorum manibus labefactari queunt: & ut manentibus præstò sunt, ita fugientes non deserunt.

De Platone Philosopho.

Iam Platonis uerbis adstricta, sed sensu prævalens sententia, qui tum demum beatum terrarum orbem futurum prædicauit, cùm aut sapientes regnare, aut reges sapere cœpissent.

De quodam rege.

Rex etiam ille subtilis iudicij, quẽ ferunt prædium sibi diadema prius quam capiti impone

ret, retentum diu consyderasse, ac dixisse: O nobilem magis, quàm felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat quàm multis solicitudinibus, & periculis, & miseriis sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere uellet.

De Xenocrate Philosopho.

Quid Xenocratis responsum, quam laudabile? cùm maledico sermoni quorundã summo silentio interesset, uno ex his quærente cur solus linguam suam cohiberet, Quia dixisse me, inquit, aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.

De Aristophane.

Aristophanis quoque altioris est prudentiæ præceptum, qui in comœdia introduxit remissum ab inferis Atheniensem Periclem, uatici nantẽ, nõ oportere in urbe nutriri leonẽ: sinauẽ sit alitus, obsequi ei cõuenire. Monet enim, ut præcipuæ nobilitatis, & cõcitati ingenij iuuenes refrænentur: nimio uerò fauore, ac profusa indulgentia pasti, quominus potentiam obtineant, ne impediantur: quòd stultum, & inutile sit eas obtrectare uires, quas ipse foueris.

De Thalete Philosopho.

Mirificè etiam Thales: nam interrogatus, an facta hominum Deos fallerent: Nec cogitata, inquit: ut non solùm manus, sed etiam mentes puras habere uellemus, cùm secretis cogitationibus nostris cœleste numen adesse credidissemus.

De

De Themistocle.

Ac ne quod sequitur quidẽ minus sapiens: unicæ filiæ pater Themistoclem consulebat, utrũ eam pauperi, sed ornato: an locupleti, sed parum probato collocaret. Cui is, Malo, inquit, uirum pecunia: quàm pecuniam uiro indigentem. Quo dicto stultum monuit, ut generum potius, quàm diuitias generi legeret.

De rege Philippo patre Alexandri.

Age Philippi quàm probabilis epistola, in qua Alexandrum, quorundam Macedonum beneuolentiã largitione ad se attrahere conatum, sic increpuit: Quæ te fili ratio in hãc tam uanam spem induxit, ut eos fideles tibi futuros existimares, quos pecunia ad amorem tui compulisses? à charitate istud præstatur. At uerò antè Philippus maiore ex parte mercator Græciæ, quàm uictor.

De Aristotele Philosopho.

Aristoteles autẽ Callisthenẽ auditorẽ suũ ad Alexandrũ mittẽs monuit, ut cum eo aut quàm rarissimè, aut quàm iucundissimè loqueretur: quo scilicet apud regias aures uel silentio tutior, uel sermone esset acceptior. At ille dum Alexandrum Macedonem Persica salutatione gaudentem obiurgat, & ad Macedonicos mores inuitum reuocare beneuole perseuerat, spiritu carere iussus, seram neglecti salubris consilij pœnitentiam egit. Idem Aristo

teles de semetipso in neutram partem loqui debere prædicabat: quoniam laudare se, uani: uituperare, stulti esset. Eiusdem est utilissimum præceptum, ut uoluptates abeuntes consyderemus, quas quidem sic ostendendo minuit: fessas enim, pœnitentiæq; plenas animis nostris subiicit, quo minus cupidè repetantur.

De Anaxagora Philosopho.

Nec parum prudenter Anaxagoras interroganti cuidam, quisnam esset beatus: Nemo, inquit, ex ijs, quos tu felices existimas: sed cum in eo numero reperies, qui à te ex miserijs constare creditur, non erit ille diuitijs, & honoribus abundans: sed aut exigui ruris, aut nõ ambitiosæ doctrinæ fidelis, ac pertinax cultor, in secessu, quàm in fronte beatior.

De Demade.

Demadis quoque dictum sapiens: nolentibus enim Athenienſibus diuinos honores Alexandro decernere, Videte (inquit) ne dum cœlum custoditis, terram amittatis.

De Anacharsi.

Quàm porrò subtiliter Anacharsis leges aranearum telis comparabat: nam ut illis infirmiora animalia retineri, ualentiora transmitti: ita his humiles, & pauperes constringi, diuites & prapotentes non alligari.

De Agesilao.

Nihil etiã Agesilai facto sapientius: siquidem cùm aduersus Rempublicam Lacedæmoniorum conspirationem ortam noctu comperisset, leges Lycurgi continuò abrogauit, quæ de indemnatis supplicium sumi uetabant: comprehensis autem, & interfectis sontibus, eadem uestigio restituit: atq; utrunq; simul prouidit, ne salutaris animaduersio uel iniusta esset, uel iure impediretur: itaq; ut semper esse possent, aliquando non fuerunt.

De Hannone.

Sed nescio an Hannonis excellentissimæ prudentiæ consilium. Magone enim Cannensis pugnæ exitum Senatui Pœnorum nuntiante, inq; tanti successus fidem anulos aureos trium modiorum mensuram explentes fundente, qui interfectis nostris ciuibus detracti erant: quæsiuit, an aliquis sociorum post tantam cladem à Romanis defeciſſet: atque ut audiuit, neminem ad Annibalem transisse, suasit, ut protinus legati Romam, per quos de pace ageretur, mitterentur: cuius si sententia ualuisset, neque secundo Punico bello deuicta Carthago, neque tertio deleta foret.

De Herennio Pontio Samnite.

Ne Samnites quidem paruas pœnas cõsimilis erroris pependerunt, quòd Herennij Pontij salutare consilium neglexerunt: qui autoritate, & prudentia cæteros præstans, ab exercitu, & duce eius filio suo consultus, quidnam fieri de leg

de legionibus Romanis apud Furcas Caudinas inclusis deberet, inuiolatas dimittendas respondit. Postero die eadem de re interrogatus, delevi eas oportere dixit : ut aut maximo beneficio gratia hostium emeretur, aut grauissima iactura uires confringerentur : sed improuida temeritas uictorum, dum utranq; partem spernit utilitatis, sub iugum missas in perniciem suam accendit. Multis, & magnis sapientiæ exemplis paruulum adiciam.

De Cretensibus.

Cretenses cùm acerbissima execratione aduersus eos, quos uehementer oderunt, uti uolunt, ut mala consuetudine delectentur, optant: modestóque uoti genere efficacissimum ultionis euentum reperiunt. Inutiliter enim aliquid concupiscere, & in eo perseueranter morari, exitio ea dulcedo uicina est.

VAFRE DICTA, AVT FACTA. CAPVT III.

Est aliud factorum, dictorumq; genus à sapientia proximo deflexu, ad Vafri nomẽ progressum: quod nisi fallacia uires assumpserit, fidem propositi non inuenit : laudemque occulto magis tramite, quàm aperta uia petit.

De quodam antistite Rom.

Seruio Tullo regnãte cuidã patrifamiliæ in agro Sabino præcipuæ magnitudinis, & eximiæ formæ uacca nata est, quã oraculorũ certissimi

tissimi autores in hoc à Dijs immortalibus edita responderunt, ut quisquis eam Auentinensi Dianæ immolasset, eius patria totius terrarum orbis imperiũ obtineret. Latus eo dominus, bouem cum summa festinatione Romam actam, mactandam in Auentino ante aram Dianæ cõstituit, sacrificio Sabinis regimẽ humani generis daturus: de qua re Anuistes tẽpli certior factus, religionẽ hospiti intulit, ne prius uictimã cæderet, quàm proxima se aqua abluisset: eoq; alueum Tyberis petente uaccam ipse immolauit, & urbem nostram tot ciuitatum, tot gentium dominam, pio sacrificij furto reddidit.

De Iunio Bruto.

Quo in genere acuminis in primis Iunius Brutus referẽdus: nam cùm à rege Tarquinio auunculo suo omnẽ nobilitatis indolem excerpi, interq; cæteros etiam fratrem suũ, quòd uegetioris ingenij erat, interfectum animaduerteret, obtusi se cordis esse simulauit, eaq; fallacia maximas uirtutes suas texit. Profectus etiam Delphos cũ Tarquinij filijs, quos is ad Apollinem Pythiũ muneribus, sacrificijsq; honorãdum miserat, aurum deo nomine doni clàm cauato baculo inclusum tulit: quia timebat, ne sibi cœlestẽ numen aperta liberalitate uenerari tutiũ non esset. Peractis deinde mandatis patris, Apollinem iuuenes consuluerunt, quisnam ex ipsis Romæ regnaturus uideretur. At is penes

eum

cum summã urbis nostræ potestatẽ futuram respondit, qui ante omnes matri osculum dedisset. Tunc Brutus, perinde atq; casu prolapsus, de industria se abiecit, terramq; cõmunem omnium matrem existimans, osculatus est: quod tam uafre telluri impressum osculum, urbi libertatem, Bruto primum in fastis locum tribuit.

De Scipione superiore.

Scipio quoq; superior præsidium calliditatis amplexus est. Ex Sicilia enim petens Africã, cùm ex fortissimis pedituibus Romanis trecentorum equitum numerum implere uellet, nequam subitò posset eos instruere, quòd temporis angustiæ negabant, sagacitate consilij effecerus est: nanq; ex ijs iuuenibus, quos secum ex tota Sicilia nobilissimos, & ditissimos, sed inermes habebat, ad se uocatos trecentos speciosa arma, & electos equos quàm celerrimè expedire iussit, uelut eos continuò secum ad oppugnandam Carthaginem aduecturus: qui cùm imperio ut celeriter, ita longinqui, & periculosi belli respectu solicitis animis parussent, remittere sese Scipio illam expeditionem, si arma, & equos militibus suis tradere noluissent, edixit: rapuit cõditionẽ imbellis, ac timida iuuentus, instrumentoq; suo cupide nostris cessit. Ergo calliditas ducis prouidit, ut si quod protinus imperaretur, graue prius, deinde remisso militiæ metu maximum beneficiũ fieret. Quod sequitur narrandum quoq; est.

De Q. Fabio Labeone.

Quintus Fabius Labeo arbiter à Senatu finium constituẽdorum inter Nolanos, & Neapolitanos datus: cùm in rem præsentem uenisset, utrosq; separatim monuit, ut omissa cupiditate, regredi controuersia, quàm progredi mallent: idq; cùm utraque pars autoritate uiri mota fecisset, aliquantum uacui in medio agri relictum est: constitutis deinde finibus ut ipsi terminauerant, quicquid reliqui soli fuit, pop. Rom. adiudicauit. Cæterùm etsi sic circumuenti Nolani ac Neapolitani queri nihil potuerunt, secundum ipsorum demonstrationem dicta sententia, improbo tamen præstigiorum genere nouum ciuitati nostræ uectigal accessit. Eundem ferunt cùm à rege Antiocho, quem bello superauerat, ex fœdere icto, dimidiam partem nauium accipere deberet, medias omnes secuisse, ut eum tota classe priuaret.

De M. Antonio.

Nam Marco Antonio remittẽdum conuitiũ est: qui idcirco se aiebat nullam orationem scripsisse, ut siquid superiore iudicio actum, ei quem poslea defensurus esset, nociturum foret, non dictum à se affirmare posset: qui facti uix prudentis, tolerabilem causam habuit. pro pericliranriũ enim capite non solùm eloquentia sua uti sed etiã uerecundia abuti erat paratus.

De

De Sertorio.

Sertorius uerò corporis robore, atque animi consilio parem naturæ indulgentiam expertus: proscriptione Syllana dux Lusitanorum fieri coactus, cùm eos oratione flectere non posset, ne cum Romanis uniuersa acie confligere uellent, uafro consilio ad suam sententiam perduxit: duos enim in conspectu eorum constituit equos, alterum ualidissimum, alterum infirmissimum: ac deinde ualidi caudam ab imbecillo sene paulatim carpi, infirmi à iuuene eximiarum uirium uniuersam conuelli iussit: obtemperatum imperio est. Sed dum adolescētis dextra irrito se labore fatigat, senio confecta manus ministerium executa est: tunc barbaræ cōcioni, quorsum ea res tenderet cognoscere cupienti, subiecit: equi caudæ consimilem esse nostrum exercitum, cuius partes aliquis aggrediens opprimere posit: uniuersum conatus prosternere, celerius tradiderit uictoriam, quàm occupauerit. Ita gens barbara, & aspera, & regi difficilis, in exitium suum ruens, quam utilitatem auribus respuerat, oculis peruidit.

De Fabio Maximo.

Fabius autem Maximus, cuius non dimicare, uincere fuit: cùm præcipuæ fortitudinis Nolanum peditem dubia fide suspectum, & strenuæ operæ Lucanum equitem amore scorti deperditum in castris haberet: ut utroque potius

tius bono milite uteretur, quàm in utrunq; animaduerteret, alteri suspicionem suam dissimulauit, in alterum disciplinam paululum à recto tenore deflexit: nanq; illum plenè pro Tribunali laudando, omniq; genere honoris prosequendo, animum suum à Pœnis ad Romanos coëgit reuocare: & hunc clàm meretricem redimere passus paratissimum pro nobis excursorem reddidit.

De M. Volusio Aedile.

Veniam nunc ad eos, quibus salus astutiæ quæsita est. M. Volusius ædilis plebis proscriptus assumpto Isiaci habitu, per itinera, uiasq; publicas stipem petens, quisnam re uera esset, occurrentes dignoscere passus non est: eoq; fallaciæ genere tectus, in M. Bruti castra peruenit. Quid illa necessitate miserius, quæ magistratum pop. Rom. abiecto honoris prætextu, alienigenæ religionis obscuratum insignibus, per urbem iussit incedere? Omnes autē hi suæ uitæ, aut illi alienæ mortis cupidi, qui talia uel ipsi sustinuerunt, uel alios perpeti coëgerunt.

De Saturnino Vetulione.

Aliquanto speciosius sententijs Saturnini Vetulionis in eodem genere casus, ultimæ sortis auxilium: Qui cùm à triumuiris inter proscriptos nomen suum propositum audisset, continuo præturæ insignia inuasit: præcedētibusq; in modum lictorum, & apparitorum publicorū ser-

uis subornatis, uehicula comprehendit, hospitia occupauit, obuios summouit, ac tam audaci usurpatione imperij, in maxima luce densissimas hostilibus oculis tenebras offudit. Idem ut Puteolos uenit, perinde ut publicum ministerium agens, summa cum licentia correptis nauibus in Siciliam, certissimum tunc proscriptorum profugium penetrauit. His uno adiecto ciuoris notæ exemplo, ad externa reuertar.

De amore cuiusdam patris in filium.

Amantissimus quidam filij, cùm eum inconcessis ac periculosis facibus accensum, ac insana cupiditate pater inhibere uellet, salubri consilio patriam indulgentiam temperauit: petijt enim ut prius, quàm ad eam, quam diligebat, iret, uulgari ac permissa uenere uteretur: cuius precibus obsecutus adolescens, infelicis animi impetum satietate licentis concubitus resolutum, ad id quod non licebat tardiorem pigrioremq; afferens, paulatim deposuit.

EXTERNA.

De quodam Asinario.

Cùm Alexander Macedonũ rex sorte monitus, ut eum qui sibi porta egresso primus occurrisset, interfici iuberet, Asinarium forte sibi obuiam factũ, ad mortẽ arripi imperauit: eoq; quærente quidnã se immerentẽ capitali supplicio, innocentemq; addiceret, cùm ad excusandũ factum suum oraculi præceptum retulisset: Asina

Asinarius, Si ita est, inquit, rex, aliũ sors huic morti destinauit: nam asellus, quẽ ego ante me agebã, prior tibi occurrit. Delectatus Alexãder & illius tam callido dicto, & quòd ab errore ipse reuocatus erat, occasionẽ in aliquanto uiliore animali expiandæ religionis rapuit: summa in hoc cũ calliditate mansuetudo: summa quoq; in alterius regis Equisone calliditas.

De Dario rege.

Sordida Magorum dominatione Persidi oppressa, Darius Rex adiutoribus eiusdem dignitatis assumptis, pactum cum præclari operis consortibus fecit, ut equis insidẽtes, Solis ortu, cursum in quendam locum dirigerent, isq; regno potiretur, cuius equus in eo primus hinnisset. cæterum maximè mercedis competitoribus fortunæ beneficium expectantibus, solus acumine Equisonis sui Ebaris prosperum exoptatæ rei effectum assecutus est: qui in equæ genitalem partem demissam manum, cùm ad eum locum uentum esset, naribus equi admouit: quo odore irritatus, ante omnes hinnitum edidit: auditoq; eo, sex reliqui summæ potestatis continuo equis delapsi, candidati (ut est mos Persarum) humi prostratis corporibus Darium regem salutauerũt. Quantum imperium, quam paruo interceptum est uaframento!

De Bia Prienensi.

Bias autem, cuius sapientia diuturnior inter

homines est, quàm patria Priene fuit (siquidem hic etiam nunc spirat, illius perinde atq; extinctæ uestigia tantummodo extant) ita aiebat oportere homines in usu amicitiæ uersari, ut meminissent eam ad grauissimas inimicitias posse conuerti. Quod quidem præceptum prima specie nimis sortasse callidum uideatur, inimicumq; simplicitati, qua præcipuè familiaritas gaudet: sed si altioribus animis cogitatio demissa fuerit, perquàm utile reperietur.

De Anaximene præceptore Alexandri.

Lampsacena uerò urbis salus unius uaframenti beneficio constitit: nam cùm ad excidiũ eius summo studio Alexander ferretur, progressumq; extra mœnia Anaximenem præceptorem suum uidisset, quia manifestũ erat, sciturum, ut preces suas iræ eius opponeret, non sclerũ se quod petisset, iurauit. Tunc Anaximenes, Peto, inquit, ut Lampsacũ diruas. hæc uelocitas sagacitatis oppidũ uetusta nobilitate inclytum exitio, cui destinatum erat, subtraxit.

De Demosthene.

Demosthenis quoq; astutia mirificè cuidam ancillæ succurrsum est, quæ pecuniã depositi nomine à duobus hospitibus acceperat, ea conditione, ut illam simul utriq; redderet: quorũ alter interfecto tẽpore tanquã mortuo socio squalore obsitus, deceptæ omnes nummos abstulit: superuenit deinde alter, & depositũ petere cœpit, hærebat

hærebat misera in maxima pariter & pecuniæ, & defensionis penuria. Iamq; de laqueo, & suspendio cogitabat: sed opportunè Demosthenes ei patronus affuit: qui ut in aduocationem uenit, Mulier, inquit, parata est depositi fidẽ soluere, sed nisi socium adduxeris, id facere non potest: quoniã, ut ipse uociferaris, hæc dicta est lex, ne pecunia alteri sine altero numeretur.

De quodam uiro Atheniensi.

Ac ne illud parũ quidem prudẽter: quidam Athenis uniuerso populo inuisus, causam apud eum capitali crimine dicturus, maximum honorem subito petere cœpit, non quòd sperarce se illum consequi posse, sed ut haberent homines, ubi procursum iræ, qui acerrimus esse solet, effunderent: neq; eum tam callidi consilij ratio fefellit. comitij enim clamore infesto, & crebris totius concionis sibilis uexatus, nota etiam denegati honoris perstrictus, eiusdem plebis paulò pòst in discrimine uitæ clemẽtissima suffragia expertus est. Quòd si adhuc ei ultionem sitienti, capitis sui periculum obiecisset, nullam partem defensionis odio obseratæ aures recipe-rent. Huic uaframento cõsimilis illa calliditas.

De Annibale.

Annibal à Duillio Cõsule nauali prælio uictus, timẽsq; classis amissæ pœnas dare, offensam astutia mirè auertit: nã ex illa infelici pugna priq; q; cladis nũtius domũ perueniret, quẽ-

dam ex amicis cõpositum & ornatũ, Carthaginem misit: qui postquam ciuitatis eius curiã intrauit: Consulit, inquit, uos Annibal, cùm dux Romanorũ magnas secũ maritimas trahens copias aduenerit, an cum eo cõfligere debeat: acclamauit uniuersus senatus, nõ esse dubiũ, quin oporteret. tũ ille: Cõflixit, inquit, et superatus est. Ita liberũ his nõ reliquit id factum damnare, quod ipsi fieri debuisse indicauerãt.

De eodem.

Itidem Annibal Fabium Maximũ inuictã armorum suorũ uim saluberrimis cunctationibus pugnæ ludificantem, ut aliqua suspicione urahendi belli respergeret, totius Italiæ agros ferro, atque igni uastando, unius eius fundum immunem ab hoc iniuriæ genere reliquit. Profecisset aliquid tanti beneficij insidiosa adumbratio eius, nisi Romanæ urbi & Fabij pietas, & Annibalis uasti mores fuissent notissimi.

De Tusculanis.

Tusculanis etiã acumine consilij incolumitas parta est: cùm enim crebris rebellationibus meruissent, ut eorum urbem funditus Romani euertere uellent, atq; ad id exequẽdum Furius Camillus, maximus dux, ualidissimo instructus exercitu uenisset: uniuersi ei togati obuiã processerũt, cõmeatusq;, & cætera pacis munia benignissimè præstiterunt: armatũ etiã intrare mœnia passi sunt, nec ullu, nec habitu mutato

mutato: quæ cõstantia trãquillitatis non solum ad amicitiæ nostræ ius, sed etiã ad cõmunionẽ ciuitatis usq; penetrauerũt. Sagaci hercule usi simplicitate, quoniã apertius esse intellexerant metum officijs dissimulare, q̃ armis protegere.

De Tullo duce Volscorum.

At Volscorũ ducis Tulli execrabile consilium, qui ad bellum inferendum Romanis maxima cupiditate accensus, cùm aliquot aduersis præliis contusos animos suorũ, & ob id paci proniores animaduerteret insidiosa ratione, quò uolebat, cõpulit: nam cùm spectandorum ludorum gratia magna Volscorum multitudo Romam cõuenisset, Consulibus dixit, uehementer se timere, nequid hostile subito molirentur: monuitq;, ut essent cautiores, et protinus ipse urbe egressus est. Quam rem Consules ad Senatum retulerunt, qui tametsi nulla suspicio suberat, autoritate tamen Tulli commotus, ut ante nostem Volsci abirent, decreuit: quæ contumelia irritati facilè impelli potuerunt ad rebellandum. Ita mendacium uersuti ducis, simulatione beneuolentiæ inuolutum, duos simul populos fefellit: Romanum, ut insontes notaret: Volscum, ut deceptis irasceretur.

DE STRATAGEMATIS.

CAPVT IIII.

Ista uerò calliditas egregia, & ab omni prorsus reprehensione procul remota, cuius

opera, quia appellatione nostra uix aptè exprimi possunt, Græca pronuntiatione Stratagemata dicantur.

De Tullo Hostilio.

Omnibus militaribus copijs Tullo Hostilio Fidenas aggresso, quæ surgentis imperij nostri incunabula crebris rebellationib⁹ torpere passa nõ sunt, finitimisq; trophæis, ac triumphis alitam uirtutẽ eius, spes suas promouere ulterius docuerunt: Metius Suffetius dux Albanorũ, dubiam & suspectam semper societatis suæ fidem repentè in ipsa acie detexit: detecto enim Romani exercitus latere, in proximo collẽ cõsedit, pro adiutore speculator pugnæ futurus, ut aut uictis insultaret, aut uictores fessos aggrederetur. non erat dubium quin ea res militũ nostrorum animos debilitatura esset, cùm eodem tempore & hostes confligere, & auxilia deficere cernerẽt. Itaq; ne id fieret, Tullus prouidit: concitato enim equo pugnantium globos præcurrit, prædicans suo iussu successisse Metium, eumq;, cùm ipse signum dedisset, inuasurum Fidenatium terga: quo imperatoriæ artis cõsilio metum fiducia mutauit, procq; trepidatione, alacritate suorum pectora replenit.

De Sexto Tarquinio.

At ne continuò à nostris regibus recedamus, Sextus Tarquinius Tarquinij filius indignè ferens, quòd patris uiribus expugnari Gabij

Gabij nequirent, ualentiorem armis excogitauit rationem, quâ interceptũ id oppidum Romano imperio adiceret. Subitò nãq; se ad Gabios contulit, tanquam parentis sæuitiam, & uerbera, quæ uoluntate sua perpessus erat, fugiens: at paulatim uniuscuiusq; fictis, & compositis blandicijs alliciendo benenolentiam, ut apud omnes plurimum posset cõsecutus, familiarem suum ad patrem misit, indicaturũ quẽadmodũ cuncta in sua manu haberet, & quæsiturum quidnam fieri uellet. Iuuenili calliditati senilis astutia respondit. Siquidem re eximiã delectatus Tarquinius, fidei autẽ nuntij parum credens, nihil respondit, sed ducto eo in hortum, maxima & altissima papaueriũ capita baculo decussit. Cognito adolescens silentio patris, simul ac facto, causam altius argumẽti peruidit: nec ignorauit præcipi sibi, ut excellentissimum quenq; Gabinorũ, aut exilio summoueret, aut morte consumeret. ergo spoliatam bonis propugnatoribus ciuitatem tantum non uinctis manibus ei tradidit.

De Romanis.

Illud quoq; à maioribus, & cõsilio prudenter, & exitu feliciter prouisum: cùm enim urbe capta Galli Capitoliũ obsiderent, solamq; potiendi eius spem in fame eorum repositam animaduerterent, perquam callido genere consilij Romani usi, unico perseuerantiæ irritamẽto uictores

ctores ſpoliauerunt: panes enim iacere cõpluribus ex locis cœperunt. Quo ſpectaculo obſtupefacti, infinitamq; frumenti abundantiã noſtris ſupereſſe credentes, ad pactionẽ omittendæ obſidionis cõpulerunt. Miſertus eſt tunc profectò Iupiter Romanæ uirtutis, præſidiũ ab aſſiduia mutuantis, cùm ſumma alimentorũ inopia, proïjci præſidia inopiæ cerneret: igitur ut uafro, ita periculoſo conſilio ſalutarem exitũ dedit. Idem Iupiter poſtea præſtantiſſimorũ ducum noſtrorũ ſagacibus cõſilijs propitius aſſiruit: nam cùm alterũ Italiæ latus Annibal laceraret, alterũ inuaſiſſet Haſdrubal, ne uorum fratrũ iunctæ copiæ intolerabili onere feſſas ſimul res noſtras urgerẽt, hinc Claudij Neronis uegetum conſilium, illinc Liuij Salinatoris inclyta prouidentia effecit. Nero enim cõpreſſo à ſe in Lucanis Annibale, præſentiam ſuam, quoniã ita ratio belli deſiderabat, mentitus hoſti, ad opem ferendam collegæ per longum iter celeritate mira tetendit. Salinator in Vmbria apud Metaurũ flumen proximo die dimicaturus, ſumma cum diſſimulatione Neronem caſtris noctu recepit: tribunos enim à tribunis, centuriones à centurionibus, equites ab equitibus, pedites à peditibus excipi iuſſit, ac ſine ulla tumultuatione, ſolo uix unũ exercitũ capiẽte, alterũ inſeruit: quo euenit, ne Haſdrubal cùm duobus ſe Conſulibus prælaturũ priuſ

ſciret, q̃ utriuſq; uirtute proſterneretur. Ita illa toto terrarũ orbe in famis Punica calliditas, Romana eluſa prudẽtia, Annibalem Neroni, Haſdrubalem Salinatori decipiendũ tradidit.

De Q. Metello Conſule.

Memorabilis etiã conſilij Quintus Metellus, qui cùm Procõſul bellum in Hiſpania aduerſus Celtiberos gereret, urbemq; Trebiã caput eius gentis uiribus expugnare non poſſet, intra pectus ſuũ multum, ac diu conſilijs agitatis uiam reperit, qua propoſitũ ad exitũ perduceret. Itinera magno impetu ingrediebatur, deinde alias atque alias regiones petebat: hos obſidebat montes, paulò poſt ad illos tranſgrediebatur: cùm interim tam ſuis omnibus, quàm ipſis hoſtib⁹ ignota erat cauſa inopinatæ eius, ac ſubitæ fluctuationis. Interrogatus quoque à quodã amiciſſimo ſibi, quid ita ſparſum, et incertũ militiæ genus ſequeretur: Abſiſte, inquit, iſtud quærere: nam ſi huius cõſilij mei interiorẽ tunicam conſciã eſſe ſenſero, continuò eam euellam iubebo. Quorſum igitur ea diſſimulatio erupit? aut quẽ finem habuit? Poſtquã uerò, et exercitũ ſuum ignorantia, & totam Celtiberiã errore implicauit, cùm aliò curſum direxiſſet, ſubitò ad Trebiã reflexit, eamq; inopinatã & attonitam oppreſſit. ergo niſi mentem ſuã dolos ſcrutari coëgiſſet, ad ultimam ei ſenectutem apud mœnia Trebiæ armato ſedendum foret.

EXTER

EXTERNA.

De Agathocle rege Syracusarum.

Agathocles autẽ Syracusarum Rex audaciter callidus.cùm enim urbem eius maiore ex parte Carthaginienses occupassent,exercitum suum in Africam traiecit:ut metũ metu,uim ui discuteret.neque sine effectu:nam repentino eius aduentu perculsi Pœni,libenter incolumitatem suam salute hostiũ redemerunt:pactiq; sunt,ut eodem tempore,& Africa Siculis,& Sicilia Punicis armis liberaretur. Agathocles autem Syracusarum mœnia si tueri perseuerasset,illa belli mala urgerentur:bona pacis fruenda,securæ Carthagini reliquisset:nunc inferendo,quæ patiebatur,dum alienas potius lacessit opes, quàm suas tuetur,quò æquiore animo regnum deseruit,eò tutius recepit.

De Annibale.

Quid Annibal Carnensem populi Romani aciem speculatus?non'ne,prius quàm ad dimicandum descenderet,cõplurib⁹ æstuiæ cõplicatam laqueis,ad tam miserabilem perduxit exitiũ?ante omnia enim prouidit,ut & solem,& puluerem,qui ibi uento multus excitari solet,aduersum haberet : deinde partem copiarũ suarum,inter ipsum prælij tempus de industria fugere iussit:quam cùm à reliquo exercitu abruptam legio Romana sequeretur, trucidandam eam ab ijs,quos in insidijs collocauerat, curauit.

curauit.Postremò quadringentos equites subornauit,qui simulata transitione petierũt Consulem,à quo iussi more transfugarũ depositis armis in ultimam pugnæ partem secedere,districtis gladijs,quos inter tunicas,& loricas abdiderant,poplites pugnantiũ Romanorũ ceciderunt.Hæc fuit Punica fortitudo, dolis,& insidijs,& fallacia instructa. Quæ nunc certissima circumuentæ uirtutis nostræ excusatio est:quoniam decepti magis,quàm uicti sumus.

DE REPVLSIS. CAP. V.

Campi quoq; repræsentata conditio,ambitiosam ingredientes uiam, ad fortius sustinẽdos parum prosperos comitiorũ euentus utiliter instruxerit:quia propositis ante oculos clarissimorum uirorum repulsis,ut non minore cum spe honoris,ita prudẽtiore cum animi iudicio petent:meminerintq;,nefas non esse,aliquid ab omnibus uni negari,cùm sæpenumero singuli cunctorum uoluntatibus resistere fas esse duxerint:scientes etiam,patiẽtia quæri debere,quòd gratia impetrari nequierit.

De Q.Aelio Tuberone.

Quintus Aelius Tubero,à Q.Fabio Maximo,epulum populo Romano nomine P.Africani patrui sui dante,rogatus,ut triclinio sterneret:lectulos Punicanos pellibus hœdinis strauit : & pro argenteis uasis Samia exposuit: cuius rei deformitas sic omnes offendit:ut cùm alioqui

alioqui uir egregius haberetur, comitijsq; Prætorijs cãdidatus in campũ L. Paulo auo, et P. Africano auunculo nixus descẽdisset, repulsa inde abiret notatus. Nam ut priuatim semper continentiam probabant, ita publicè maximæ curæ splendoris habita est: quocirca urbs nostra non unius conuiuij numerum, sed totum se in illis pelliculis iacuisse credens, ruborem epuli suffragijs suis uindicauit.

De P. Scipione Nasica.

P. autem Scipio Nasica, togatæ potẽtiæ clarum lumen, is qui Consul Iugurthæ bellum indixit, qui matrem Idæam è Phrygijs sedibus, ad nostras aras, focosq; migrantem sanctissimis manib⁹ excepit: qui multas, & pestiferas seditiones autoritatis suæ robore oppressit: quo principe Senatus aliquot annos gloriatus est: cùm ædilitatẽ curulem adolescens peteret, manumq; cuiusdam rustico opere duratam, more candidatorum tenacius apprehendisset, ioci gratia interrogauit eum, num manibus solitus esset ambulare. Quod dictum à circumstantibus exceptũ, ad populum manauit, causamq; repulsæ Scipioni attulit: omnes nanq; rusticæ tribus paupertatem sibi ab eo exprobratã iudicantes, iram suam aduersus contumeliosam eius urbanitatem distrinxerunt. Igitur ciuitas nostra nobilium iuuenum ingenia ab insolentia reuocãdo, magnos & utiles ciues fecit, honoribus

noribusq; non patiendo eos à scurris peti, debitum autoritatis pondus adiecit.

De L. Aemilio Paulo.

Nullus error talis in L. Aemilio Paulo conspectus est: sed tamen aliquoties frustra Cõsulatum petijt. Idemq;, cùm iam campum repulsis suis fatigasset, bis Consul & Censor factus est, amplissimum etiam dignitatis gradum obtinuit: cuius uirtutem iniuriæ nõ fregerunt, sed acuerunt: quoniam quidem nota ipsa accensam cupiditatem summi honoris ardentiorem ad comitia detulit: ut populum, quẽ nobilitatis splendore, & animi bonis mouere non potuerat, pertinacia uinceret.

De Q. Cæcilio Metello.

Q. autẽ Cæciliũ Metellum pauci, & mœsti amici, consulatus repulsa afflictum, tristitia, ac rubore plenum, domum reduxerũt: eundem de Pseudophilippo triumphantẽ uniuersus Senatus lætum, & alacrem in Capitolium prosecutus est. Achaici etiam belli, cui summã manum L. Mumius adiecit, maxima pars ab hoc uiro profligata est. Ei'ne ergo populus Consulatum negare potuit, cui mox duas clarissimas prouincias aut daturus erat, aut debiturus, Achaiam, & Macedoniam? & quidem hoc facto, meliore eo ciue usus est: intellexit enim quàm industriè sibi gerendus esset Consulatus, quem tanto labore impetrari senserat.

De L.

De L. Sylla.

Quid tam excellens, quid tam opulentum, quàm L. Sylla? diuitias & imperia largitus est: leges uetustas abrogauit, nouas tulit: hic quoq; in eodem campo, cuius postea dominus extitit, repulsa Prætura fugillatus est: omnia loca petiti honoris. si quis modo Deorum formam & imaginem futuræ eius potentiæ populo Rom. repræsentasset, impetraturus.

De M. Porcio Catone.

Sed ut comitiorum maximum crimen referam, M. Porcius Cato plus moribus suis Prætura decoris adiecturus, quàm prætexta eius splendoris ipse laturus, consequi illam à populo aliquãdo nõ potuit. Proxima dementiæ suffragia, quæ quidem satis graues pœnas errouis sui pependerunt: quoniam quem honorem Catoni negauerãt, Vatinio dare coacti sunt. Ergo si uerè æstimare uolumus, non Catoni tunc Prætura, sed Prætura Cato negatus est.

DE NECESSITATE.

CAPVT VI.

Abominandæ quoq; necessitatis amarissimæ leges & truculentissima imperia, tum urbem nostram, tum etiam exteras gentes multa non intellectu tantum sed etiam auditu grauia, perpeti coëgerũt. Nam aliquot aduersis prælijs secundo Punico bello exhausta militari iuuentute Romana, Senatus autore Tib. Grac

Graccho Consule censuit, uti publicè serui aduersus propulsandorũ hostiũ impetũ emerẽtur: eaq; de re per Trib. Ple. apud populũ lata rogatione, tres creati sunt uiri, qui quatuor et uiginti millia seruorũ cõparauerunt: adactosq; iureiurãdo strenuã se fortemq; operã daturos, quoad Pœni essent in Italia, datis armis in castra miserunt. Ex Apulia etiã & à Fidiculis septuaginta, atq; ducenti ad supplemẽtum equitatus sunt empti. Quanta uiolentia est casus acerbi? Quæ ciuitas ad id tempus ingenuæ quoque originis capite censos habere mili-tes fastidierat, eadem cellis seruilibus extracta corpora, et à pastoralibus casis collecta mancipia, uelut præcipuũ firmamẽtũ, exercitui suo adiecit. Cedit ergo interdũ generosus spiritus utilitati, et fortunæ uiribus succũbit: ubi nisi tutiorã cõsilia legeris, speciosa sequẽti cõcedendum est.

De ciuitate Romana.

Cannensis autem clades adeò urbem nostrã uehemẽter contudit, ut opera M. Iunij dictaturam Reip. administrantis spolia hostiũ affixa templis, Deorum numini consecrata instrumenta militiæ futura conuellerentur, ac prætextati pueri arma induerẽt: adiudicatorũ etiã, & capitali crimine damnatorum, sex millia conscriberentur: quæ si per se aspiciantur, aliquid roboris habeant: sinautem admotis necessitatis uiribus ponderentur, sæuitiæ temporis

conuenientia præsidia uideantur.

De eadem ciuitate.

Propter eandem cladem Senatus Octacilio, qui Siciliæ, Cornelio Mammulæ, qui Sardiniæ Proprætores obtinebant, quercentibus quòd neque stipendium, neq; frumentum classibus eorum, & exercitibus socij præberent: affirmantibus etiã ne habere quidẽ eos, unde id præstare possent, rescripsit, ærariũ longinquis expensis non sufficere: proinde, quo pacto tãtæ inopiæ succurrendũ esset, ipsi uiderent. His literis quid aliud, quàm imperij sui gubernacula è manibus abiecit? Siciliamq;, & Sardiniam benignissimas urbes nostræ nutrices, gradus, & stabilimenta bellorum, tam multo sudore, & sanguine in potestatem redactas, paucis uerbis, ita scilicet necessitate iubente, dimisit.

De Casilinatibus.

Eadem Casilinates obsidione Annibalis clausos, alimentorumq; facultate defectos, lora necessarijs uinculorum usibus subducta, e'que scutis detractas pelles feruẽti resolutas aquamãdere uoluisti. Quid illis, si acerbitatẽ casus intueare, miserius? si constantiã respicias, fidelius? qui, ne à Romanis desciscerẽt, tali uti cibi genere sustinuerũt, cùm pinguissima arua, fertilissimosq; cãpos mœnib⁹ suis subiectos intuerẽtur. Itaq; Cãpanæ urbis, quæ Punicã feritatẽ delitijs suis cupida sonit, in propinquo situ Casilinum moderatũ uirtute clarũ perseuerantis amicitiæ pignore, impios oculos uerberauit.

De Prænestinis.

In illa obsidione & fide cùm trecenti Prænestini permanerent, euenit, ut ex his quidam murem captum ducentis potius denarijs uendere, quàm ipse leniendæ famis gratia consumere mallet. Sed credo Deorum prouidentiæ effectum, ut & uẽditori, & emptori, quẽ uterque merebatur, exitũ attribuerit. Nuaro enim fame consumpto, manubijs sordium suarũ frui non licuit: æqui animi uir, ad salutarem impensam faciendam, carè quidem, uerùm necessariè comparato cibo uixit.

De ciuitate Romana.

C. autem Mario & Cn. Carbone Consulibus, bello ciuili cum L. Sylla dissidentibus, quo tẽpore non Reip. uictoria quærebatur, sed præmium uictoriæ res erat publica, senatusconsulto aurea atq; argentea templorũ ornamẽta, ne militibus stipendia deessent, conflata sunt. digna enim causa erat, hi ne, an illi crudelitatem suam proscriptione ciuium satiarent, ut Dij immortales spoliarentur. non ergo P. conscriptorũ uoluntas, sed teterrimæ necessitatis truculenta manus illi consulto stylum suum impressit.

De diuo Iulio.

Diui Iulij exercitus, id est, inuicti ducis inuicta dextera cùm armis Mundam clausisset,

aggeriq; extruendo materia deficeret: congeriæ hostilium cadauerum, quam desiderauerat altitudinem, instruxit: eamq; tragulis, & pilis, quia roboreæ sudes deerant, magistra nouæ molitionis necessitate usus uallauit.

De Diuo Augusto.

Atque ut diuinam filij mentionem, cœlestis patris recordationi subnectã: cùm effusurus se in nostras prouincias Parthorũ rex Phraates uideretur, uicinæq; imperio eius regiones subita inducti tumultus denuntiatione quaterentur: tanta in Bosphorano tractu commeatus penuria incessit, ut sex millibus denarijs singula uasa olei, frumentiq; modijs totidem mancipia permutarentur: sed amarissimam tempestatem Augusti cura, tutelæ tunc terrarum uacans dispulit.

EXTERNA. De Cretensibus.

Cretẽsibus nihil tale præsidij affulsit: qui obsidione Metelli ad ultimam usq; penuriã compulsi, sua iumentorumq; suorum urina sitim torserunt, iustius dixerim, quàm sustentauerunt: quia dum uinci timent, id passi sunt, quod eos ne uictos quidem pati coëgisset.

De Numantinis.

Numantini autem à Scipione uallo, & aggere circundati, cùm omnia, quæ famẽ eorum trahere poterant, consumpsissent, ad ultimum humanorum corporum dapibus usi sunt: quapropter

propter capta iam urbe, cõplures inuenti sunt, artus & membra trucidatorum corporũ sinu suo gestantes. Nulla est in his necessitatis excusatio: nam quibus mori licuit, sic uiuere necesse non fuit.

De Caliguritanis.

Horum trucem pertinaciam in consimili facinore Caliguritanorũ execrabilis impietas supergressa est. qui quò perseuerantius interpti Sertorij cineribus obsidionem Cn. Pompeij frustrantes fidem præstarent, quia nullum iam aliud in urbe eorum supererat animal, uxores suas natosq; ad usum nefariæ dapis uerterunt. Quoq; diutius armata iuuentus uiscera suæ uisceribus suis aleret, infelices cadauerum reliquias salire non dubitauit. En quem aliquis in acie hortaretur, ut pro salute coniugum, & liberorum fortiter dimicaret. Ex hoc nimirum hoste, tanto duci pœna magis quàm uictoria petenda fuit: quia plus uindicatus libertatis, quàm uictus gloriæ afferre potuit: cùm omne serpentum, ac ferarum genus cõparationis sui titulo feritatis superarit: nam quæ illis dulcia uitæ pignora proprio spiritu chariora sunt, ea Caliguritanis prandia atque cœnæ extiterunt.

DE TESTAMENTIS QVAE rescissa sunt. CAP. VII.

Vacemus nunc negotio, quod actorũ hominis, & præcipuæ curæ, & ultimi est

temporis: consideremusq́; quæ testamenta aut
rescissa sunt legitimè facta, aut cùm meritò
rescindi possent, rata manserunt: quæ ue ad
alios, quàm qui expectabant, honorem hæ-
reditatis transtulerunt.

De quodam milite.

Atq; ita, ut eo ordine quo proposui exequar:
militaris cuiusdã pater, cum de morte filij fal-
sum è castris nuntiũ accepisset, alijs hæredibus
scriptis decessit: peractis deinde stipendijs, ado-
lescens domum petit: errore patris, impudentia
amicorum domum sibi clausam reperit. Quid
enim illis inuerecundius? florem iuuentæ pro
Rep. absumpserat, maximos labores, & pluri-
ma pericula toleraucrat, aduerso corpore ex-
ceptas ostendebat cicatrices: & postulabat, ne
auitos eius lares otiosa ipsi urbi onera posside-
rent. Itaq; depositis armis, coactus est in foro
togatã ingredi militiã acerbè: cum improbissi-
mis enim hæredibus de paternis bonis apud
Centumuiros contendit: omnibusq́; non solùm
consilijs, sed etiam sententijs superior discessit.

De filio M. Anci Carseolani
equitis Romani.

Item M. Anci Carseolani splendidissimi
equitis Romani filius, à Suffenate auunculo
suo adoptatus, testamentũ naturalis patris, quo
præteritus erat, apud Centũuiros rescidit, cum
in eo Tullianus Pompeij Magni familiaris,
ipso

ipso quidem Pompeio signatore, hæres scriptus
esset. Itaq; illi in iudicio plus cum excellentiss-
simi uiri gratia, quàm cum parentis cineribus
negotij fuit: cæterùm quãuis utraq; hæc aduer-
sus se nitebantur, tamen paterna bona obtinuit.
Nam L. quidẽ Sextilius & P. Popilius, quos
M. Ancus sanguine sibi coniunctos eadẽ ex
parte, qua Tullianum hæredes fecerat, sacra-
mento cum adolescentulo contendere ausi non
sunt: tametsi præcipuis eo tempore Magni ui-
ribus ad defendendas tabulas testamenti mu-
tari poterant: etsi aliquãtulum adiuuabat hæ-
redes, quòd M. Anci filius in Suffenatis fa-
miliam, ac sacra transierat: sed arctissimũ in-
ter homines procreationis uinculũ, patris simul
uoluntatẽ, & principis autoritatem superauit.

De Tectio filio Tectii.

C. autem Tectium infantem à patre exhæ-
redatũ, Petronia matre, quam Tectius quoad
uixit in matrimonio habuerat, natum, diuus
Augustus in bona paterna ire decreto suo iuss-
sit: patris patriæ animo usus: quoniam Tectius
in proprio iure procreato filio, summa cum ini-
quitate paternum nomen abrogauerat.

De Septitia.

Septitia quoq; mater Trachalorum Arimi-
niensium filijs irata, in contumeliam eorũ,
cùm iam parẽre nõ posset, Publio seni admodũ
nupsit, testamento etiam utroque præterito:

à quibus aditus diuus Augustus, & nuptias mulieris, et suprema iudicia improbauit. nam hæreditatem maternam filios habere iussit: dotem, quia non creandorũ liberorum causa coniugium intercesserat, uirum retinere uetuit. Si ipsa æquitas hac de re cognoscere potuisset, iustius ne aut gratius pronunciaret? spernis quos genuisti: nubis efferata: testamenti ordinem violento animo confundis: neq; erubescis ei totum patrimonium addicere, cuius polluto iam corpori marcidam senectutem tuam substrauisti: ergo dum sic te egeris, ad inferos usq; cœlesti fulmine afflata es.

De C. Calpurnio Pisone.

Egregia quoq; C. Calpurnij Pisonis præfecti urbis constitutio: cùm enim ad eum Terentius ex octo filijs, quos in adolescentiam perduxerat, ab uno in adoptionem dato exhæredatum se querelam detulisset: bonorum adolescentis possessionẽ ei dedit, hæredesq; lege agere passus non est. Monuit profectò Pisonẽ patria maiestas, donum uitæ, beneficium educationis: sed etiam ipsum flexit circunstantium liberorum numerus, quòd cum patre septem fratres impiè exhæredatos uidebat.

De Genutio quodam.

Quid Mamerci Æmilij Lepidi Consulis, quàm graue decretũ? Genutius quidã, matris magnæ Gallus, à Cn. Oreste prætore urbis impe-

petrauerat, ut restitui se in bona Neniani iuberet, quorum possessionem secundum tabulas testamenti ab ipso acceperat. appellatus Mamercus à Surdinio, cuius libertus Genutium hæredem fecerat: prætoriam iurisdictionẽ abrogauit, quòd diceret Genutium amputatis sui ipsius sponte genitalibus corporis partibus, neq; uirorum, neque mulierum numero haberi debere. Conueniens Mamerco, conueniens principi senatus decretum, quo prouisum est, ne obscœna Genutij præsentia, inquinata'que uoce tribunalia magistratuum, sub specie petiti iuris, pollueretur.

De Vetilio lenone.

Multò Q. Metellus prætorẽ urbanum seueriorem egit, quàm Orestes gesserat: qui Vetilio lenoni inueni bonorum possessionẽ secundum tabulas testamenti non dedit: quia uir nobilissimus & grauissimus, fori ac lupanaris separandam conditionem existimauit: Nec aut factum illius comprobare uoluit, qui fortunas suas in stabulum contaminatum proiecerat: aut hinc tanquam integro ciui iura reddere, qui se ab omni honesto uitæ genere abruperat.

DE TESTAMENTIS, QVAE rata manserunt. CAP. VIII.

His rescissorum testamentorum exemplis contenti, attingamus ea, quæ rata manserunt, cùm causas haberent propter quas re-

scindi possent. Quàm certæ, quàm etiam notæ insaniæ Tuditanus, utpote qui populo nummos sparserit, togamq; uelut tragicã uestem in foro trahens, maximo cum hominũ risu conspectus fuerit, ac multa his consentanea fecerit, testamento filium instituit hæredem: quod T. Longus, sanguine ei proximus, hastæ iudicio subuertere frustra conatus est: magis enim centũuiri, quod scriptum esset in tabulis, quam quæ scripsisset, considerandum existimauerunt.

De Ebucia uxore L. Menenii Agrippæ.

Vita Tuditani demens: Ebuciæ autem, quæ L. Menenij Agrippæ uxor fuerat, tabulæ testamenti plenæ furoris: nam cùm haberet duas simillimæ probitatis filias Pletoniã, & Aphroniam, animi sui potius inclinatione prouecta quàm ullis alterius iniurijs, aut officijs cõmota, Pletoniam tantũmodo hæredem instituit: filijs etiam Aphroniæ ex admodũ amplo patrimonio uiginti nummos legauit. Aphronia tamen cum sorore sacramento contendere noluit, testamentũq; matris, patientia honorare, quàm iudicio conuellere sanctius esse duxit: eò seipsam indigniorem iniuria ostendens, quò eam æquiore animo sustinebat.

De Q. Metello.

Minus mirandum errorem muliebrem Quinti Metellus fecit. Is nanq; plurimis, & celeberrimis

rimis eiusdem nominis uiris in urbe nostra uigentibus, Claudiorum etiam familia, quam arctissimo sanguinis uinculo contingebat, florente: Carinatem solum hæredem reliquit: nec hoc testamentum eius quisquam attentauit.

De Pompeio Rhegyno.

Item Põpeius Rhegynus, uir transalpinæ regionis, cùm testamẽto fratris præteritus esset, et ad coarguẽdam iniquitatẽ eius, binas tabulas testamentorum suorum in comitio incisas, habita uiriusq; ordinis maxima frequentia, recitasset: in quibus magna ex parte hæres frater erat scriptus, prælegebaturq; ei cẽties & quinquagies sestertium, multum ac diu inter assentientes indignationi suæ amicos questus: quod ad hastæ iudicium attinuit, cineres fratris quietos esse passus est: & erant ab eo instituti hæredes, neq; sanguine Rhegyno pares, neq; proximi: sed & alieni, & humiles: ut non solùm flagitiosum silentium, sed etiam prælatio contumeliosa uideri posset. æquè felicis impunitatis, sed nescio an tetrioris hæc delicti testamenta.

QVI ADVERSVS OPINIONES hominum hæredes habuerunt. CAP. IX.

De Q. Cæcilio, & L. Lucullo.

Quintus Cæcilius L. Luculli promptissimo studio, maximaq; liberalitate, & honestũ dignitatis gradũ, & amplissimũ patrimo

trimonium consecutus: cùm præ se semper tulisset, unum, illum sibi esse hæredem, moriens etiã anulos ei suos tradidisset, Pomponium Atticum testamento adoptauit, omniumq; bonorum reliquit hæredem: sed fallacis, & insidiosi cadauer P. R. ceruicibus veste circundatum, per uiam traxit: itaque nefarius homo filium quidem, & hæredem habuit, quem uoluit: funus autem, & exequias quales meruit.

De Tito Mario Vrinate.

Neque alijs dignus fuit T. Marius Vrinâs, qui ab infimo militiæ loco, beneficijs diui Augusti imperatoris, ad summos castrenses honores perductus, eorumq; uberrimis quæstibus locuples factus, non solum cæteris uitæ temporibus ei se fortunas suas relinquere, à quo acceperat, prædicauit: sed etiam pridie, quàm expiraret, idem illud ipsi Augusto dixit: cùm interim ne nomen quidem eius tabulis testamenti adiecerit.

De L. Valerio, & Corn. Balbo.

L. autem Valerius, cui cognomen Heptachordo fuit, togatum hostem Cornelium Balbum expertus, utpote opera eius, & consilio, compluribus priuatis uexatus litibus, ad ultimumq; subiecto accusatore capitali crimine accusatus: præteritis aduocatis, & patronis suis, solum hæredem reliquit: nimirum consternatio animum eius transuersum egit: amauit enim

enim sordes suas, & dilexit pericula, & damnationem uotis expetiuit: autorem harum rerum beneuolẽtia, propulsatorem odio insecutus.

De Tito Barrulo, & Lentulo.

T. Barrulus Lentulo Spintheri, cuius amãtissimum animum, liberalissimamq; senserat amicitiam, decedens suos anulos, perinde atq; unico hæredi tradidit, quem nulla ex parte hæredem relinquebat. quantum illo momento temporis conscientia, si modo uires, quas habere creditur, possidet, à teterrimo homine supplicium exegit? inter ipsam enim fallacis, & ingratæ culpæ cogitationem, spiritum posuit, quasi tortore aliquo mentem eius interius cruciante: quòd animaduertebat è uita ad mortem transitum suum, & superis dijs inuisum esse, & inferis detestabilem futurum.

De M. Popilio.

M. uerò Popilius Senatorij ordinis Oppium Gallum ab ineunte ætate familiarissimum sibi, moriens pro uetusto ture amicitiæ, & uultu benigno respexit, & uerbis magnum præ se amorem ferentibus prosecutus est: unum etiam de multis, qui assidebant, ultimo complexu, & osculo dignũ iudicauit: semperq; anulos quoq; suos ei tradidit: uidelicet nequid ex ea hæreditate, quam non erat aditurus, amitteret. Quos Oppius uir diligens, sed morientis amici plenum contumeliæ ludibrium, in locellum reposi-

tos, &

eos, & à præsentibus assignatos, diligentissimè hæredibus illius, exhæres ipse reddidit. Quid hoc loco inhonestius? aut quid intempestiuius? Senator pop. Rom. curia egressus, homo uitæ fructibus continuò caruturus, sanctissima iura familiaritatis morte præsis oculis, & spiritu supremos anhelitus reddente, seuerili lusu sugillanda sibi desumpsit.

VALERII MAXIMI LIBER OCTAVVS.

INFAMES REI QVIBVS EX causis absoluti, aut damnati sunt. CAP. I.

De M. Horatio.

NVNC quoque, ut æquiore animo ancipites iudiciorum motus tollerentur, recordemur inuidia laborantes, quibus de causis, aut absoluti sunt, aut damnati. M. Horatius interfecta sororis crimine à Tullo Rege damnatus, ad populum prouocato iudicio absolutus est: quorum alterum atrocitas necis mouit, alterum causa flexit: quia immaturum uirginis amorem seuerè magis, quàm impiè punitum existimabat. Itaq; forti punitione liberata fratris dextera, tantum consanguineo, quantum hostili cruore gloriæ haurire potuit: acrem se tunc pudici-

tiæ custodem populus Romanus postea plus iusto placidum iudicem præstitit.

De Sergio Galba.

Cùm à Libone Trib. Pleb. Sergius Galba pro Rostris uehementer increparetur, quòd Lusitanorum magnam manum, interposita fide, Prætor in Hispania intercmisset, actionique tribunitiæ M. Cato ultimæ senectutis, oratione sua, quam in Originibus uetulit, subscriberet: reus pro se iam nihil recusans, paruulos liberos suos, & Galli sanguine coniunctum filium, flens commendare cœpit, eoq; facto mitigata concione, qui omnium consensu periturus erat, penè nullum triste suffragium habuit: misericordia ergo illam quæstionem, non æquitas texit: quoniam quæ innocentiæ tribui nequierat absolutio, respectui puerorum data est. Consentaneum quod sequitur.

De A. Gabinio.

A. Gabinius in maximo infamiæ suæ ardore suffragijs populi C. Memmio accusatore subiectus, abruptæ esse spei uidebatur: quoniam & accusatio partes suas plenè exhibebat, & defensionis præsidia inualida fide nitebãtur: et qui iudicabãt, ira perciti, pœnam hominis cupidè expectabant. Igitur lictor, & carcer ante oculos obuersabantur, cùm interim omnia ista propitiæ fortunæ interuentu depulsa sunt. filius nanq; Gabinij Sisenna, consternationis impul-

impulsu,ad pedes se Memmij supplex prostra-
uit,inde aliquod fomentũ procellæ petens, unde
totus impetus tempestatis eruperat: quem tru-
ci uultu à se uictor insolens repulsum, excusso è
manu anulo humi iacère aliquandiu passus
est. Quod spectaculum fecit, ut Lælius Trib.
pleb.approbantibus cunctis Gabinium dimitti
iuberet,ac documentum daretur,neq; secunda-
rum rerum prouentu insolenter abuti, neq; ad-
uersis propere debilitari oportere: idque pro-
xímo exemplo æquè patet.

De Appio Claudio.

Appius Claudius nescio religionis maior,
an patriæ iniuria: siquidẽ illius uetustíssimum
morem neglexit: huius pulcherrimam classem
amisit: infesto populo obiectus, cùm effugere
debitã pœnã nullo modo posse crederetur, ſubi-
tò coorti imbris beneficio tutus fuit à damna-
tione: discussa enim quæstione aliam uelut
Dijs interpellantibus, de integro instaurari
non placuit. Itaq; cui maritima tẽpestas causa
dictionem contraxerat, cœlestis saluté attulit.

De Tucia uirgine Vestali.

Eodem auxilij genere Tuciæ uirginis Ve-
stalis incesti criminis reæ castitas infamiæ nu-
be obscurata emersit: quæ cõscia certæ syncerí-
tatis suæ, spem salutis ancipiti argumento pe-
tere ausa est: arrepto enim cribro, Vesta, inquit,
si sacris tuis castas semper admoui manus,
effice

effice ut hoc hauriam ex Tyberi aquam, & in
ædem tuam perferam. audacter & temere ia-
ctis uotis sacerdotis, rerum ipsa natura cessit.

De Lucio Pisone.

Item L. Piso à L. Claudio pulchro accusa-
tus, quòd graues & intolerabiles iniurias so-
cijs intulisset: haud dubiæ ruinæ metum fortui-
to auxilio uitauit. Nanq; per idipsum tempus,
quo tristes de eo sententiæ ferebantur, repenti-
na uis nimbi incidit: cumq; prostratus humi
pedes iudicum oscularetur, os suum cœno re-
pleuit, quod conspectum, totam quæstionem à
seueritate ad clementiam & mansuetudinem
transtulit: quia satis iam graues eum pœnas
socijs dedisse arbitrati sunt: huc deductum ne-
cessitatis, ut abijcere se tam suppliciter, aut at-
tollere tam deformiter cogeretur. Subnectam
duos accusatorum suorum culpa absolutos.

De Q. Flauio.

Quintus Flauius à C. Valerio ædile apud
populum reus actus, cùm quatuordecim tri-
buum suffragijs damnatus esset, proclamauit se
innocentem opprimi: cui Valerius æquè clara
uoce respondit, nihil sua interesse, nocens ne, an
innoxius periret, dummodo periret: qua uiolen-
tia dicti, reliquas tribus aduersario donauit.
Abiecerat inimicum: eundem dum pro certo
pessundatum credidit, erexit: uictoriamq; in
ipsa uictoria perdidit.

De Caio Cosconio.

Caium etiam Cosconiũ seruilia lege reum, propter plurima, & euidentissima facinora, sine ulla dubitatione nocentem, Valerij Valetini accusatoris eius recitatum in iudicio carmen, quo puerum prætextatum, & ingenuã uirginem à se corruptã poëtico ioco significauerat, contexit. Siquidem Iudices iniquum rati sunt, eum uictorem dimittere, qui palmam non ex alio ferre, sed de se dare merebatur. Magis ergo Valerius in Cosconij absolutione damnatus, quàm Cosconius in causa sua liberatus est.

De A. Attilio Calatino.

Attingam eos quoq; quorum salus propriis obruta criminibus, proximorum claritati donata est. A. Attilium Calatinum Soranorum oppidi proditione reum admodum infamem, imminentis damnationis periculo, Qu. Maximi soceri pauca uerba subtraxerunt: quibus affirmauit, si in eo crimine sontem illum ipse comperisset, direpturum se fuisse affinitatem. Continuò enim populus penè iam exploratam sententiam suam, unius iudicio concessit: indignum ratus eius testimonio non credere, cui difficilimis Reipublicæ temporibus bene se exercitus credidisse meminerat.

De M. Aemilio Scauro.

M. quoque Aemilius Scaurus repetundarum reus, adeò perditam & comploratam defensio-

sionem in iudicium attulit, ut cùm accusator diceret, lege sibi centum atq; uiginti hominibus denunciare testimonium licere: sed; non recusare, quo minus absolueretur, si totidem no minasset quibus in prouincia nihil abstulisset: tam bonæ conditione uti non potuerit, tamen propter uetustissimam nobilitatem, & recentem memoriam patris, absolutus est.

De Cotta.

Sed quemadmodum splendor amplissimorum uirorum in protegendis reis plurimum ualuit, ita in opprimendis non sanè multum potuit: quinetiam euidenter noxijs, dum eos acrius impugnauit, profuit. L. Scipio Aemilianus Cottam apud populum accusauit: cuius causa quamuis grauissimis criminibus erat confossa, septies ampliata, & ad ultimum octauo iudicio absoluta est: quia homines uerebantur, ne præcipuæ accusatoris amplitudini damnatio eius donata existimaretur. Quos hæc secum locutos crediderim: Nolumus caput alterius petentem, in iudicium triumphos, & trophæa, spoliáq;, ac deuictarum nauium rostra deferre: terribilis sit is aduersus hostem: ciuis uerò salutem, tanto fulgore gloriæ subnixus, ne insequatur. Tam uehementes Iudices aduersus excellentissimum accusatorem, quàm mites in longæ inferioris fortunæ reo.

De Callidio Bononiensi.

Callidius Bononiensis in cubiculo mariti nocte deprehensus, cùm ob id causam adulterij diceret, inter maximos & grauissimos infamiæ fluctus emersit, tanquam fragmentũ naufragij, leue admodum genus defensionis amplexus: affirmauit enim se ob amorem pueri sui eò esse perductum. Suspectus erat locus, suspectum tempus, suspecta matrisfamiliæ persona, suspecta etiam adolescentia ipsius: sed [m] *crimen libidinis confessio intemperantiæ liberauit.*

De Cæliis fratribus, & filiis Titi Cælii.

Remissioris hæc, illud aliquantò grauioris materiæ exemplum. Cùm parricidij causam duo fratres Cælij dicerent, splendido Terracinæ loco nati, quorum pater Titus Cælius in cubiculo quiescens, filijs altero cubantibus lecto, erat interemptus: neque aut seruus quisquam, aut liber inueniretur, ad quem suspicio cædis pertineret: hoc uno nomine absoluti sunt, quia iudicibus planum factum est, illos aperto ostio inuentos esse dormientes. somnus innoxiæ securitatis certissimus index miseris opem tulit. Iudicatum est enim rerum naturam non recipere, ut occiso patre, supra uulnera, & cruorem eius, quietem capere potuerint.

De L. Scipione.

Percurremus nunc eos, quibus in causæ dictione,

ctione, magis quæ extra quæstionem erant, nocuerunt, quàm sua innocentia opem tulit. L. Scipio post speciosissimum triumphum de Rege Antiocho ductum, perinde ac si pecuniam ab eo accepisset, damnatus est: non puto quòd pretio corruptus fuerat, ut illum totius Asiæ dominum, & iam Europæ uictrices manus inijcientem, ultra Taurum montem summoueret: sed alioqui uir syncerissimæ uitæ, & ab hac suspicione procul remotus, inuidiæ quæ tunc in duorum fratrum inclytis cognominibus habitabat, resistere non potuit.

De Deciano, & P. Furio.

At Scipioni quidem maximus fortunæ fulgor, C. autem Deciano spectatæ integritatis uiro, uox sua exitiũ attulit. Nam cùm P. Furium inquinatissimæ uitæ pro Rostris accusaret, quia quadam in parte actionis de morte Lucij Saturnini queri ausus fuerat: nec reum damnauit, & insuper ei pœnas adiectas pependit.

De Titio Sexto.

Sextum quoq; Titiũ similis casus prostrauit: erat innocens Agraria lege lata, gratiosus apud populum: tamen quia Saturnini imaginem domi habuerat, suffragijs eum tota concio oppressit.

De Claudia.

Adijciatur his Claudia, quam insontem crimine quo accusabatur, uotum impium subuer-

tit: quia cùm à ludis domum rediens turba elideretur, optauerat, ut frater suus maritimarum uirium nostrarum præcipua iactura reuiuisceret, sæpiusq; Consul factus, infelici ductu nimis magnam urbis frequentiam minueret.

De M. Militio, Cn. Lolio, & L. Sextilio.

Possumus & ad illos breui diuerticulo trãsgredi, quos leues ob causas damnationis ineursus abripuit: M. Militius, Cn. Lolius, L. Sextilius triumuiri, quòd ad incendium in sacra uia ortum extinguendum tardius uenerant, à Trib. Ple. die dicta ad populum damnati sunt.

De Pub. Bilio Triumuiro.

Item P. Bilius triumuir nocturnus à P. Aquilio Trib. Pleb. accusatus, populi iudicio cõcidit: quia uigilias negligentius circumierat.

De M. Aemylio Porcina.

Admodum seueræ notæ, & illud populi iudicium, cùm M. Aemylium Porcinam à L. Cassio accusatum crimine nimis sublimẽ extructæ uillæ in Allienſi agro, graui multa affecit.

De quodam indulgente in puerum.

Non supprimẽda illius quoq; damnatio, qui pueruli sui nimio amore corruptus, rogatus ab eo ruri ut omasum in cœnam ferri iuberet: cùm bubulæ carnis in propinquo emendæ nulla facultas esset: domito boue occiso, desiderium eius

eius expleuit: eoq; nomine publica quæstione afflictus est, innocẽs, nisi tam prisco seculo natus esset.

De quadam muliere, quæ matrem interfecit.

Atq; ut eos quoq; referamus, qui in discrimen capitis adducti, neq; damnati, neq; absoluti sunt: apud M. Popilium Lenatem prætorẽ, quædã, quòd matrẽ percussam fuste interemerat, causam dixit: de qua neutrã in partẽ latæ sententiæ sunt: quia abunde cõstabat, eandẽ ueneno necatorum liberorum dolore commotam, quos auia filiæ infensa sustulerat, parricidium ultam parricidio esse: quorũ alterũ ultione, alterum absolutione non dignum iudicatum est.

De quadam muliere, quæ uirum & filium interemit.

Eadem hæsitatione Publij quoq; Dolabellæ, proconsulari imperio, Asiã obtinentis, animus fluctuatus est. Materfamiliãs Smyrnææ uirũ & filiũ interemit, cùm ab ijs optimæ indolis iuuenem, quem ex priore uiro enixa fuerat, occisum cõperisset: quã rem Dolabella ad se delatam, Athenas ad Areopagi cognitionem relegauit: quia ipse neq; liberare cædibus duabus contaminatam, neq; punire eam iusto dolore impulsam, sustinebat. Considerantes, & mansuetè populi Rom. magistratus: sed Areopagitæ quoq; non minus sapiẽter, qui inspectæ

causa,& accusatorem,& ream post centum annos ad se reuerti iusserũt:eodẽ affectu moti, quo Dolabella:sed ille transferendo quæstionem,hi differendo damnandi,atq; absoluendi inexplicabilem cunctationem mutabant.

DE PRIVATIS IVDICIIS.

CAPVT II.

PVblicis iudiciis adiyciam,quorum magis æquitas quæstionũ delectare,quàm immoderata turba lectorem offendere poterit. Claudius Centummalus ab auguribus iussus altitudinem domus suæ,quã in Cælio mõte habebat, summittere,quia his ex arce auguriũ capiẽdis officiebat,uendidit eam Calpurnio Lanario:nec indicauit,quod imperatũ à collegio augurum erat:à quibus Calpurnius demoliri domum coactus,M.Porciũ Catonem inclytii Catonæ patrem arbitrũ cum Claudio adduxit,ut formulam daret,quid sibi de ea re facere oporteret,ex fide bona.Cato ut est doctus,de industria Claudium edictũ sacerdotũ suppressisse, continuò illum Calpurnio damnauit,summa quidem cum equitate:quia bonæ fidei uendidorem nec cõmodorum spem augere,nec incõmodorum cognitionẽ obscurare oportet.Notũ suis temporibus iudiciũ cõmemoraui:sed nec quod relaturus quidem sum,obliteratum est silentio.

De C.Visellio.

C.Visellius Varro graui morbo correptus, trecenta

trecenta millia nummũm ab Octacilia Laterensi,cum qua cõmercium libidinis habuerat, expensa ferri sibi passus est:eo cõsilio,ut si discessisset,ab hæredib⁹ eam summã peteret,quã legati genus esse uoluit,libidinosam liberalitatem debiti nomine colorando:euasit deinde ex illa tempestate aduersus uota Octaciliæ: quæ offensa,quòd spem prædæ suæ morte nõ maturasset,ex amica obsequẽti,subito districta fœneratrix agere cœpit,nummos petendo,quos ut fronte inuerecũda,ita inani stipulatione captauarat:de qua re Caius Aquilius,uir magnæ autoritatis,& scientia iuris ciuilis excellens,iudex adductus,adhibitis in consiliũ principibus ciuitatis,prudentia,& religione sua mulierem repulit. Quòd si eadem formula & Varro dãnari,et aduersaria absolui potuisset, eius quoq; nõ dubito quin turpẽ & incõcessum errorẽ liberter castigaturus fuerit:nunc priuatæ actionis calumniam ipse compescuit,adulterij crimen publicæ quæstioni iudicandum reliquit.

De C.Mario.

Multo animosius,& militari spiritu dignũ erat,se in consimili genere iudicij C.Marius gessit:nam cùm Caius Ticinius Minturnensis Fanniam uxorẽ,quam impudicã de industria duxerat,eo crimine repudiatam,dote spoliare conaretur:sumptus inter eos iudex,in cõspectu habita quæstione,seductũ Ticinium monuit,ut

incœpto desisteret, ac mulieri dotem redderet. Quod cùm sæpius frustra fecisset, coactꝰ ab eo sententiam pronuntiare: mulierem impudicitiæ sestertio nummo, Ticinium summa totius dotis dãnauit: præfatus ideo se hunc iudicandi modũ secutũ, quòd liqueret sibi, Ticiniũ patrimonio Fanniæ insidias struentem, impudicæ coniugiũ expetisse. Fannia autẽ hæc est, quæ posteà Marium hostem à Senatu iudicatũ, cœnoq; paludis, qua extractus erat, oblitũ, etiã in domum suam custodiendum Minturnis deductum, opequantacunq; potuit, adiuuit: memor quòd impudica esset iudicata, suis moribꝰ, quòd dotem seruasset, illius religioni acceptũ ferri debere.

De quodam damnato furti.

Multus sermo eo etiam iudicio manauit, in quo quidam furti damnatus est, quòd equo, cuius usus illi usque Ariciam commodatus fuerat, ulteriore eius municipij clino nectus esset. Quid aliud hoc loci, quàm uerecundiam illius seculi laudemus, in quo tam minuti à pudore excessus puniebantur?

QVAE MVLIERES APVD magistratus pro se, aut aliis causas egerunt. CAP. III.

De Amesia.

NE de his quidem fœminis tacẽdum est, quas conditio naturæ, & uerecũdiæ forda ut in foro, in iudicijs tacerent, cohibere non ualuit

ualuit. Amesia prætoris sententia rea, causam suam Lucio Titio Prætore iudicium cogente, populi maximo concursu egit: motusq; omnes, ad neruos defensionis non solum diligenter, sed etiam fortiter executa, & prima actione, & ferè cunctis sententijs liberata est: quam, quia sub specie fœminæ uirilem animum gerebat, Androgynen appellabant.

De Affrania uxore Licinii Bructionis.

Caia Affrania uerò Licinij Bructionis uxor prompta ad lites contrahendas, pro se semper apud prætorẽ uerba fecit: non quòd aduocatis deficeret, sed quòd impudẽtia abũdabat. Itaq; inusitatis foro latratibꝰ assiduè tribunalia exercendo ad muliebris calumniæ notissimũ exemplum euasit: adeò ut pro crimine improbis fœminarũ moribus C. Affraniæ nomen obijciatur: prorogauit autem spiritũ suũ ad C. Cæsarem tertiũ, itemq; M. Seruilium Consulem: tale enim monstrũ magis, quo tẽpore extinctũ, quam quo sit ortum, memoriæ tradendum est.

De Hortensia filia Q. Hortensii.

Hortensia uerò Qu. Hortensij filia, cùm ordo matronarum graui tributo à triumuiris esset oneratus, nec quisquam uirorum patrocinium eis accommodare auderet: causam fœminarũ apud triũuiros & constanter, & feliciter egit: repræsentata enim patris facũdia, impetrauit,

ut maior pars imperatæ pecuniæ his remitteretur. Reuixit cum muliebri stirpe Qu. Hortensius, uerbisq; filiæ aspirauit: cuius si uirilis sexus posteritatem sequi uoluisset, Hortensianæ eloquentiæ tanta hæreditas una fœminæ actione abscissa non esset.

DE QVASTIONIBVS.

CAPVT IIII.

ATq; ut omnes iudiciorum numeros exequamur, quæstiones quibus aut creditū non est, aut temere habita fides est referamus. M. Agrij argētarij seruus, Alexandrū Titi Fānij seruū occidisse insimulatꝰ est, eoq; nomine tortꝰ à domino, admisisse id facinꝰ cōstātissimè asseuerauit. Itaq; Fannio deditꝰ, supplicio affectꝰ est: paruulo deinde tēpore interiecto, ille cuius de nece creditum erat, domum rediit.

De Alexandro seruo Fannii.

Contrà Fannij seruus Alexander, cùm in hanc suspicionem C. Fl. equitis Romani occisi uenisset, septies tortus pernegauit ei se culpæ affinem fuisse: sed perinde, atq; confessus, & à iudicibus damnatus, & à L. Calpurnio triūuiro in crucem actus est.

De Fuluio Flacco.

Item Fuluio Flacco causam dicente, Philippus seruus eius, in quo tota quæstio nitebatur, octies tortus, nullum omnino uerbum, quo dominus perstringeretur, emisit: & tamen

reus damnatus est: cùm certius argumentum innocentiæ unus octies tortus exhiberet, quàm octo semel torti præbuissent.

DE TESTIBVS. CAP. V.

De C. & Q. Seruiliis.

SEquitur, ut ad testes pertinentia exempla cōmemorem. C. & Q. Seruilijs Cepionibus iisdem parentibus natis, & per omnes honorū gradus, ad summā amplitudinem proiectis: item fratribus Metellis Quinto & Lucio Cōsularibus, & Censorijs, altero etiā triumphali, in Q. Pompeiū Rufidium repetundarū reum acerrimè dicentibus testimoniū, non abrogata fides absoluto Pompeio, sed ne potentia inimicum oppressisse uiderentur, occursum est.

De M. Aemylio Scauro.

M. etiam Aemylius Scaurus princeps Senatus C. Memium repetundarum reum districto testimonio insecutus est. Item C. Flauiū eadem lege accusatum testis prosciдit. Nam C. Norbanum maiestatis crimine publicæ subiectum quæstioni, ex professo opprimere conatus est: nec tamen aut autoritate, qua plurimū pollebat, aut religione, de qua nemo dubitabat, quenquam illorum affligere potuit.

De L. Crasso.

L. quoq; Crassus tantus apud iudices, quantus apud P. C. Aemilius Scaurus: nanq; eorū suffragia robustissimis & felicissimis eloquē-

tiæ

tiæ ſtipendijs regebat, eratq; ſic fori, ut ille curiæ princeps: cùm uehementiſſimum teſtimonij fulmen in M. Marcellum reum iniecisſet, impetu grauis, exitu uanus apparuit.

De Q. Metello pio, L. Lucullo, Q. Hortenſio, & M. Lepido.

Age Q. Metellus pius, L. Marcus Lucullus, Q. Hortenſius, & M. Lepidus, Cn. Cornelium maieſtatis reũ, non modo teſtes onerarũt, ſed etiã ſalutem, negantes illo incolumi ſtare Remp. poſſe, depoposcerũt: quæ decora ciuitatis (pudet referre) umbone iudiciali repulſa ſunt.

De M. Cicerone.

Quid M. Cicero forenſi militiæ ſummos honores, ampliſſimũq; dignitatis locũ adeptus, non ne in ipſius eloquẽtiæ ſuæ caſtris teſtis abiectus eſt? dum P. Clodiũ Romæ apud ſe fuiſſe iurauit, illo ſacrilegium, & flagitium uno argumento abſentiæ tuente: ſiquidem iudices Clodium inceſti crimine, quàm Ciceronem infamia periurij liberare maluerunt.

De P. Seruilio conſulari.

Tot eleuatis teſtibus, unũ, cuius noua ratione iudiciũ ingreſſa autoritas confirmata eſt, referam. P. Seruilius conſularis, Cenſorius, triumphalis, qui maiorum ſuorũ titulis Iſaurici cognomen adiecit, cùm forum præteriens teſtes in eum dari uidiſſet, loco teſtis conſtitit, ac per ſummã inter patronorum pariter & accuſatorum

rum admirationẽ ſic orſus: Hunc ego, iudices, qui cauſam dicit, cuias ſit, aut quã uitam egerit, quamq; meritò, uel iniuria accuſetur, ignoro: illud tantùm ſcio, cùm occurriſſet mihi Lauretina uia iter facienti, admodũ anguſto loco equo deſcendere noluiſſe. Quod an aliquid ad religionẽ noſtram pertineat, ipſi æſtimabitis: ego id ſupprimẽdum nõ putaui. Iudices reum, uix auditis cæteris teſtibus, damnauerũt. Valuit enim apud eos tum amplitudo uiri, tum grauis neglectæ dignitatis eius indignatio: cuiq;, qui uenerari principes neſciret, in quodlibet facinus procurſurum crediderunt.

QVI QVAE IN ALIIS VINdicarunt, ipſi cõmiſerunt. CAP. VI.

Nec illos quidẽ latere patiamur, qui quæ in alijs uindicarunt, ipſi commiſerũt. C. Licinius cognomine Hoplomachus, à Prætore poſtulauit, ut patri ſuo bonis, tanquam ea diſſipanti, interdiceretur: & quidem quod petierat impetrauit: Sed ipſe paruo poſtea tempore mortuo ſene, ampla ab eo relicta latifundia feſtinanter conſumpſit. Dignus hac uicissitudine pœnæ fuit: quoniam hæreditatem abſumere, quàm hæredem maluit tollere.

De Caio Mario.

Caius autẽ Marius, cùm magnum & ſalutarem Reipublicæ ciuẽ in L. Saturnino opprimendo egiſſet, à quo in modum uexilli pileum

ſeruit

seruituti ad arma capienda ostentatũ erat: L. Sylla cum exercitu in urbem irrumpente, ad auxilium seruorum pileo superlato confugit. Itaq; dum facinus, quod punierat, imitatur, alterum Marium à quo affligeretur, inuenit.

De M. Licinio Stolone.

Marcus uerò Licinius Stolo, cuius beneficio plebi petendi consulatũ potestas facta est, cùm lege sanxisset, nequis amplius quàm quingenta agri iugera possideret, ipse mille compara-uit, dissimulandiq; criminis gratia, dimidiam partem filio emancipauit, quam ob causam à M. Popilio Lenate accusatus, primus sua lege cecidit: ac docuit, nihil aliud præcipi debere, nisi quod prius quisq; sibi imperauit.

De Q. Vario Tribuno.

Quintus autem Varius, propter obscurũ in ciuitatis Hybridã cognominatus, Trib. pleb. legem aduersus intercessionem collegarũ pro-rogauit: qua iubebat quæri, quorum dolo malo socij ad arma ire coacti essent, magna cũ clade Reipublicæ: sociale enim prius, deinde ciuile bellum excitauit. Sed dum antè pestiferũ Trib. pleb. quàm certũ ciuem agit, sua lex eum domesticis laqueis constrictum absumpsit.

DE STVDIO, ET INDVSTRIA.

CAPVT VII.

Quid cesso uires industriæ cõmemorare? cuius alacri spiritu militiæ stipendia robor

roborantur: forensis gloria accenditur, fido si-nu cuncta studia recepta nutriuntur: quicquid animo, quicquid manu, quicquid lingua ad-mirabile est, ad cumulum laudis perducitur: quæ cùm perfectissima sit uirtus, duramento sui confirmatur.

De Catone superiore.

Cato sextum & octogesimum annũ agens, dum in Rep. tuenda iuuenili animo perstat, ab inimicis capitali crimine accusatus, causam suam egit, neq; aut memoriam eius quisquam tardiorem, aut firmitatem lateris ulla ex par-te quassatã, aut os hæsitatione impeditum ani-maduertit: quia scilicet omnia ista in statu suo æquali, ac perpetua industria continebat: quin-etiã in ipso diutissimè actæ uitæ fine disertissi-mi Oratoris Galbæ accusationi, defensionẽ suã pro Hispania opposuit. Idem Græcis literis eru diri concupit: quàm sero, inde æstimemus, quòd etiam Latinas penè iam senex didicit: cumq; eloquẽtia magnã iam gloriam partã haberet, id egit, ut iuris ciuilis quoq; esset peritissimus.

De Inferiore.

Cuius mirifica proles Cato, propior nostræ ætati, ita doctrinæ cupiditate flagrauit, ut ne in curia quidem, dum Senatus cogitur, tempe raret sibi, quò minus Græcos libros lectitaret: quia quidem industria ostendit, aliis tempora deesse, alios temporibus superesse.

De Terentio Varrone.

Terentius autem Varro humanæ uitæ exemplo & spatio nominandus: non annis, quibus seculi tempus æquauit, quam stylo uiuacior fuit: in eodem enim lectulo & spiritus eius, & egregiorum operum cursus extinctus est.

De Liuio Druso.

Consimilis persecutiæ Liuius Drusus, qui et ætatis uiribus, & acie oculorũ defectus, ius ciuile populo benignissimè interpretatus est: utilissimaq; discere id cupientibus monimenta composuit: nam ut senem illum natura, & cæcum fortuna facere potuit, ita neutra interpellare ualuit, ne non animo et uideret, et uigeret.

De P. Senatore, & L. Pontio equite Romano.

Publius uerò Senator, & Lucius Pontius eques Romanus, suis temporibus celebres cauarum actores, luminibus capti, eadem industria sorensia stipendia executi sunt. Itaq; frequentius etiam audiebantur, concurrentibus alijs, quia ingenio eorum delectabantur, alijs quia constantiam admirabantur: nanque alij incommodo perculsi secessum petunt, duplicant tenebras, fortuitis uoluntaria adijcientes.

De P. Crasso.

Iam P. Crassus, cùm in Asiam ad Aristonicum Regẽ debellandũ Consul uenisset, tanta cura Græcæ linguæ notitiam animo comprehendit

hendit, ut eam in quinque diuisam genera per omnes partes, ac numeros penitus cognosceret. Quæ res maximum ei sociorum amorem conciliauit, qua quis eorum lingua apud tribunal eius postulauerat, eadem decreta reddenti. Reddere dem

De Roscio.

Ne Roscius quidem subtrahatur scenicæ industriæ notissimum exemplum, qui nullũ unquam spectanti populo gestum, nisi quẽ domi meditatus fuerat, ponere ausus est. Quapropter non ludicra ars Roscium, sed Roscius ludicrã artem commendauit: nec uulgi tantum fauorem, uerumetiam principũ familiaritates amplexus est. Hæc sunt attenti & anxij, & nunquam cessantis studij præmia, propter quæ eorum uirorum laudibus non impudenter se persona histrionis inseruit.

EXTERNA.

De Demosthene.

Græca quoq; industria, quoniã nostræ multũ præfuit, quem meretur fructum, Latina lingua recipiat. Demosthenes, cuius cõmemorato nomine, maximæ eloquẽtiæ consummatio audiẽtis animo oboritur, cùm inter initia inuctæ, artis quam affectabat, primã literam dicere non posset, oris sui uitium tanto studio expugnauit, ut ea à nullo expressius referretur. Deinde propter nimiam exilitatẽ acerbam auditu uocem suã exercitatione continua ad maturũ, &

gratum auribus ſonũ perduxit. Lateris etiam firmitate defectus, quas corporis habitus uires negauerat, à labore mutuatus eſt. Multos enim uerſus uno impetu ſpiritus cõplectebatur, eosq; aduerſa loca celeri gradu ſcandens pronuntiabat. Ac uadoſis littoribus inſiſtens declamationes fluctuũ fragoribus oblucta̅tibus edebat: ut ad fremitus concitatarũ concionum, patientia duratis auribus, in actionibus uteretur. Fertur quoque ore inſertis calculis multum ac diu loqui ſolitus, quo uacuum promptius eſſet, et ſolatius. Præliatus eſt cũ rerũ natura, et quidem uictor abijt, malignitatẽ eius pertinaciſſimo animi robore ſuperãdo. Itaq; alterũ Demoſthenem mater, alterũ induſtria enixa eſt.

De Pythagora Philoſopho.

Atq; ut ad uctuſtorẽ induſtriæ actũ tra̅ſgrediar, Pythagoras perfectiſſimũ opus ſapientiæ à iuuenta pariter & omnis honeſtatis percipiendæ cupiditatẽ ingreſſus (nihil enim, quod ad ultimum ſui peruenturum eſt finem, non & maturè, et celeriter incœpit) Ægyptũ petijt, ubi literis getis eius aſſuefactus, præterii æui ſacerdotum cõmentarios ſcrutatus, innumerabilium ſeculorum obſeruationes cognouit. Inde ad Perſas profectus, magorũ exactiſſimæ prudentiæ ſe formandũ tradidit, à quibus ſiderum motus, curſuſq; ſtellarũ, & uniuſcuiuſq; rei proprietatem, & effectũ benigniſſimè demonſtratum docili animo ſumpſit. Cretam deinde, & Lacedæmona nauigauit, quarũ legibus, ac moribus inſpectis, ad Olympicũ certamen deſcẽdit. Cumq; multiplicis ſcientiæ maximam toti Græciæ admiratione̅, ac ſpecimen exhibuiſſet, quo cognomine cenſeretur interrogatus, non ſe ſapientẽ (iam enim illud ſeptẽ ſapientes uiri occupauerant) ſed amatorẽ ſapiẽtiæ, id eſt Græcè φιλόσοφον edidit. In Italiæ etiã partẽ, quæ tũc maior Græcia appellabatur, perrexit, in qua plurimis & opulẽtiſſimis urbibus effectus ſuorũ ſtudiorũ approbauit: cuius ardentẽ rogũ plenũ uenerationis oculis Metapontus aſpexit: operũ Pythagoræ, quàm ſuorum cinerum nobilius clariuſq; monimentum.

De Platone Philoſopho.

Plato autem patriã Athenas, præceptorem Socratẽ ſortitus, & locum, & hominẽ doctrinæ fertiliſſimũ, ingenij quoq; diuina inſtructus abundantia, cùm omniũ iam mortaliũ ſapientiſſimus haberetur, eò quidẽ uſq; ut ſi ipſe Iupiter cœlo deſcendiſſet, nec elegãtiore, nec beatiore ſacundia uſurus uideretur: Ægyptũ peragrauit, ubi à ſacerdotibus eius gentis Geometriæ multiplices numeros, cœleſtium obſeruationem rationum percepit: quoq; tempore à ſtudioſis iuuenibus certatim Athenæ Platonem doctorem quærentibus petebantur: ipſe Nili fluminis inexplicabiles ripas, naſtiſſimosq; cam-

pos, effusam barbariem & flexuosos fossarum ambitus Aegyptiorum senum discipulus lustrabat. Quo minus miror in Italiam transgressum, ut ab Archyta Tarenti, à Timæo, & Arione, & Cæto Locris Pythagoræ præcepta, & institutа acciperet. Tanta enim uis, tanta copia literarum undiq; colligenda erat, ut inuicem per totum terrarum orbem dispergi, & dilatari posset: altero etiam, & octogesimo anno decedens sub capite Sophronis nunc uos habuisse fertur: sic ne extremâ quidem eius hora agitatione studij uacua fuit.

De Democrito Philosopho.

At Democritus, cum diuitijs conseri posset: quæ tantæ fuerunt, ut pater eius Xerxis exercitui epulum dare facilè potuerit: quò magis uacuo animo studijs literarum esset operatus, paruа admodum summa rerẽta, patrimonium suum patriæ donauit. Athenis autem complu ribus annis moratus, omnia temporũ momenta ad percipiendam, & exercendam doctrinã cõferens, ignotus illi urbi uixit, quod ipse quadam uolumine testatur. Stupet mens admiratione tantæ industriæ, & iam transit aliò.

De Carneade Philosopho.

Carneades laboriosus, & diuturnus miles sapiẽtiæ, siquidem nonaginta expletis annis, idẽ illi uiuẽdi, ac philosophãdi finis fuit: ita se mirificum doctrinæ operibus addixerat, ut cùm

cibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhærens, manum ad mensam porrigere obliui sceretur. Sed cum Melissa, quam uxoris loco habebat, temperato inter studia animo, non interpellandi sed inediæ succurrendi officio, dexteram suam necessarijs usibus aptabat. Ergo animo tantũmodo uita fruebatur: corpore uerò quasi alieno & superuacuo circundatus erat. Idem cum Chrysippo disputaturus, helleboro se antè purgabat, ad exprimendum ingenium suum attentius, & illius refellendum acrius: quas potiones industria solidæ laudis cupidis appetendas effecit.

De Anaxagora Philosopho.

Quali porrò studio Anaxagoram flagrasse credimus? qui cùm post diutinam peregrinationem patriam repetisset, possessionesq; desertas uidisset, Non essem, inquit, ego saluus, nisi istæ periissent. Vocẽ petitæ sapientiæ compotem. Nam si prædiorum potius, quàm ingenij culturæ uacasset: dominus rei familiaris intra penates mansisset, non tantus Anaxagoras ad eos rediisset.

De Archimede Philosopho.

Archimedis quoq; fructuosam industriam fuisse dicerem, nisi eadem illi & dedisset uitã, & abstulisset. Captis enim Syracusis, Marcellus machinationibus eius multũ ac diu uictoriã suã inhibitã senserat: eximia tamẽ hominis

prudentia delectatus, ut capiti illius parceretur, edixit penè tantum gloriæ in Archimede seruato, quantum in oppressis Syracusis hostis reponens. At is dum animo & oculis in terrã defixis formas describit, militi, qui prædandi gratia domũ irruperat, stricto q; super caput gladio, quisnam esset, interrogabat: propter nimiam cupiditatem inuestigandi, quod requirebat, nomen suum indicare non potuit. Sed protracto manibus puluere: Noli, inquit, obsecro istum circulũ disturbare: ac perinde quasi negligens imperij uictoris, obtruncatus sanguine suo, artis suæ lineamenta confudit. Quo accidit, ut propter idem studium modò donaretur uita, modò spoliaretur.

De Socrate Philosopho.

Socratem etiam constat ætatem proiectũ fidibus tractandis operam dare cœpisse: satius iudicantem eius artis usum serò, quam nunquã percipere. Et quantula Socrati accessio illa futura scientiæ erat? Sed pertinax hominis industria, tantis doctrinæ suæ diuitijs etiam Musicæ rationis utilissimum elementũ accedere uoluit. Ergo dum ad discendum semper se pauperẽ credidit, ad docẽdũ fecit se locupletissimũ.

De Isocrate.

Atq; ut longæ, & felicis industriæ quasi in unũ aceruũ exẽpla redigamus, Isocrates nobilissimũ librum, qui inscribitur Παναθηναϊκὸς,

quartum & octogesimum annum agens, ita ut ipse significat, composuit, opus ardentis spiritus plenum. Ex quo apparet, senescentibus membris eruditorum, intus animos industriæ beneficio florem iuuentæ retinere. Neque hoc stylo terminos uitæ suæ clausit: nanq; admirationis eius fructum quinquennio percepit.

De Chrysippo.

Citerioris ætatis metas, sed non tamen paruã spatij Chrysippi uiuacitas flexit: nam octogesimo anno, cœpiũ ante quadragesimum λογικῶν exactissimæ subtilitatis uolumen reliquit: cuius studiũ in tractãdis ingenij sui monimentis tantũ operis laborisq; sustinuit, ut ad ea quæ scripsit penitus cognoscẽda lõga uita sit opus.

De Cleanthe Philosopho.

Te quoq; Cleãthe tam laboriosè hauriẽtem, & tam pertinaciter tradentẽ sapientiam, numen ipsius industriæ susp exit: cùm adolescentẽ quæstu extrahendæ aquæ nocturno tẽpore inopiam tuã sustentantẽ, diurno Chrysippi præceptis percipiendis uacantẽ, eundemq; ad undecentesimum annum attenta cura erudientẽ auditores tuos uideret: duplici enim labore unius seculi spatium occupasti, incertum reddendo, discipulus'ne an præceptor esses laudabilior.

De Sophocle.

Sophocles quoq; cum rerum natura gloriosum certamẽ habuit, tam benignè ille mirificæ

opera sua exhibendo, quàm illa operibus eius tempora liberaliter subministrãdo: propè enim centesimum annum attigit, sub ipsum transitũ ad mortem Oedipode Coloneo scripto, qua sola fabula omnium eiusdem studij Poetarum praripere gloriam potuit: idq; ignotum esse posteris filius Sophoclis noluit, σοφὸν sepulcro patris, quæ retuli, inscalpendo.

De Simonide poëta.

Simonides verò poëta octogesimo anno & docuisse se carmina, & in eorum certamẽ descendisse ipse gloriatur: nec fuit iniquum illum voluptatem ex ingenio suo diu percipere, cùm eam omni ævo fruendam traditurus esset.

De Solone.

Nam Solon quanta industria flagraverit, et uersibus cõplexus est, quibus significat se quotidie aliquid addiscentem senescere, & supremo uitæ die confirmavit: quòd assidentibus amicis, & quadam de re, sermonẽ inter se conferentibus, fatis iam pressum caput erexit. Interrogatusq; quapropter id feciisset, respondit, Vt cum istud, quicquid est, de quo disputatis percepero, moriar. Migrasset profectò ex hominibus inertia, si eo animo uitam ingrederentur, quo eam Solon egressus est.

De Themistocle.

Quàm porrò industrius Themistocles, qui maximarum rerum cura districtus, omnium tamen

tamen ciuium suorum nomina memoria comprehendit: per summam nanq; iniquitatem patria pulsus, & ad Xerxem, quem paulò antè deuicerat, confugere coactus, prius quàm in conspectum eius ueniret, Persico sermoni se assuefecit: ut per laborem parta commendatione, regijs auribus familiarem & assuetum sonum uocis adhiberet.

De Cyro, & Mithridate.

Cuius utriusq; industriæ laudẽ duo reges partiti sunt, Cyrus omniũ militum suorũ nomina, Mithridates duarũ & uiginti gentium, quæ sub regno eius erant, linguas ediscendo: ille, ut sine monitore exercitum salutaret: hic, ut eos quib⁹ imperabat, sine interprete alloqui posset.

DE OTIO. CAP. VIII.

Otium, quod industriæ, & studio maximè contrarium uidetur, præcipuè subnecti debet, non quo euaneſcit uirtus, sed quo recreatur: alterum enim etiam inertibus uitandum, alterum strenuis quoq; interdum appetẽdum est: illis, ne propè uitam inertem exigant: his, ut tempestiua laboris intermissione ad laborandum fiant ugeriores.

De Scipione, & Lælio.

Par uera amicitiæ clarissimum Scipio, & Lælius, tum amoris uinculo, tum etiam omnium uirtutum inter se iunctum societate, ut actuosa uitæ iter æquali gradu exequebantur, ita animò

mi quoq; remißioni cõmuniter acquiescebant. constat nãq; eos Caietæ, & Laurẽti uagos littoribus cõchulas, & calculos lectitasse: idq; se P. Crassus ex socero suo Q. Scæuola, qui gener Lælij fuit, audisse sæpenumero prædicauit.

De Scæuola.

Scæuola autem quietæ remißionis eorum certißimus testis, optimè pila lusisse traditur: quia uidelicet ad hoc diuerticulum animum suum forensibus ministeriys fatigatum, transferre solebat. Aleæ quoq; & calculis uacasse interdũ dicitur, cùm bene, ac diu iura ciuium, & ceremonias deorum ordinasset. ut enim in rebus seriys Scæuolam, ita & in scurrilibus lusibus hominem agebat, quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinit.

EXTERNA.

De Socrate Philosopho.

Idq; uidit, cui nulla pars sapientiæ obscura fuit, Socrates ideoq; non erubuit tunc, cùm interposita arundine cruribus suis, cum paruuli filiolis ludens ab Alcibiade risus est.

De Homero poëta.

Homerus quoque ingenij cœlestis uates non aliud sensit, uehementißimis Achillis manibus canoras fides aptando, ut earum militare robur leni pacis studio relaxaret.

QVANTA SIT VIS eloquentiæ. CAP. IX.

Potentiam uerò eloquentiæ etsi plurimum ualere animaduertimus, tamen sub propriys exemplis, quo scilicet uires eius testationes fiant, recognosci conuenit.

De Valerio.

Regibus exactis, plebs discedens à patribus, iuxta ripam fluminis Anienis in colle, qui sacer appellatur, armata consedit: eratq; non solum deformis, sed etiã miserrimus Reip. status, à capite eius cætera parte corporis pestifera seditione diuisa: ac ni Valerij subuenisset eloquentia, spes tanti imperij in ipso penè ortu suo corruisset. Is nanq; populum, noua & insolita libertate temere gaudentem, oratione ad meliora, & saniora consilia reuocatum, Senatui subiecit, id est urbem urbi iunxit. Verbis ergo facundis ira, consternatio, arma cesserunt.

De M. Antonio.

Quæ etiam Marianos, Cinnanosq; mucrones, ciuilis profundendi sanguinis cupiditate fuentes, inhibuerunt. missi enim à sæuissimis ducibus milites ad M. Antonium obtruncandum, sermone eius obstupefacti, districtos iam, & uibratos gladios cruore uacuos uaginis reddiderunt: quibus digressis, P. Antonius (is enim solus in ambitu expers Antonianæ facundiæ fuerat) crudele imperium truculento ministerio peregit. Quàm disertum igitur eum fuisse putemus, quem ne hostium quidem quisquam

quam occidere sustinuit, qui modò uocem eius ad aures suas uoluit admittere?

De Iulio Cæsare.

Diuus quoq; Iulius, quàm cœlestis numinis, tam etiam humani ingenij perfectissimum columen, uim facundiæ propriæ expressit: dicendo in accusatione C. Dolabellæ, quem reum egit, extorqueri sibi causam optimam L. Cottæ patrocinio: siquidem maxima tunc eloquentia questa est, cuius facta mentione, quoniam domesticum nullum maius adieceri exemplum, peregrinandum est.

EXTERNA. De Pisistrato.

Pisistratus dicedo tantum ualuisse traditur est, ut ei Atheniensis regiũ imperiũ orationi capti, permitteret: cùm præsertim ex contraria parte amantissimus patriæ Solon niteretur. Sed alterius salubriores erant conciones, alterius dissertiores: quo cuenit, ut alioqui prudentissima ciuitas libertati seruitutem præferret.

De Pericle.

Pericles autem felicissimis naturæ incrementis, sub Anaxagora præceptore summo studio perpolitus, & instructus, liberis Athenarum cernicibus, iugum seruitutis imposuit: egit enim illam urbem, & uersauit arbitrio suo. Cumq; aduersus uoluntatem populi loqueretur, iucunda nihilominus, & popularis eius uox erat. Itaque ueteris comœdiæ maledica lingua,

lingua, quamuis potentiam uiri perstringere cupiebat, tamen in labris hominis melle dulciorem lepórem fatebatur habitare: inq; animis eorum, qui illum audierant, quasi aculeos quosdam relinqui prædicabat.

De quodam sene.

Fertur quidam, cùm admodum senex primæ concioni Periclis adolescẽtuli interesset, idemq; iuuenis Pisistratum decrepitũ iam concionantem audisset, non temperasse sibi, quo minus exclamaret, caueri illum ciuem oportere, quòd Pisistrati orationi simillima eius foret oratio: nec hominem aut æstimatio eloquij, aut morum augurium fefellit. Quid enim inter Pisistratum, & Periclem interfuit: nisi quòd ille armatus, hic sine armis tyrannidem gesit?

De Hegesia Philosopho.

Quantum eloquentia ualuisse Hegesiam Cyrenaicum Philosophum arbitramur? qui sic mala uitæ repræsentabat, ut eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta multis uoluntariæ mortis appetendæ cupiditatem ingenerauerat. Ideó que à rege Ptolemæo ulterius hac de re disserere prohibitus est.

QVANTVM MOMENTVM SIT in pronuntiatione, & apto motu corporis. CAP. X.

Eloquentiæ autem ornamenta in pronuntiatione apta, & conuenienti motu corporis

poris consistunt: quibus cùm se instruxerit, tribus modis homines aggreditur, animos eorum ipsa inuadendo, horum alteri aures, alteri oculos permulcendos tradendo.

De Caio Graccho.

Sed propositi fides in personis illustribus exhibeatur. C. Gracchus eloquentiæ, quàm propositi felicioris adolescens, quoniam flagrantissimo ingenio cùm optimè Rempub. tueri posset, perturbare impiè maluit: quoties apud populum concionatus est, seruum posse se musicæ artis peritum habuit, qui occultè eburnea fistula pronuntiationis eius modos formabat, aut nimis remissos excitando, aut plus iusto concitatos reuocando: quia ipsum calor, atque impetus actionis attentum huiusce temperamenti æstimatorem esse non patiebatur.

De Q. Hortensio.

Quintus autem Hortensius plurimum in corporis decoro motu repositum credens, penè plus studij in eodem laborando, quàm in ipsa eloquentia affectanda impendit. Itaque nescires, utrum cupidius ad audiendum eum, an ad spectandum concurreretur: sic uerbis oratoris aspectus, & rursus aspectui uerba seruiebant. Constat Æsopum, Rosciumq; ludicræ artis peritissimos, illo causas agente, in corona frequenter astitisse, ut foro petitos gestus, in scenam referrent.

De M.

De M. Cicerone.

Nam M. Cicero quãtum in utraq; re, de quæ loquimur, momenti sit, oratione quam pro Gallo habuit, significauit. M. Callidio accusatori exprobrando, quòd præparatum sibi à reo uenenum testibus, chirographis, quæstionibus probaturum affirmans, remisso uultu, & languida uoce, & soluto genere orationis usus esset: pariterq; & oratoris uitium detexit, & causæ periclitantis argumenta adiecit: totum hunc locum ita claudẽdo: Tu istud M. Callidi nisi fingeres, sic ageres?

EXTERNA.

De Demosthene.

Consentaneum huic Demosthenis iudicium, qui cùm interrogaretur, quidnam esset in dicendo efficacissimum, respondit ὑπόκρισις. Iterum deinde, & tertiò interpellatus idem dixit, penè totum se illi debere confitendo.

De Aeschine.

Rectè itaq; Aeschines, cùm propter iudicialem ignominiam, relictis Athenis, Rhodum petisset, atque ibi rogatu ciuitatis suam prius in Ctesiphontem, deinde Demosthenis pro eodem orationem clarissimã, & suauissima uoce recitasset, admirãtibus cũctis utriusq; columinis eloquentiam, sed aliquantò magis Demosthenis, Quid si, inquit, ipsum audissetis? Tantus orator, & modo tam infestus ad-

uersarius sic inimici uim, ardoremq; dicendi suspexit, ut se scriptorum eius parum idoneum lectorem esse prædicaret: expertus acerrimum uigorem oculorum, terribile uultus pondus, accommodatum singulis uerbis sonum uocis, efficacissimos corporis motus. ergo etsi operi illius adiici nihil potest, tamen in Demosthene magna pars Demosthenis abest, quòd legitur potius, quàm auditur.

QVAM MAGNI EFFECTVS artium sint. CAP. XI.

Effectus etiam artiũ recognitii, possunt aliquid afferre uoluptatis: protinusque & quàm utiliter excogitatæ sunt, patebũt: & memoratu dignæ res lucido in loco reponentur, & labor in his edendis suo fructu non carebit.

De Sulpitio Gallo.

Sulpitij Galli maximum in omni genere literarum recipiẽdo studium plurimum Reipub. profuit. Nam cùm L. Pauli, bellum aduersus regem Persẽ gerentis, legatus esset, ac serena nocte subitò luna defecisset: eo'que ueluti diro quodam monstro perterritus exercitus noster, manus cum hoste conserendi fiduciam amisisset: de cœli ratione, & siderum natura peritissimè disputando, alacrem eum in aciem misit. Itaq; illi inclytæ Paulianæ uictoriæ liberales artes, Galli aditum dederunt: quia nisi ille metum nostrorum militum uicisset, Imperator Roma

Romanus uincere hostes non potuisset.

De Spurina.

Spurinæ quoq; in consectandis decorũ monitis efficacior scientia apparuit, quàm urbs Romana uoluit. prædixerat C. Cæsari, ut proximos XXX. dies quasi fatales caueret, quorum ultimus erat Idus Martiæ. Eoq; cùm forte manè uterq; in domum Caluini Domitij ad officium conuenisset, Cæsar Spurinæ, Ecquid scis Idus Martias iam uenisse? & is, Ecquid scis illas nondũ præterijsse? Abiecerat alter timorẽ tanquàm exacto tempore suspecto, alter ne extremam quidem eius partem periculo uacuã esse arbitratus est. Vtinam aruspicem potius augurium, quàm patriæ parentẽ securitas fefellisset.

EXTERNA. De Pericle.

Sed ut alienigena scrutemur, cùm obscurato repentè Sole, inusitatis perfusæ tenebris Athenæ, solicitudine agerentur, interitum sibi cœlesti denunciatione portendi credentes, Pericles processit in medium, & quæ à præceptore suo Anaxagora, pertinentia ad Solis & Lunæ cursum acceperat, disseruit: nec ulterius trepidare ciues suos uacuo metu passus est.

De Alexandro rege.

Quantum porrò dignitatis à rege Alexandro tributum arti existimamus? qui se & pingi ab uno Apelle, & fingi à Lysippo tantummodo uoluit.

De Vulcano Alcamenis.

Tenet uisentes Athenas Vulcanus Alcamenis manibus fabricatus: præter cætera enim perfectißimæ artis in eo præcurrentia indicia, etiam illud mirantur, quòd ſtat diſſimulatæ claudicationis ſub ueſte leuiter ueſtigium repræſentans, ut non tanquam exprobratum uitium, ita tanquam certam, propriamq; dei notam decõre ſignificans.

De Venere Praxitelis.

Cuius Coniugẽ Praxiteles in marmore quaſi ſpirãtem in templo Cnidiorum collocauit, propter pulchritudinem operis à libidinoſo cuiuſdam complexu parum tutam. Quo excuſabilior eſt error equi, qui uiſa pictura equæ, hinnitum edere coactus eſt: & canum latratus aſſectu picti canis incitatus: taurusq; ad amorem & concubitum æneæ uaccæ Syracuſis, nimia ſimilitudinis irritamento cõpulſus. Quid enim uacua rationis animantia arte decepta miremur? cùm hominis ſacrilegam cupiditatem muti lapidis lineamentis excitatam uideamus.

QVAEDAM NVLLA ARTE effici poſſe. CAP. XII.

De Euphranore.

Caeterùm natura quemadmodũ ſæpenumero æmulam uirium ſuarum artem eſſe patitur: ita aliquando irritã feſſo labore dimittit: quod ſummi artificis Euphranoris manus ſenſe-

ſenſerunt. Nam cùm Athenis XII. deos pingeret, Neptuni imaginẽ, quam poterat excellentißimis maieſtatis coloribus complexus eſt, perinde ac Iouis aliquanto auguſtiorem repræſentaturus. Sed omni impetu cogitationis in ſuperiori opere aſſumpto, poſteriores eius conatus aſſurgere, quò tendebant, nequiuerunt.

De Timante pictore.

Quid ille alter æquè nobilis pictor, luctuoſum immolatæ Iphigeniæ ſacrificium referent, cùm Calchantem triſtem, mœſtum Vlyſſem, clamantem Aiacem, lamentantem Menelaũ circa aram ſtatuiſſet, caput Agamemnonis inuoluendo, non'ne ſummi mœroris acerbitatem arte exprimi non poſſe confeſſus eſt? Itaq; pictura eius, aruſpicis, & amici, & fratris lacrymis madet, patris fletum ſpectantis affectu exiſtimandum reliquit.

De alio pictore.

Atque ut eiuſdem ſtudij adiũciam exemplum, præcipuæ artis pictor equum ab exercitatione uenientem, modò non uiuum, labore induſtriæ ſuæ comprehenderat. Cuius naribus ſpumas adiũcere cupiens, tantus artifex in tam paruula materia, multum ac diu fruſtra tenebatur: indignatione deinde accenſus, ſpongiam omnibus imbutam coloribus fortè iuxta ſe poſitam apprehendit, & eam ueluti corruptura opus ſuũ tabulæ illiſit: quam fortuna ad ipſas

equi naves directam, desyderiũ pictoris coëgit explere. Itaq; quod ars adumbrare non ualuit, casus imitatus est.

SVAE QVENQVE ARTIS OPTIMUM & autorem esse, & disputatorem. CAP. XIII.

SVæ autem artis unumquenque & autorem, & disputatorem optimum esse ne dubitemus, paucis exemplis admoneamus.

De Q. Scæuola.

Quintus Scæuola clarissimus legum uates, & certissimus, quotiescunq; de iure Prætorio consulebatur, ad Furium, & Cassellium, quia huic scientiæ dediti erãt, consultores reijciebat: quo quidem facto moderationem suam magis commendabat, quàm autoritatem minuebat: ab his negotium aptius explicari posse confitendo, qui quotidiano eius usu callebant. Sapientissimi igitur artis suæ professores sunt, à quibus & propria studia uerecundè, & aliena callidè æstimantur.

De Platone Philosopho.

Platonis quoq; eruditissimum pectus hæc cogitatio attigit: qui conductores sacræ aræ, modum & formam eius, secum sermone conferre conatos, ad Euclydem Geometram ire iussit, scientiæ eius cedens, imò professioni.

De Athenienſibus, & de Philone.

Gloriantur Athenæ armamentario suo, nec sine

sine causa: est enim illud opus & impensa, & elegantia uisendum: cuius architectum Philonem, ita secundè rationem institutionis suæ in theatro reddidisse constat, ut disertissimus populus non minorem laudem eloquentiæ eius, quàm arti tribuerit.

De quodam artifice.

Mirificè & ille artifex, qui in opere suo moneri se à sutore de crepida, & ansulis passus: de crure etiam disputare incipientem, supra plantam ascendere uetuit.

DE SENECTVTE.

CAPVT XIIII.

SEnectus quoq; ad ultimũ sui finem prouecta, in hoc eodem opere, inter exempla industriæ, in aliquot claris uiris conspecta est, separatum tamen & propriũ titulum habeat: ne, cui Deorum immortalium præcipua indulgentia affuit, & nostra ornata mentio defuisse existimetur. & simul spe diuturnioris uitæ, quasi adminicula quædam dentur: quibus insistens, alacriorem se respectu uetustæ felicitatis facere possit: tranquillitatemq; seculi nostri, qua nulla unquam beatior fuit, subinde fiducia confirmet, salutaris principis incolumitatem, ad longissimos humanæ conditionis terminos prorogando.

De M. Valerio Coruino.

M. Valerius Coruinus centesimum annum

compleuit: cuius inter primum & sextũ consulatum quadraginta sex anni interfuerunt: suffecitq; integris uiribus corporis, non solùm speciosissimis Reipublicæ ministeriis, sed etiam exactissimæ agrorum suorum culturæ, & ciuis & patris familiæ optabile exemplum.

De Metello.

Huius uitæ spatiũ æquauit Metellus, quartoq; anno post cõsularia imperia senex admodum Pont. Max. creatus, tutelam ceremoniarum per duos & uiginti annos, neq; ore in nouis nuncupandis hæsitante, neque in sacrificijs faciendis tremula manu gessit.

De Q. Fabio Maximo.

Quintus autem Fabius Max. duobus & sexaginta annis auguratus sacerdotium sustinuit, robusta iam ætate id adeptus: quæ utraq; tempora si in unum conferantur, facilè seculi modum expleuerint.

De M. Perpenna.

Iam de Marco Perpenna quid loquar? qui omnibus, quos in senatu rogauerat, superstes fuit: septemq; tantũ modo, quos Censor collega Lucij Philippi legerat è patribus C. reliquos uidit, toto ordine amplissimo diuturnior.

De Appio.

Appij uerò æuum clade metirer, quia infinitum numerum annorum orbatus luminibus exegit, nisi quatuor filios, quinque filias, plurimas

mas clientelas, rem denique publicam hoc casu grauatus fortissimè rexisset. Quinctium fessus iam uiuendo, lectica se in curiam deferri iussit, ut cum Pyrrho deformem pacem fieri prohiberet. Hunc cæcum aliquis nominet, a quo patria, quod honestum erat, per se parum cernẽs, coacta est prouidere?

De Liuia Rutilii, de Terentia Ciceronis, & Clodia filia Auli.

Muliebris etiam uitæ spatiũ non minus longum in cõpluribus apparuit, quarum aliquas strictim retulisse me satis erit. Nam & Liuiæ Rutilij septimũ, & nonagesimum, & Terentia Ciceronis tertium & centesimũ, & Clodiæ Auli filia quindecim filijs antè enixis, quintumdecimum & centesimũ expleuit annum.

De Masinissa rege Numidiæ.

Iungam his duos Reges, quorũ diuturnitas Reip. nostræ fuit utilissima. Siciliæ rector Hiero ad nonagesimũ annum peruenit. Masinissa rex Numidiæ hunc modum excessit, regni spatium sexaginta annis emensus, & ante omnes homines robore senectæ admirabilis. Constat eum, quemadmodum Cicero refert libro, quẽ de senectute scripsit, nullo unquã imbri, nullo frigore, ut caput suum ueste tegeret, adduci potuisse. Eundem ferunt aliquot horis in eodẽ uestigio perstare solitũ, nõ antè moto pede, quàm consimili labore iuuenes fatigasset: ac si quid

agi à sedente oporteret, toto die sæpenumero nullam in partem conuerso corpore in solio duraſſe: ille uerò etiã exercitus equo insidens, noctem diei plerunque iungendo duxit: nihil'que omnino ex ijs operibus quæ adoleſcẽs ſuſtinere aſſueuerat, quo minus ſenectute ageret, omiſit. Veneris etiam uſu ita ſemper uiguit, ut poſt ſextum & octogeſimum annum filium generaret, cui Methymato nomen fuit: terrã quoq; quam uaſtam, & deſertam acceperat, perpetuo culturæ ſtudio frugiferam reliquit.

De Gorgia Leontino Philoſopho.

Gorgias etiam Leontinus Iſocratis, & complurium magni ingenij uirorum præceptor, ſua ſententia feliciſſimus. Nam cùm centeſimũ & ſeptimum ageret annum, interrogatus quapropter tandiu uellet in uita remanere: Quia nihil, inquit, habeo, quod ſenectuti meam accuſem. Quid iſto tractu ætatis aut longius, aut beatius? Iam alterũ ſeculum ingreſſus, neq; in hoc querelã ullam inuenit, neq; in illo reliquit.

De Xenophilo Chalcidenſi Pythagorico.

Biennio minor Xenophilus Chalcidẽſis Pythagoricus, ſed felicitate non inferior: ſiquidem (ut ait Ariſtoxenus muſicus) omnis humani incõmodi expers, in ſummo perfectiſſimæ ſplendore doctrinæ extinctus eſt.

De Arganthonio Gaditano.

Arganthonius autẽ Gaditanus tandiu regnauit, quandiu etiam ad ſatietatem uiuiſſe abundè foret. Octoginta enim annis patriam ſuam rexit, cùm ad imperium ſexaginta annos natus acceſſiſſet: cuius rei certi ſunt autores. Aſinius etiam Pollio nõ minima pars Rom. ſtyli in tertio hiſtoriarum ſuarum libro, centum illum & triginta annos expleuiſſe commemorat: & ipſe numeroſæ uiuacitatis haud paruum exemplum.

De Aethiopibus, & Indis.

Huius regis conſummationem annorũ minus admirabilem faciunt Aethiopes: quos Herodotus ſcribit centeſimum & trigeſimum annum tranſgredi: & Indi, de quibus Cteſias idem tradit.

De Epimenide Cnoſio.

Et Epimenides Cnoſius, quem Theopompus dicit ſeptem & quinquaginta & centum annos uixiſſe.

De quibuſdam Epiorum.

Hellanicus uerò ait quoſdã ex gente Epiorum, quæ eſt pars Aetoliæ, ducentos explere annos. eiq; ſubſcribit Damiates, hoc amplius firmans, Litorium quendam ex his maximarum uirium, ſtaturæq; præcipuæ trecenteſimũ annum cumulaſſe.

De Dandone quodam.

Alexander uerò in eo uolumine, quod de

Illy-

Illyrico tractu composuit, affirmat Dandonem quendam ad quingentesimum usque annum nulla ex parte senescentem processisse. Sed multò liberalius Xenophon, cuius περὶ γήρως legitur. Is enim Latinorum regem octingentis uitæ annis donauit: ac ne pater eius parum benignè acceptus uideretur, ei quoque sexcentos assignauit annos.

DE CVPIDITATE GLORIAE. CAPVT XV.

Gloria uerò unde oriatur, aut cuius sit habitus, aut qua ratione debeat comparari, & an melius à uirtute, uelut non necessaria, negligatur: uiderint ij, quorum in contemplandis huiusmodi rebus cura teritur: quibus & etiam quæ prudenter animaduerterũt, facundè contigit eloqui. Ego in hoc opere factis autores, & autoribus facta sua reddere contentus, quanta cupiditas eius esse soleat, propriis exemplis demonstrare conabor.

De superiore Africano.

Superior Africanus Ennij poëtæ effigiem in monimentis Corneliæ gentis collocari uoluit, quòd ingenio eius opera sua illustrata iudicaret: non quidem ignarus quandiu Romanum imperium floreret, & Africa Italiæ pedibus esset subiecta, totius q; terrarũ orbis summum culmen arx Capitolina posßideret, eorum extingui memoriam non posse: si tamen illis literarum

terarum quoq; lumen accessisset, magni æstimans: Vir Homerico, quàm rudi atque impolito præconio dignior.

De Decio Bruto.

Similiter honoratus animus erga poëtã Accium Decij Bruti suis tẽporibus clari ducis extitit: cuius familiari cultu, & prompta laudatione delectat⁹, eius uersibus templorũ aditus, quæ ex manubijs consecrauerat, adornauit.

De Pompeio Magno.

Ne Pompeius quidem Magnus ab hoc effectu gloriæ auersus: qui Theophanem Mitylenæum scriptorem rerum suarum in concione militum ciuitate donauit: beneficiũ per se amplum, accurata etiã, & testata oratione prosecutus. Quo effectum est, ut nequis dubitaret, quin referret potius gratiam, quàm inchoaret.

De L. Sylla.

Lucius autem Sylla, etsi ad neminem scriptorum animum direxit, tamen Iugurtha à Bocchо rege ad Marium perducto, totam sibi laudem cupidè asserit: ut annulo, quo signatorio utebatur, scalptam illam traditionem haberet: & quãtus postea? ne minimum quidem gloriæ uestigium contempsit.

De Scipione, & quodam equite.

Atq; ut imperatorib⁹ glorioſum militis ſpiritũ ſubnectã, Scipionẽ dona militaria ijs qui ſtrenuã operam ediderant, diuidentem, T. Labienus

bienus, ut forti equiti aureas armillas tribueret, admonuit: eoq; se negãte id facturũ, ne castrẽsis honos in eo, qui paulò antè seruisset, uiolaretur: ipse ex præda Gallica aurũ equiti largitus est: nec tacitè id Scipio tulit: nam equiti, Habebis, inquit, donũ uiri diuitis: quod ubi ille accepit, proiecto ante pedes Labieni auro, ultum demisit. Idem ut audiuit Scipionẽ dicentẽ, Imperator te argenteis armillis donat: alacer gaudio abijt. Nulla est ergo tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ nõ tãgatur: illa uerò et à claris uiris ũerdũ ex humillimis rebꝰ petita est.

De Q. Fabio.

Nam quid sibi uoluit Caius Fabius nobilissimus ciuis? qui cùm in ade Salutis, quam C. Iunius Bubulcus dedicauerat, parietes pinxisset, nomẽ his suũ inscripsit. Id enim demum ornamenti familiæ consulatibus, & sacerdotijs, & triũphis celeberrimæ deerat: cæterùm sordido studio deditum ingenium, qualemcunque illum laborem suum silentio obliterari noluit: uidelicet Phidiæ secutus exemplum, qui clypeo Mineruæ effigiem suam inclusit: qua cõuulsa, tota operis colligatio solueretur.

EXTERNA.

De Themistocle.

Sed melius aliquãto, si imitatione aliena capiebatur, Themistoclis ardorẽ esset æmulatus: quem ferunt stimulis uirtutũ agitatum, & ob id

id noctes inquietas exigentẽ, quærentibus quid ita eo tempore in publico uersaretur, respõdisse, Quia me trophæa Miltiadis de somno excitant. Marathon nimirũ animũ eius, & Arthemisium, & Salamis naualis gloriæ fertilia nomina illustranda tacitis facibus incitabãt. Idem theatrum petens, cùm interrogaretur, cuius uox auditu illi futura esset gratissima, dixit, eius à quo artes meæ optimè canerentur. Dulcedini gloriæ penè adiecit gloriam.

De Alexandro rege.

Nam Alexãdri pectus insatiabile laudis, qui Anaxarcho comiti suo ex autoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos esse referenti, Heu me, inqt, miserũ, qꝯ ne uno quidẽ adhuc sum potitus. Angusta homini possessio gloriæ fuit, quæ deorũ omniũ domicilio sufficit.

De Aristotele Philosopho.

Regis & iuuenis flagrantissimæ cupiditati similem Aristotelis in capessenda laude sitim subnectam. Is nanq; Theodecti discipulo oratoriæ artis libros, quos ederet, donauerat: molesteq; postea ferens titulum eorũ sic alij cessisse: proprio uoluimine quibusdam rebus insistens, planius sibi de his in Theodectis libris dictum esse adiecit. Nisi me tantæ & tam latè patẽtis scientiæ uerecũdia teneret, dicerem dignũ philosophum, cuius stabiliendi mores, altioris animi philosopho traderentur. Cæterùm gloria ne

ab

ab ijs quidem, qui cõtemptum eius introducere conantur, negligitur: quoniã quidem ipsis uoluminibus nomina sua diligenter adijciunt, ut quod professione eleuant, usurpatione memoriæ cõsequantur. Sed qualiscunq; horum dissimulatio, proposito illorum longè tolerabilior est, qui dum æternam memoriam assequerentur, etiam sceleribus innotescere non dubitarunt.

De Pausania.

Quorum è numero nescio an in primis Pausanias debeat referri: nã cùm Hermoclem percõtatus esset, quonam modo subitò clarus posset euadere: atq; is respondisset: si illustrem uirum aliquem occidisset, futurum ut gloria eius ad ipsum redundaret: continuò Philippum interemit. & quidẽ quod petierat, assecutus est: tam enim se parricidio, quàm Philippus uirtute notum posteris reddidit.

De quodam, qui propter gloriam incendere uoluit templum Dianæ.

Illa uerò gloriæ cupiditas sacrilega: inuẽtus est enim qui Dianæ Ephesiæ templum incendere uellet, ut opere pulcherrimo cõsumpto, nomen eius per totum terrarum orbem diffunderetur: quem quidem mentis furorem eculeo impositus detexit. ac bene consuluerant Ephesij, decreto memoriã teterrimi hominis abolendo: nisi Theopompi magnæ facũdiæ ingenium in historijs eum suis comprehendisset.

QVAE

QVAE CVIQVE MAGNIFICA contigerunt. CAP. XVI.

Candidis autem animis uoluptatẽ præbuerunt in conspicuo posita, quæ cuique magnifica meritò contigerunt: quia æquè præmiorum uirtus atq; honorũ contemplatio iudicanda est, ipsa natura nobis alacritatẽ subministrante, cùm honorem industriæ appeti, & exoluũ gratè uidemus. Verùm etsi mens hoc loco protinus ad angustã domum beneficentissimum & honoratissimũ templum omni impetu fertur, melius cohibebitur: quoniam cui ascensus in cœlum patet, quãuis maxima, tamen debito minora sunt, quæ in terris tribuũtur.

De superiore Africano.

Superiori Africano consulatus citerior legitimo tẽpore datus est, quod fieri oportere exercitus Senatum literis admonuit. Ita nescias utrum illi plus decoris patrũ conscriptorũ auctoritas, an militũ consiliũ adiecerit: toga enim Scipionẽ ducẽ aduersus Pœnos creauit, arma poposcerũt: cui quæ in uita præcipua assignata sunt, & longum est referre, quia multa: & non necessariũ, quia maiore ex parte iã relata sunt. Itaq; qd hodie quoq; eximiũ eius memoria capit: adijciã. Imaginẽ in cella Iouis OPT. MAX. posità habet, quæ quotiescunq; munus aliquod Corneliæ gentis celebrandum est, inde petitur, uniq; illi instar Atrij Capitolium est.

Tam hercle, quàm curia, superioris Catonis effigies, ad eius generis officia expromitur. Gratum ordinem, qui utilissimum Reipublicæ Senatorem tantum non semper secum habitare uoluit: omnibus numeris uirtutis diuitem magisq; suo merito, quàm fortunæ beneficio magnum: cuius priùs consilio, quàm Scipionis imperio est deleta Carthago.

De Scipione Nasica.

Verum specimen honoris à Scipione quoque Nasica oboritur: eius nanq; manibus, et penatibus nondum quæstoris, Senatus Pythij Apollinis monitu, Pessinũte accersitam Deam excipi uoluit: quia eodem oraculo præceptũ erat, ut hæc mysteria matris Deũm à sanctissimo uiro præstarentur. Explica totos fastos, consule omnes currus triumphales, nihil tamen eorum principatu speciosius reperies.

De Scipione Aemyliano.

Tradunt subinde nobis ornamenta sua Scipiones commemoranda. Aemylianum enim populus ex candidato ædilitatis, Consulem fecit: eundemq;, cùm quæstorijs comitijs suffragator Q. Fabij, Marci fratris filij, in campum descendisset, Consulẽ iterum reduxit. Eidẽ senatus bis sine sorte priùs Africam, deinde Hispaniam dedit. Atq; hæc neq; ciui cupido, neq; senatori ambitioso: quẽ admodum non solùm uitæ, eius sincerissimus cursus, sed etiam mors clandestinis illata insidijs declarauit.

De M. Valerio.

Marcum quoq; Valeriũ duabus rebus insignibus Dij pariter, atq; ciues speciosum reddiderunt: illi cum quodã Gallo cominus pugnãti Corui pugnatorem subijcientes: ij tertium & uigesimum annum ingresso, consulatum largiti: quorum alterum decus uetustæ originis optimi hominis gens Coruina amplexa cognomen usurpat: alterum summo subiungitur ornamento, tam celeritate, quàm principio consulatus gloriando.

De Q. Scævola.

At ne Quinti quidem Scævolæ, quem Lucius Crassus in consulatu collegam habuit, gloria parum illustris: qui Asiam tam sanctè, & fortiter obtinuit, ut senatus deinceps in eã prouinciam ituris magistratibus, exemplũ, atque formã officij Scævolã decreto suo proponeret.

De Caio Mario.

Inhærent illi uoci posterioris Africani, sepiẽ C. Marij consulatus, ac duo amplissimi triũphi: ad rogũ enim usq; gaudio exultauit: qui, cùm apud Numantiam sub eo duce stipendia equestria mereret, & fortè inter cœnam quidã Scipionem interrogasset, si quid illi accidisset, quemnam Respub. æquè magnũ habitura esset Imperatorẽ: respiciens se supra ipsum cubantẽ, uel hũc, dixit. quo augurio perfectissimauirtus,

maximam orientem uirtutem, uiderit'ne cer-
uius, an efficacius acciderit, perpendi uix po-
test. Illa nimirum cœna militaris, speciosissi-
mas tanta in urbe Mario futuras cœnas omi
nata est. Nam postquàm Cimbros ab eo dele-
tos initio noctis nuntius peruenit, nemo fuit, qui
non illi tanquam Dijs immortalibus, apud sa-
cra mensæ suæ libauerit.

De Cn. Pompeio.

Iam quæ in Cneum Pompeium & ampla,
& noua gesta sunt, hinc assensione fauoris, il-
dinc fremitu inuidiæ literarũ monimentis ob-
strepitur. Eques Romanus, Procõsul in Hispa
niam aduersus Sertoriũ, pari imperio cum Pio
Metello principe ciuitatis missus est: nondum
illum honorẽ auspicatus bis triumphauit: Ini-
tia magistratuum à summo imperio cepit: ter-
tium consulatum decreto senatus solus gessit.
De Mithridate, & Tigrane, de multis præ-
terea regibus, & gentibus, plurimisq; ciuitati
bus, & prædonibus unum duxit triumphum.

De Q. Catulo.

Quintum etiam Catulum populus Romanus
uoce sua tantũ non ad sidera usq; euexit. Nam
cùm ab eo pro Rostris interrogaretur, si in uno
Pompeio Magno omnia reponere perseueras-
set: absumpto illo subiti casus incursu, in quo
spem esset habiturus, summo consensu accla-
mauit, In te. Vim honorati iudicij admirabi-
lem

lem: siquidem Magno Pompeio cum omnibus
ornamentis quæ retuli, duarum syllabarum
spatio inclusum Catulum aquauit.

De M. Catone.

Potest & M. Catonis, è Cypro cum regia pe
cunia reuertentis appulsus ad ripam Tyberis
memorabilis uideri: cui naue egredienti Consu
les & cæteri magistratus, & uniuersus S. P.
Q. R. officij gratia præsto fuit: non quòd magnũ
pondus auri & argenti, sed quòd M. Catonẽ
classis illa incolumem aduexerat, lætatus.

De Lucio Martio.

Sed nescio an præcipuum sit L. Martij inusi
tati decoris exẽplum, quem equitem Romanũ
duo exercitus P. & Cn. Scipionũ interitu, ui-
ctoriaq; Hasdrubalis lacerati, ducẽ legerunt:
quo tempore salus eorum in ultimas angustias
deducta, nullum ambitioni locum relinquebat.

De Sulpitia.

Meritò commemorationi uirorum Sulpitia,
Seruij Paterculi filia, Q. Fuluij Flacci uxor,
adijcitur: quæ, cùm senatus libris Sibyllinis per
decemuiros inspectis censuisset, ut Veneris Ver
sicordiæ simulacrum consecraretur, quo faci-
lius uirginum mulierumq; mens à libidine ad
pudicitiam conuerteretur, & ex omnibus ma-
tronis centum, ex centum autem decem sorte
ductæ, de sanctissima fœmina iudicium fa-
cerent, cunctis castitate prælata est.

EXTERNA. De Pythagora.

Cæterùm quia sine ulla diminutione Romanæ maiestatis, externa quoque insignia respici possunt, ad ea trãsgrediamur. Pythagoræ tanta veneratio ab auditoribus tributa est, ut quæ ab eo acceperant, in disputationem deducere nefas existimarent: quinetiam interpellati ad reddendam causam hoc solum respondebant, αὐτὸς ἔφη. Magnus honos, sed schola tenus. Illa urbium suffragijs tributa est.

De eodem.

Enixo Crotoniatæ studio ab eo petierunt, ut senatum ipsorum, qui mille hominum numero constabat, consilijs suis uti pateretur, opulentissimaq; ciuitas tam frequenter uenerati post mortem, domum eius Cereris sacrarium fecerunt: quamq; illa urbs uiguit, & Dea in hominis memoria, et homo in Deæ religione cultus est.

De Gorgia Leontino.

Gorgiæ uerò Leontino studijs literarũ ætatis suæ cunctos præstanti, adeò ut primus in conuentu poscere, qua de re quisque audire uellet, ausus sit, uniuersa Græcia in templo Delphici Apollinis statuam solido ex auro posuit, cùm cæterorum ad id tempus auratas collocasset.

De Amphiarao.

Eadem gens summo consensu ad Amphiaraũ decorandũ incubuit, locũ, in quo humatus est, in formam conditionemq; templi redigendo, atq; inde oracula capi instituendo. eius cineres idẽ honoris possidẽt, quod Pythicæ Cortinæ, qd aheno Dodonæ, quod Hammonis fonti datur.

De Berenice.

Berenices quoq; non uulgaris honos, cui solẽ omnium fœminarum gymnico spectaculo interesse permissum est, cùm ad Olympia filium Euclea certamẽ ingressum adduxisset, Olympionica patre genita, fratribus eandem palmã assecutis latera eius cingentibus.

VALERII MAXIMI LIBER NONVS.

DE LVXVRIA. CAP. I.

BLANDVM etiam malũ luxuria, quam accusare aliquantò facilius est, quàm uitare, operi nostro inseratur: non quidem ut ullum honorem recipiat, sed ut seipsam recognoscens ad pœnitẽtiam impelli possit. Iungatur illi libido: quoniam ex ijsdem uitiorum principijs oriuntur neq; aut à reprehensione, aut ab emendatione separentur gemino mentis errore connexæ.

De C. Sergio Orata.

Caius Sergius Orata pensilia balnea primus facere instituit: quæ impensa leuibus initijs cœpta, ad suspensa calidæ aquæ tantum non aquora penetrauit. Idem uidelicet ne gulam

Neptuni arbitrio subiectã haberet, peculiariã sibi maria excogitauit, æstuarijs intercipiendo fluctus, piscium que diuersos greges separatis molibus includẽdo, ut nulla tam sæuæ tẽpestas incideret, quæ nõ oneratæ mensæ uarietate pisciculorũ abundarent. Ædificijs etiã spatiosis, & excelsis deserta ad tẽpus ora Lucrini lacus pressit, quo recẽtiore usu conchyliorũ frueretur: ubi dũ se publicæ aquæ cupidius immergit, Considij publicani iudiciũ nactus est, in quo Lucius Crassus aduersus illum causam agẽs, errare amicũ suum Considiũ dixit, quòd putaret Oratam remotũ à lacu, cariturũ ostris: nanq; ea, si inde petere non licuisset, in tegulis reperturũ. Huic nimirũ magis Æsopus tragœdus in adoptionem dare filiũ suum, quàm bonorum suorum hæredem relinquere debuit: non solùm perditæ, sed etiam furiosæ luxuriæ iuuenem: quem constat cantu commendabiles auiculas immanibus emptas pretijs, in cœna pro ficedulis ponere, acetoq; liquatos magnæ summæ uniones potionibus aspergere solium, amplissimum patrimonium, tãquam amaram aliquam sarcinã, quàm celerrimè abijcere cupientem: quorum alterius senis, alterius adolescentis sectam secuti, longius manum porrexerunt: neque enim ullum finitur uitium ibi, ubi oritur. Inde ab Oceani littorib⁹ attracti pisces, inde infusæ culinis arcæ, censibusq; edendi atque

que bibendi uoluptas reperta est.

De mulieribus Romanis.

Vbi autem nostræ secundi belli Punici finis, & Philippus rex Macedoniæ deuictus, licentioris uitæ fiduciam dedit: quo tẽpore matronæ Brutorum domũ ausæ sunt obsidere, qui abrogationi legis Oppiæ intercedere parati erant, quam fœminæ tolli cupiebant: quia his nec uestis uarij coloris uti, nec auri plus semiuncia habere, nec iuncto uehiculo propius urbẽ mille pass⁹, nisi sacrificij gratia uehi permittebat. Et quidẽ obtinuerunt, ut ius per continuos uiginti annos seruatum aboleretur: nec enim prouiderunt seculi illius uiri, ad quẽ cultum tenderet insoliti cœtus pertinax studium, aut quò se usq; effusura esset legũ uictrix audacia. quòd si animi muliebris apparatus inueri potuissent, quibus quotidie aliquid nouitatis sumptuosius adiectum est, in ipso introitu ruenti luxuriæ obstitissent. Sed quid ego de fœminis ulterius loquor? quas & imbecillitas mentis, & grauiorum operum negata affectatio, omne studiũ ad curiosiorẽ sui cultũ hortatur conferre: cùm temporum superiorũ & nominis, & animi excellentes uiros, in hoc prisci continentiæ ignotum diuerticulum prolapsos uideam: idq; iurgio ipsorum pateat.

De Cn. Domitio, & L. Crasso.

Cneus Domitius Lucio Crasso collegæ suo,

altercatione orta, obiecit, quòd columnas Hymettias in porticus domus haberet, quæ cùm continuò Crassus, quanti ipse domum suam æstimaret, interrogaret: atq; ut respondit sexagies sestertio: Quo ergo eam, inquit, minoris fore æstimas, si decem arbusculas inde succidero? ipse tricies sestertio inquit Domitius. Tunc Crassus: Vter igitur luxuriosior est: ego'ne, qui decem columnas centum millibus nummùm emi, an tu qui decem arbusculas umbram tricies sestertiùm summa compensas? Sermonē oblitum Pyrrhi, immemorē Annibalis, iamq; transmarinorum stipendiorū abundantia oscitantem: & quanto tamen insequentium seculorum ædificijs & nemoribus augustiorem vitum introduxerunt? Atqui inchoatā à se lautitiam posteris relinquere, quàm à maioribus acceptam continentiam retinere maluerunt.

De Metello Pio.

Quid enim sibi voluit princeps suorū temporum Metellus Pius, tunc cùm in Hispania aduectus, suos ab hospitibus avis & ture excipi patiebatur, cùm Attalicis aulæis cōtectos parietes læto animo intuebatur? cùm immanib⁹ epulis apparatissimos interponi ludos sinebat? cùm palmata veste cōuiuia celebrabat? demissasq; lacunaribus aureas coronas velut cœlesti capite recipiebat? & ubi ista? nō in Græcia, neq; in Asia, quarū luxuria seueritas ipsa corrūpi poterat

terat: sed in horrida, & bellicosa prouincia: cùm præsertim acerrimus hostis Sertorius, Romanorū exercituum oculos Lusitanis telis perstringeret: adeò patris illi sui Numidica castra exciderant. Patet igitur, quàm celeri transitu luxuria affluxerit. Nam cuius adolescentiæ priscos mores uidit senectus nouos orsa est.

De Curionibus.

Consimilis mutatio in domo Curionum extitit: Siquidem ferum nostrū & patris grauissimum supercilium, & filij sexcenties sestertiùm æris alieni aspexit, contractum famosa iniuriæ nobilium iuuenum. Itaq; eodem tempore, & in iisdem penatibus diuersa secula habitarunt, frugalissimum alterum, alterum nequissimum.

De P. Clodio.

Publij autem Clodij iudicium quanta luxuria, & libidine abundauit? in quo ut euidenter incesti crimine nocēs reus absolueretur, noctes matronarum, & adolescentium nobilium magna summa empta mercedis loco iudicibus erogatæ sunt: quo in flagitio tam tetro, tamq; multiplici, nefarias primum quem detestere. an qui istud corruptelæ genus excogitauit, an qui pudicitiam sequestrem periurij fieri passi sunt, an qui religionem stupro permutarunt.

De Gemello Tribunitio.

Aequè flagitiosum illud conuiuium, quod Gemellus Tribunitius uiator ingenui sanguinis,

nis sed officij intra seruilem habitum deformis. Metello & Scipioni Consulibus, ac Trib. ple. magno cum rubore ciuitatis comparauit: lupanari enim domi suæ instituto, Mutiam, & Fulviam tum à patre, tum à uiro utranque inclytam, & nobilem puerum Saturninum in eo prostituit: probrosa prosapiæ corpora, ludibrio temulentæ libidinis futura: epulas Consulibus & Tribunis non celebrandas, sed uindicãdas.

De Catilina.

Verùm præcipuè Catilinæ libido scelesta: nã uesano amore Aureliæ Orestillæ corruptus, cùm unũ impedimentũ uideret, quò minus nuptijs inter se iungerẽtur, filium suum, quem & solum, & ætate iam puberem habebat, ueneno sustulit: protinusq; ex rogo eius maritalem facem accendit, ac nonæ maritæ orbitatem suam loco muneris erogauit: eodẽ deinde animo ciuem gerẽs, quo patrem egerat: filij pariter manibus, & nefariè attẽtatæ patriæ pœnas dedit.

De Annibale.

At Campana luxuria perquàm utilis ciuitati nostræ fuit. Inuictum enim armis Annibalem illecebris suis complexa, uincendum Romano militi tribuit. Illa uigilantissimum ducem, illa exercitũ acerrimum dapibus largis, abundanti uino, unguentorum fragrantia, ueneris usu lasciuiore ad somnũ, & delicias euocauit. ac tum demum fracta & contusa Punicæ

ca feritas est, cùm Seplasia ei & Albana castra esse cœperũt. Quid ergo his uitijs fœdius? quid etiã damnosius? quibus uirtus atteritur, uictoriæ languescunt, sopita gloria in infamiã conuertitur, animiq; pariter, & corporis uires expugnantur: adeò, ut nescias ab hostibus ne, an ab illis capi perniciosius habẽdũ sit.

De Volsinienſibus.

Quæ etiam Volsinienſium urbem grauibus, & erubescendis cladibus implicarunt. erat opulenta, erat moribus, & legibus ornata, Heturiæ caput habebatur: sed postquam luxuriæ prolapsa est, in profundum inturiarum, & turpitudinis decidit, ut seruorum se insolentissimæ dominationi subijceret, qui primum admodum pauci senatorium ordinem intrare ausi, & mox uniuersam Rempublicam occupauerunt: testamenta ad arbitrium suum scribi iubebãt: conuiuia, cœtusq; ingenuorum fieri uetabant: filias dominorum in matrimonium ducebant: postremò lege sanxerunt, ut stupra sua in uiduis pariter, atq; nuptis impunita essent, ac ne qua uirgo ingenuo nuberet, cuius castitatem non antè ex numero ipsorum aliquis delibasset.

De Xerxe.

Age Xerxes opum regiarum ostentatione eximia, eò usq; luxuria gaudẽs, ut edicto præmium ei proponeret, qui nouum uoluptatis genus reperisset: quanta, dum delicijs nimijs capitur,

tur, amplissimi imperij ruina euasit?

De Antiocho rege Syriæ.

Antiochus quoq; Syriæ Rex nihilo cõtemptioris exempli: cuius cecam & amentem luxuriam exercitus imitatus, magna ex parte aureos clauos crepidis subiectos habuit: argenteaq; nasa ad usum culinæ comparauit: & tabernacula textilibus sigillis adornata stauit, auaro potius hosti præda optabilis, quàm illa ad incendum strenuo mora.

De Ptolemæo rege Aegypti.

Iam Ptolemæus Rex accessione uitiorum suorũ uixit. Idcoq; Physcon appellatus est, cuius nequitia quid nequius? sororem natu maiorem cõmuni fratri nuptam, sibi nubere coëgit: postea deinde filia eius per uim stuprata ipsam dimisit, ut uacuum locũ nuptijs puellæ faceret.

De Populo Aegypti.

Consentaneus igitur Regibus suis, gentis Aegyptiæ populus, qui ductu Archelai adcursus Aul. Gabinium mœnibus urbis egressus, cùm castra uallo atq; fossa cingere iuberet, uniuersus succlamauit, ut id opus publica pecunia faciendum locaretur: quapropter delicijs tam enerues animi, spiritum exercitus nostri sustinere non potuerunt.

De Cypriis.

Sed tamen effœminatior multitudo Cypriorum, qui reginas suas mulierum corporibus uelut

uelut gradibus constructis, quò mollius uestigia pedum ponerent, currus conscendere æquo animo sustinebãt. uiris enim, si modò uiri erãt, uita carere, quàm tam delicato imperio obtemperare satius fuit. Hæc est societas uitiorum lasciui uultus, & nouæ cupiditati inhærentium oculorum, ac delicato uultu affluentis, per quæ uarios illecebrarum motus uolitantis animi.

DE CRVDELITATE.

CAPVT II.

CRudelitatis uerò horridus habitus, truculenta species, uiolẽti spiritus, uox terribilis, omnia minis & cruẽtis imperijs referta: cui silentiũ donare, incremẽtum est adijcere. etenim quem modum sibi ipsa statuet, si ne sugillationis quidem fræni fuerit reuocata? ad summã, cùm penes illam sit timeri, penes non sit odisse.

De L. Sylla.

Lucius Sylla, quem neq; laudare, neq; uituperare quisquam satis dignè potest: quia dum quærit uictorias, Scipionem se populo Romano dum exercet, Annibalem repræsentauit: egregiè nãq; autoritate nobilitatis defensa, crudeliter totam urbem, atq; omnes Italiæ partes ciuilis sanguinis fluminibus inundauit: quatuor legiones contrariæ partis fidem suam secutas, in publica uilla, quæ in Martio cãpo erat, nequicquam fallacis dextræ misericordiam implorãtes, obtruncari iussit: quarum lamẽtabiles que-

ritatus

ritatus trepidæ ciuitatis aures receperũt: lacerata ferro corpora Tyberis impatiẽs tanti oneris cruentatis aquis uehere coactus est. Quinq; millia Prænestinorum spe salutis per P. Ceheguũ data, extra mœnia municipij euocatos, cùm abiectis armis humi corpora prostrauissent, interficienda protinus q; per agros dispergenda curauit. Quatuor millia & septingentos diræ proscriptionis edicto iugulatos in tabulas publicas retulit, uidelicet ne memoria tã præclaræ rei diluueretur. Nec contentus in eos sæuire, qui armis à se dissenserant, etiã quieti animi ciues, propter pecuniæ magnitudinẽ, per nomẽclatorem conquisitos, proscriptorum numero adiecit. Aduersus mulieres quoq; gladios distrinxit: quasi parum cædibus uirorũ satiatus. Id quoq; inexplebilis feritatis indicium est: abscissa miserorum capita, modò nõ uultum, ac spiritum retinentia, in conspectum suum afferri uoluit: ut oculis illa, quia ore nefas erat, mãderet. Quàm porrò crudeliter se in M. Mario Prætore gessit? quem per ora uulgi ad sepulcrum Luctatiæ gentis pertractum, non prius uita priuauit, quàm oculos infelicis erueret, & singulas corporis partes cõfringeret. Vix mihi uerisimilia narrare uideor. At ille etiã M. Pletoriũ, quòd ad eius supplicium exanimis ceciderat, continuò ibi mactauit. nouus punitor misericordiæ, apud quem iniquo animo scelus intueri, scelus admitte

admittere fuit. Sed mortuorum umbris saltem pepercit? minimẽ. Nam C. Marij, cuius etsi postea hostis, Quæstor tamen aliquando fuerat, erutos cineres in Anienis alueum sparsit: ex quibus actis felicitatis nomẽ asserendũ putauit.

De Caio Mario.

Cuius tamen crudelitatem C. Marij inuidiæ leuat: nam & ille nimia cupiditate persequendi inimicos, iram suam nefariè distrinxit, C. Cæsaris Consularis, & Censorij nobilissimum corpus ignobili sæuitia trucidando, & quidem apud seditiosissimi, & abiectissimi hominis Varij bustum: id enim malorum miseriæ tũc Reipublicæ deerat, ut Varij Cæsar piaculo caderet. Penè tanti victoriæ eius non fuerunt: quarum oblitus plus criminis domi, quàm laudis in militia meruit. Idem caput M. Antonij abscissum suis manibus inter epulas per summam animi, ac uerborum insolentiam aliquãdiu tenuit: clarissimi'que & ciuis, & oratoris sanguine cõtaminari mensæ sacra passus. Atque etiam P. Annium, qui id attulerat, in sinũ suũ, recentis cædis uestigijs aspersum, recepit.

De Damasippo.

Damasippus nihil laudis habuit, quod corruperet: itaq; memoria eius licentiore accusatione perstringitur, cuius iussu principũ ciuitatis capita hostiarũ capitibus permista sũt. Carbonisq; Aruinæ trucũ corpus patibulo affixũ

gestatum est: adeò aut flagitiosissimi hominis Prætura multũ, aut Reip. maiestas nihil potuit.

De Numatio Flacco Romano.

Numatius enim Flaccus Pompeiani nominis acrior, quàm probabilior defensor, cùm ab Imperatore Cæsare in Hispania inclusus mœnibus Attinguensium obsideretur, efferatam crudelitatem suam truculentissimo genere ueſaniæ exercuit: omnes enim eius oppidi ciues, quos studiosiores Cæsaris senserat, iugulatos, muris præcipitauit: fœminas quoq; citatis nominibus uirorum, qui in contrarijs castris erant, ut cædes coniugum suarum cernerent, & maternis gremijs superpositos liberos trucidauit. Infantes alios in conspectu parentum humo infigi, alios superiactos pilis excipi iussit: quæ auditu etiam intolerabilia, Romano iussu Lusitanis manibus administrata sunt: cuius generis præsidio Flaccus uallatus, diuinis operibus, uecordi pertinacia resistebat.

EXTERNA.

De Carthaginiensibus.

Trãsgrediamur nunc ad illa, quibus, ut par dolor, ita nullus nostræ ciuitatis rubor inest. Carthaginienses Attilium regulum palpebris resectis, machinâ, in qua undiq; præacuti stimuli eminebant, inclusum, uigilantia pariter & continuo tractu doloris necauerunt. Tormenti genus indignũ passo, autoribus dignissimum.

Eadem crudelitate usi in milites nostros, Martis certamine in suam potestatem redactos, nauibus substrauerunt, ut earum carinis, ac pondere elisi, inusitata ratione mortis barbaram feritatem satiarent: tetro facinore, pollutis classibus ipsum mare uiolaturi.

De Annibale.

Horũ dux Annibal, cuius maiore ex parte uirtus sæuitia cõstabat, in flumine Gelo corporibus Romanis ponte facto, exercitum traduxit: ut æquè terrestrium scelestum Carthaginiensium copiarum egressum terra, quàm maritimarum Neptunus experiretur. Idem capituos nostros oneribus & itinere fessos iam prima pedum parte succisa relinquebat. Quos uerò in castra perduxerat, paria fratrum, & propinquorum iungens, ferro decernere cogebat: neq; antè sanguine explebatur, quàm ad unum uictorem omnes redegisset. Iusto ergo illum odio, ueruntamen tardo supplicio Senatus Prusiæ regi factum supplicem, ad uoluntariam mortem compulit.

De rege Mithridate.

Tam hercle, quàm Mithridatem regem, qui una epistola octoginta millia ciuium Romanorum in Asia, per urbes negotiandi gratia dispersa, interemit: tantæq; prouinciæ hospitales Deos, iniusto, sed non inulto cruore respersit: quoniam cum maximo cruciatu uene-

no repugnãtem spiritũ suum tandem succũbere coëgit. Simulq; piacula crucibus illis dedit: quibus illos amicos suos autore Gauro sp̃adone libidinosus obsequio. scelestus imperio affecerat.

De gentis Thraciæ regina.

Numulisinus Diogiridis filiæ Thraciæ regis etsi minus admirabilem crudelitatem gentis ipsius feritas, narrandam tamen rabies sæuitiæ facit: cui neque uiuos homines medios secare, neque parentes liberorum uesci corporibus nefas fuit.

De Ptolemæo rege Aegypti, & de Cleopatra.

Iterum Ptolemæus Physcon emergit, paulò antè libidinosæ amẽtiæ teterrimum exemplum: idem etiam inter præcipua crudelitatis indicia referendus. Quid enim hoc facto truculentius? filium suum nomine Memphitem, quem ex Cleopatra eadem sorore & uxore sustulerat, liberalis formæ, optimæ spei puerum in conspectu suo occidi iussit: pedes eius præcisos, & caput, & manus in cistam chlamyde opertos pro munere natalitio matri misit: perinde quasi ipse cladis, quam illi inferebat, expers, ac nõ infelicior, quòd in communi orbitate Cleopatram miserabilem, cunctis se inuisum redderet. Adeò cæco furore summa quæq; efferuescit crudelitas, cui munimentum ex seipsa repe rit. Nam cùm animaduerteret, quanto suo odio patriæ

patria teneretur, timori remedium scelere petiuit: quoq; tutius plebe trucidata regnaret, frequens iuuentute gymnasium armis & igni circundedit, omnesq; qui in eo erant, partim ferro, partim flamma necauit.

De Ocho dicto Dario.

Ochus autem, qui postea Darius appellatus est, sanctissimo Persis iureiurando obstrictus, ne quem ex coniuratione, quæ septem magos cum eo oppresserat, aut ueneno, aut ferro, aut ulla ui, aut inopia alimentorum necaret: crudeliorem mortis rationem excogitauit, quæ hos iuncto sibi, non perrupto uinculo religionis tolleret: septum enim altis parietibus locum cinere compleuit, suppositoq; tigno prominente, benigno cibo, & potione exceptos in eo collocabat, è quo somno sopiti, in illam insidiosam congeriem decidebant.

De Ocho Artaxerxe.

Apertior, & tetrior alterius Ochi cognomine Artaxerxis crudelitas, qui Ocham sororem, atq; eandem socrum, uiuam capite defodit: & patruum cum centum & amplius filijs, ac nepotibus uacua area destitutum iaculis confixit: nulla iniuria lacessitus, sed quòd in his maximam apud Persas probitatis, & fortitudinis laudem consistere uidebat.

De Athenienſibus.

Consimili genere æmulationis instincta ciui-

tas Atheniensium, indigno gloriæ suæ decreto Aeginensium iuuentuti pollices abscidit: ut classe potens populus, in certamen maritimarum uirium secum descendere nequiret. Non agnosco Athenas timori remedium à crudelitate mutuantes.

De inuentore ænei tauri.

Sæuus etiam ille ænei tauri inuentor, quo inclusi subditis ignibus, longo & abdito cruciatu, mugitus resonantem spiritũ edere cogebãtur, ne eiulatus eorum humanæ sono uocis expressi, Phalaridis tyranni misericordiam implorare possent: quam, quia calamitosis deesse noluit, teterrimum artis suæ opus primus artifex inclusus meritò auspicatus est.

De Hetruscis.

At ne Hetrusci quidem parũ feroces in pœna excogitanda, qui uirorum corpora cadueribus aduersa aduersis alligata, atq; constricta, ita ut singulæ membrorum partes, singulis essent accommodatæ, tabescere simul patiebãtur: amari uitæ pariter, ac mortis tortores.

De Barbaris.

Sicut illi Barbari, quos ferunt mactatarum pecudum intestinis, & uisceribus egestis, homines inserere, ita ut capitibus tantummodo emineant, quoq; diutius pœnæ sufficiant, cibo & potione infelicem spiritum prorogant, donec intus putrefacti laniati sint ab animalib⁹, quæ

quæ tabidis in corporibus nasci solent. Queramur nunc cum natura rerũ, quòd nos multis, & asperis aduersæ ualetudinis incõmodis obnoxios esse uoluerit: habitumq; cœlestis roboris humanæ conditioni denegatum molestè feramus, cùm tot cruciatus sibimetipsa mortalitas impulsu crudelitatis excogitauerit.

DE IRA, ET ODIO.

CAPVT III.

Ira quoq;, aut odium in pectoribus humanis magnos fluctus excitant: procursu celerior illa nocẽdi cupidine, hoc pertinaci⁹ : uterq; consternationis plenus affectus, ac nunquam sine tormento sui uiolentus : quia dolorem cum inferre uult, patitur, amara solicitudine, ne non contingat ultio, anxius: sed proprietatis eorum certissimæ sunt imagines, quas dij ipsi in claris personis, aut dicto aliquo, aut facto uehementiore conspici uoluerunt.

De Liuio Salinatore.

Cùm aduersus Hasdrubalem Liuius Salinator bellũ gesturus urbe egrederetur, monẽte Fabio Maximo, ne ante descenderet in aciem, quàm hostiũ uires animumq; cognosceret: primam occasionem pugnandi non omissurum se respondit. Interrogatus q; ab eodem, quid ita tam festinãter manũ conserere uellet: Vt quàm celerrime (inquit) aut gloriam ex hostibus uictis, aut ex ciuibus prostratis gaudiũ capiam.

Ira tunc atq; uirtus sermonem eius inter se diuiserunt: illa iniustæ damnationis memor: hæc triumphi gloriæ intenta. Sed nescio an eiusdem fuerit hoc dicere, & sic uincere.

De C. Figulo.

Ardentis spiritus uirum, & bellicis operibus assuetum, huc iracundiæ stimuli egerũt. C. autem Figulum mansuetissimum, placato iuris ciuilis iudicio celeberrimum, prudentiæ, moderationisq; immemorem reddiderunt. Consulatus enim repulsæ dolore accensus, eò quidem magis, quòd illum bis patri suo datum meminerat, cùm ad eum postero comitiorũ die multi consulendi causa uenissent, omnes dimisit: præfatus, Omnes consulere scitis, Consulem facere nescitis. Dictum grauiter, & meritò, sed tamen aliquantò melius non dictum.

De Patriciis Romanis.

Nam quis populo Rom. irasci sapienter potest? itaq; ne illi quidem probãdi, quamuis factum eorũ nobilitatis splendore protectum sit: qui, quòd Cn. Flauius humilimæ quondã sortis præturam adeptus erat, offensi, anulos aureos sibimetipsis, & phaleras equis suis detractas abiecerunt: doloris impotentia tantum non luctum profecto testati. Talis iræ motus aut singulorum, aut paucorũ aduersus populum uniuersum: multitudinis autem erga principes, ac duces eiusmodi.

De iuu

De iuuenibus Romanis, & Manlio Torquato.

Manlio Torquato amplissimam, & gloriosissimam ex Latinis, & Campanis uictoriam in urbem referenti, cùm seniores omnes lætitia ouantes occurrerẽt, iuniorum nemo obuiã processit: quòd filium adolescentem fortissimè aduersus imperium suum prælium securi percussum occidisset. miserii sunt æquales nimis asperè punitii: nec factum eorum defendo, sed iræ uim indico. quæ unius ciuitatis & ætates & affectus diuidere ualuit. Eademq; tantum potuit, ut uniuersum populi Rom. equitatum à Fabio Consule ad hostium copias persequendas missum: cùm & tutò & facilè eas liceret delere, legis Agrariæ ab eo impeditæ memorẽ, immobilem retineret.

De Appio Claudio cos.

Illa uerò etiam Appio duci, cuius pater, dum pro Senatus amplitudine nititur, cõmodæ plebis acerrimè impugnauerat: infensum exercitum faciendo, uoluntaria fuga terga hosti, ne triumphum imperatori quæreret, dare coëgit. Quoties uictoria uictrix, congratulationem eius in Torquato spernendam, in Fabio pulcherrimam partem omittẽdam, in Appio totam fugæ proponendam reddidit.

De eodem, & Pop. Rom.

Age quàm uiolenter se in pectore uniuersi

pop. Rom. geßit eodem tempore, quo ſuffragijs eius dedicatio ædis Mercurij M. Pletorio primipili centurioni data eſt? præteritis Conſulibus, Appio, quòd obſtitiſſet, quo minus ære ſuo alieno ſuccurreretur: & Seruilio, quòd ſuſceptam cauſam ſuam languido patrocinio protexiſſet. Negas efficacem iram, cuius hortatu miles ſummo imperio prælatus eſt? quæ quidem non proculcauit tantùm imperia, ſed etiam geſsit impotenter.

De Metello.

Nanq; Metellus cùm utranq; Hiſpaniam Conſul prius, deinde Proconſul penè iam ſubiecißet, poßquã cognouit Q. Pomp. Conſulem inimicum ſuum ſucceſſorem ſibi mitti: omnes qui modo militiam noluerunt finire, dimiſit: commeatus petentibus, nec cauſis excuſsis, nec conſtituto tempore, dedit: horrea cuſtodibus remotis opportuna rapinæ præbuit. Arcus ſagittasq; Cretenſiũ frangi, atq; in ammem abijci iußit: elephantis cibaria dari uetuit: quibus factis ut cupiditati ſuæ indulſit, ita magnificè geſtarum rerum gloriam corrupit: meritumq; honorem, triumphi hoßium, quam iræ fortior victor amiſit.

De L. Sylla.

Quid Sylla, dum huic uitio obtẽperat, non ne multo alieno ſanguine profuſo, ad ultimum & ſuũ erogauit? Puteolis enim ardens indignatione tione, quòd Granius princeps eius coloniæ pecuniam à decurionibus ad refectionẽ Capitolij promiſſam, cunctatius daret: animi cõcitatione nimia, atq; immoderatæ uocis impetu conuulſo pectore, ſpiritũ cruore, ac minis miſtum euomuit. Nec ſenio iam prolapſus, utpote ſexageſimum ingrediens annum: ſed alita miſerijs pop. Romani impotentia furens, igitur in dubio eſt Syllá ne prior, an iracũdia Syllæ ſit extincta. Neq; ab ignotis exempla petere iuuat, & maximis uiris exprobrare uitia ſua uerecundiæ eſt: cæterũ cùm propoſiti fides excellentißima quæq; cõplecti moneat, noluntas operi cedat, dum præclara libenter probando, neceſſaria narrandi conſcientia non deſit.

EXTERNA.

De Alexandro rege.

Alexandrum iracundia ſua propemodum cælo diripuit. Nam quid obſtitit, quo minus illuc aſſurgeret, niſi Lyſimachus leoni obiect⁹, & Clytus haſta traiectus, et Caliſthenes mori iußus? quia tres maximas victorias, totidem amicorum iniußis cædibus victor edidit.

De Amilcare.

Quàm uehemens deinde aduerſus populum Romanum Amilcaris odium? Quatuor enim puerilis ætatis filios intuẽs, eiuſdem numeri catulos leoninos, in perniciem imperij noſtri alere ſe prædicabat. Digna nutrimenta, quæ in exi-

tium

ium patriæ suæ, ut euenit, conuerterentur.

De Annibale.

E quibus Annibal maturè adeò patris ue-
stigia subsecutus est, ut eo exercitũ in Hispaniã
traiecturo, & ob id sacrificante, octo annorum
natus, altaria tenens iuraret, se cum primũ per
ætatẽ potuisset, acerrimũ hostem pop. Rom. futu-
rũ, ut pertinacissimis precibus instantis belli
cõmilitiã exprimeret. Idem significare cupiens
quanto inter se odio Carthago, & Roma dissi-
derẽt: inflicto in terrã pede: suscitatoq; pulue-
re, tunc inter eas fore finem belli dixit, cùm al-
terutra pars in habitum pulueris esset redacta.
In puerili pectore tantum uis odij potuit: sed in
muliebri quoq; æque multum ualuit.

De Semiramide regina Babylonis.

Nanq; Semiramis Assyriorũ regina, cùm
ei circa cultum capitis occupatæ nunciatum
esset, Babylonem defecisse: altera parte crinium
adhuc soluta, protinus ad eam expugnandam
cucurrit, nec prius decorum capillorum in or-
dinem, quàm tantam urbem in potestatẽ suam
redegit. Quocirca statua eius Babylone po-
sita est illo habitu, quo ad ultionem exigẽdam
celeritate præcipiti tetendit.

DE AVARITIA. CAP. IIII.

PRotrahatur etiam in medium Auaritia
latentium indagatrix lucrorũ, manifestæ
prædæ auidissima uorago, nec habendi fructu
felix

felix, & cupiditate quærendi miserrima.

De M. Crasso, & Q. Hortensio.

Cùm admodum locupleti L. Minutio Basi-
lio falsum testamẽtum quidam in Græcia sub-
iecissent, eiusdemq; confirmandi gratia poten-
tissimos ciuitatis nostræ uiros M. Crassum, &
Q. Hortensiũ, quibus Minutius ignotus fue-
rat, tabulis hæredes inseruisset, quanquam eui-
dens fraus erat, tamen uterque pecuniæ cupi-
dus, facinoris alieni munus non repudiauit.
Quantam culpam quàm leuiter retuli? lumi-
na curiæ, ornamenta fori, quod scelus uindica-
re debebant, inhonesti lucri captura inuitati,
autoritatibus suis texerunt.

De Q. Cassio.

Verùm aliquanto maiores uires in Qu. Cas-
sio exhibuit, qui in Hispania Silium, & Cal-
purnium occidendi sui gratia cum pugionibus
deprehensos quinquagies sestertiũm ab illo, ab
hoc sexagies pactus dimisit. At quis dubitet
si alterum tantum daretur, iugulum quoq; suũ
æquo animo illis fuisse præbiturum?

De L. Septimuleio.

Cæterùm auaritia ante omnes L. Septimu-
leij præcordia possedit: qui, cùm C. Gracchi fa-
miliaris fuisset, caput eius abscindere, & per
urbem pilo fixum ferre sustinuit: quia Opimius
Consul auro id se repensurũ edixerat. Sunt quĩ
tradunt, liquato plumbo eum cauatam par-
cem

tem capitis, quò ponderosius esset, explesse. Fuerit ille seditiosus, bono perierit exemplo: clientis tamen scelesta fames in has usque iacentis iniurias esurire non debuit.

De Ptolemæo rege Cypriorum.

Odio merito Septimuleij auaritia, Ptolemæi autem regis Cypriorum, risu prosequenda: nam cùm anxijs sordibus magnas opes corripuisset, propterq; eas periturũ se uideret, & ideo omni pecunia imposita nauibus, in aliũ processisset, ut classe perforata suo arbitrio periret, & ut hostes præda carerent, non sustinuit mergere aurum & argentum: sed futurum suæ necis præmium domum reuexit. Proculdubio hic nõ possedit diuitias, sed à diuitijs possessus est: titulo Rex insulæ, animo autem pecuniæ miserabile mancipium.

DE SVPERBIA, ET Impotentia. CAP. V.

De M. Fuluio Flacco.

ATq; ut superbia quoq; & impotentia in conspicuo ponantur, Marcus Fuluius Flaccus Cõsul, Marci Planci Hipsci collega, cùm perniciosissimas Reipublicæ leges introduceret, de ciuitate danda, & de prouocatione ad populum, eorum, qui ciuitatem mutare noluissent, ægrè compulsus est, ut in curiam ueniret: deinde partim monenti, partim oranti senatui ut incœpto desisteret, respõsum nõ dedit.

Tyrannici Consul spiritus haberetur, si aduersus unum senatorem hoc modo se gessisset, quo Fuluius in totius amplissimi ordinis cõtemnenda maiestate uersatus est.

De M. Druso Tribuno.

Quæ à M. quoq; Druso Trib. pleb. per summam cõtumeliam uexata est: parum enim habuit L. Philippum Consulem, quia se interpellare concionantem ausus fuerat, obtorta gula, & quidem non per uiatorem, sed per clientem suum, adeò uiolenter in carcerem præcipitem egisse, ut multus è naribus eius cruor perfunderetur. Verumetiam cùm senatus ad eum misisset, ut in curiam ueniret: Quare non potius, inquit, ipse in Hostiliam propinquam Rostris ad me uenit? Piget adijcere quod sequitur. Tribunus Senatus imperium despexit, Senatus Tribuni uerbis paruit.

De Cn. Pompeio.

Cn. autem Pompeius quàm insolenter egit? qui balneo egressus, ante pedes suos prostratũ Hipseum ambitus reum, & nobilem uirũ, & sibi amicũ iacentem reliquit, contumeliosa uoce proculcatum: nihil enim aliud agere, quàm ut conuiuiũ suũ moraretur, respondit. Et huius dicti conscius securo animo cœnare potuit.

Ille uerò etiam in foro non erubuit P. Scipionem socerum suum legibus noxium, quas ipse tulerat, in maxima quoque reorum & illustrium

strium ruina, muneris loco à iudicibus deposcere, maritalis lecti blanditijs statum Reipublicæ temperando.

De Marco Antonio.

Tetrum facto pariter, ac dicto M. Antonij cõuiuium. Nam cùm ad eum triumuirum Cestij Rufi senatoris caput allatũ esset, auersantibus id cæteris, propiꝰ admoueri iussit, ac diu, diligenterq; considerauit: cunctis deinde expectantibus quidnam esset dicturus: Hunc ego, inquit, notum non habui. Superba de senatore, impotens de occiso confessio.

EXTERNA.

De Alexandro rege.

Satis multa de nostris, aliena nunc adijciẽtur. Alexandri regis uirtus, & felicitas, tribus insolentiæ gradibus exultauit euidentissimis. Fastidio enim Philippi, Iouem Hammonem patrem asciuit: tædio morum, & cultus Macedonici, uestem, & institutã Persica assumpsit: spreto mortali habitu, diuinum caput æmulatus est: nec fuit ei pudori, filium, ciuem, hominem dissimulare.

De Xerxe rege.

Iam Xerxes, cuius in nomine superbia & impotentia habitat, suo iure quàm insolenter usus est, quòd Græciæ indicturus bellũ, adhibitis Asiæ principibꝰ: Ne uiderer, inquit, meo tantummodo usus consilio, uos contraxi. Cæterùm

rùm memẽtote parẽdũ magis uobis, quã suadendum. Arrogãter, etiã si uictori repetere ei regiam contigisset: tam deformiter uicti, nescis utrum insolentius dictum, an impudentius.

De Annibale.

Annibal autem Cannensis pugnæ successu elatus, nec admiserit quenquam ciuium suorum in castra, nec responsum ulli, nisi per interpretem, dedit. Maharbalem etiam ante tabernaculum suum clara uoce affirmantẽ, prospexisse se quonã modo paucis diebus Romæ in Capitolio cœnaret, aspernatus est. Adeò felicitatis, & moderationis diuiduum contubernium est.

De Carthaginiensibus & Campanis.

Insolentiæ uerò inter Carthaginiensem, & Campanum Senatum quasi æmulatio fuit. Ille enim separato à plebe balneo lauabatur: hic diuerso foro utebatur: quem morẽ Capuæ aliquandiu retentum, C. quoque Gracchi oratione in Plautium scripta patet.

DE PERFIDIA. CAP. VI.

Occultum iam & insidiosum malũ perfidia latebris suis extrahatur: cuius efficacissimæ uires sunt mentiri, ac fallere: fructus in aliquo admisso scelere cõstitit: tum certus, cùm crudelitatem nefarijs uinculis circũdedit: tantum incõmodi humano generi afferens, quantũ salutis bona fides præstat. Habeat igitur non

minus reprehensionis, quàm illa laudis consequitur.

De Tatio Sabino.

Romulo regnante Spurius Tarpeius arci praerat, cuius filiam uirginem aquam sacris petitum extra mœnia egressam, Tatius, ut armatos Sabinos in arcem secum reciperet, corrupit, mercedis nomine pactus quæ in sinistris manibus gerebant: erant autem his armillæ, & anuli magno ex pondere auri. loco potitum agmen Sabinorum, puellam præmium flagitantem, armis obrutam necauit: perinde quasi promissum, quòd ea quæ leuis gestauerant, soluit. Absit reprehensio: quia impia proditio celeri pœna uindicata est.

De Seruio Galba.

Seruius quoq; Galba summæ perfidiæ: trium enim Lusitaniæ ciuitatum conuocato populo, tanquam de cõmodis eius acturus, nouem millia, in quibus flos iuuentutis consistebat, electa, et armis exuta, partim trucidauit, partim uendidit: quo facinore maximam cladem barbarorum, magnitudine criminis antecessit.

De Cn. Domitio.

Cn. autem Domitius summi generis, & magni animi uirum, nimiæ gloriæ cupiditas perfidum existere coëgit. Iratus nanque Bituito regi Aruernorũ, quòd tum suam, tum etiam Allobrogum gentem, se etiam tum in prouincia

cia morante, ad Qu. Fabij successoris sui dexteram confugere hortatus esset: per colloquij simulationem accersitum, hospitioq; exceptum uinxit, ac Romam naue deportãdum curauit. Cuius factum Senatus neque probare potuit, neq; rescindere noluit: ne remissus in patriam Bituitus, bellum renouaret. Igitur eum Albam custodiæ causa relegauit.

De Q. Seruilio Cepione.

Viriathi etiam cædes dupicem perfidiæ accusationem recepit: in amicis, quòd eorum manibus interemptus est: in Qu. Seruilio Cepione Consule, quòd is sceleris huius autor impunitate promissa fuit: uictoriamq; non meruit, sed emit.

EXTERNA.

De Carthaginiensibus.

Verùm ut ipsum fontem perfidiæ contemplemur, Carthaginienses Xantippum Lacedæmonium, cuius optima opera primo Punico bello usi fuerant, & quo iuuante Atilium Regulũ ceperant, simulantes sese domum reuehere in alto merserunt. Quid tanto facinore petentes? an ne uictoriæ eorum socius supereresset? Extat nihilominus & quidẽ cum opprobrio, quẽ sine ulla gloriæ iactura inuiolatum reliquissent.

De Annibale.

Annibal porro Nucerinos hortatu suo cum binis uestimentis urbem inexpugnabilibus

muris cinctam egressos, vapore & fumo balnearum strangulando, & Aceruorũ Senatũ eadem ratione extra mœnia euocatum in profundum puteorum abiciendo, non'ne bellum aduersus Populum Romanum & Italiã professus, aduersus ipsam fidem acrius gessit, mẽdacijs, & fallacia quasi præclaris artibus gaudens? Quo euenit, ut alioqui insignem nominis sui memoriam relicturus in dubio, maior'ne, an peior uir haberi deberet, poneret.

DE VI, ET SEDITIONE, & de Populo Romano.

CAP. VII.

SEd, ut uiolentiæ, & seditionis tam togatæ, quàm etiã armatæ facta referantur: L. Æquitium, qui se Gracchi filiũ simulabat, tribunatumq; aduersus leges cum L. Saturnino petebat, à Mario quintũ Consulatũ gerente in publicã custodiã ductũ, populus clausſtris carceris conuulsis, raptũ humeris suis, per summã animorũ alacritatẽ portauit. Idemq; Q. Metellum Censorẽ, quòd ab eo tanquam Gracchi filio censum recipere nolebat, lapidibus prosternere conatus est, affirmantẽ tantũmodo tres filios T. Graccho fuisse, è quibus unum in Sardinia stipendia merentem, alterum infantem Præneste, tertium post patris mortem natum Romæ decessisse: nec oportere clarissimæ familiæ ignotas sordes inseri: cùm interim improuida uida concitatæ multitudinis temeritas, pro imprudentia, & audacia aduersus Consulatum, & censuram tetendit, principesq; suos omni petulantiæ genere uexauit. Vesana hæc tantummodo: illa etiam cruenta seditio: populus enim Mumium competitorem Saturnini, nouẽ tam creatis tribunis, unoq; loco candidatis duobus restante, ui prius in ædes priuatas compulit, extractum deinde interemit: ut cæde integerrimi ciuis, facultas adipiscendæ potestatis terrimo ciui daretur.

De certis creditoribus, & L. Cassio.

Creditorũ quoq; cõsternatio, aduersum Sempronij Asellionis prætoris urbani caput intolerabili modo exarsit: quem quia causam debitorum susceperat, concitati à L. Cassio Tr. Pl. pro æde concordiæ sacrificiũ faciẽte, ab ipsis altaribus fugere extra forũ coactum, inq; tabernula latitantem, prætextatum discerpserunt. Detestanda fori conditio: sed si castra respicias, æquè magna orietur indignatio.

De militibus L. Syllæ, & morte Gratidii.

Cùm C. Mario lege Sulpitia, prouincia Asia, ut aduersus Mithridatẽ bellũ gereret, priuato decreta esset: missum ab eo Gratidiũ legatum ad L. Syllã Consulem accipiendarum legionũ causa milites trucidarunt, proculdubio indi-

gnati, quòd à summo imperio, ad eum qui nullo in honore uersaretur, transire cogerentur. Sed quis ferat militem scita plebis exitio legati corrigentem? Pro Consule istud tam uiolenter exercitus, illud aduersus Consulem.

De militibus Cn. Pompeii, & morte Qu. Pompeii.

Quintum enim Pompeium Syllæ collegam, senatus iussu ad exercitum Cn. Pompeij, quem aliquandiu inuita ciuitate obtinebat, cõtendere ausum: ambitiosi ducis illecebris corrupti milites, sacrificare incipientem adorti, in modum hostiæ mactauerunt: tantumq; scelus curia castris cedere se confessa, inultum habuit.

De quodam exercitu, & morte C. Carbonis.

Ille quoq; exercitus nefarie uiolentus, qui C. Carbonẽ fratrem Carbonis ter Consulis propter bella ciuilia dissolutam disciplinã militarem præfractius & vigidius astringere conatũ priuauit uita: satiusq; duxit maximo scelere coinquinari, quàm prauos, ac tetros mores mutare.

DE TEMERITATE. CAP. VIII.

TEmeritatis etiam ita subiti, ut uehementes sunt impulsus: quorum ictibus hominum mentes concussæ, nec sua pericula respicere, nec aliena facta iusta æstimatione prosequi ualent.

De

De superiore Africano.

Quàm enim temere se Africanus Superior ex Hispania duabus quinqueremibus ad Syphacem traiecit, in unius Numidæ infidis præcordijs suam pariter, & patriæ salutem depositurus? Itaque exiguo momento, maximæ Reipublicæ casus fluctuatus est, utrum interfector, an captiuus Scipio Syphacis fieret.

De C. Cæsare.

Nam C. Cæsaris anceps conatus, etsi cœlestiũ cura protectus est, tamen uix sine horrore animi referri potest: siquidem impatiens legionum tardioris à Brunduſio Apolloniam traiectus, per simulationem aduersæ ualetudinis cõuiuio egressus, maiestate sua seruili ueste occultata, nauiculã conscendit è flumine, ac maris Adriatici sæua tempestate sauces petijt, protinusq; in altum dirigi iusso nauigio, multum ac diu contrarijs iactatus fluctibus, tandem necessitati cessit.

De militibus Albini ducis.

Agè, illa quàm execrabilis militum temeritas? fecit enim ut Aulus Albinus nobilitate, moribus, honorum omnium consummatione ciuis eximius, propter falsas & inanes suspiciones in castris ab exercitu lapidibus obrueretur: quodq; accessionem indignationis non recepit, oranti atque obsecranti duci à militibus causæ dicendæ potestas negata est.

EXTERNA.

De Annibale Carthaginiensi.

Itaq; minus miror apud trucem, & sæuum Annibalis animum defensionis locũ innoxio gubernatori fuisse: qui à Petilia classe Africã repetens freto appulsus, dum tam paruo spatio Italiam Siciliamq; inter se diuisas non credidit, ueluti insidiosum cursus rectorẽ interemit: posteà diligẽtius inspecta ueritate, tunc absoluit, cũ eius innocẽtiæ nihil ultra sepulcri honorẽ dari potuit. Igitur angusti, atq; æstuosi maris ex alto tumulo spectatrix statua, tã memoriæ Pelori, quàm Punicæ temeritatis, ultra citraq; nauigãtium oculis collocata indiciũ est.

De Athenienſibus.

Iam Athenienſium ciuitas ad uesaniã usq; temeraria, quæ decẽ imperatores suos, & quidem à pulcherrima uictoria uenientes, capitali iudicio exceptos necauit, quòd militum corpora, sæuitia maris interpellante, sepulturæ mandare non potuissent: necessitatem puniens, cum honorare uirtutem deberet.

QVANTVM VALET error. CAP. IX.

Temeritati proximus est error: quemadmodum ad lædendum par, ita cui facilius quis ignouerit: quia non sua spõte, sed uanis concitatus imaginibus, culpæ se implicat: qui quàm latè in pectoribus hominum uagetur

tur, si complecti coner, uitio de quo loquor, sim obnoxius. Paucos igitur eius lapsus referemus.

De errore Populi Romani in Caium Eluium.

Caius Eluius Cinna Tr. Pl. ex funere C. Cæsaris domum suã petens, populi manibus discerptus est pro Cornelio Cinna, in quem sæuire se existimabat: iratus ei, quòd cùm affinis esset Cæsaris, aduersus eum nefariè raptũ impiam pro Rostris orationẽ habuisset: eoq; errore propulsus est, ut caput Eluij perinde, atq; Cornelij circa rogũ Cæsaris fixũ iaculo ferret. officij sui, & alieni erroris piaculum miserabile.

De C. Caſsio.

Nam C. Cassiũ error à semetipso pœnas exigere coëgit. Inter illum enim pugnæ quatuor exercituum apud Philippos uariũ, ipsisq; ducibus ignotum euentum, iussus ab eo Titinius centurio nocturno tẽpore, ut specularetur, quonam in statu res M. Bruti essent: dum crebros excessus uiæ petit, quia tenebrarum obscuritas hostes'ne, an commilitones occurrerent, dignoscere non sinebat, tardius ad Cassium rediit. Quem is exceptũ ab hostibus, omniaq; in eorũ potestatẽ recidisse existimans, finire uitã properauit: cùm & castra hostiũ inuicẽ capta, & Bruti copiæ magna ex parte incolumes essent.

De Titinio centurione.

Titinij uerò nõ obliterãda silẽtio uirtus, qui

oculis paulisper hæsit, inopinato iacētis ducis spectaculo attonitus, deinde profusus in lacrymas, Etsi imprudēs, inquit, imperator causa tibi mortis fui: tamē ne idipsum impunitū sit, accipe me fati tui comitem: superq; exanime corpus eius iugulo suo gladium capulo tenus demisit: ac permisso utriusque sanguine, duplex uictima iacuit, pictatis hæc, erroris illa.

De satellitibus regis Veientum.

Cæterùm falsa opinatio, nescio an præcipuā iniuriam Lacrtis Volumnij Veientum Regis penatibus intulerit. nam cùm in tesserarū prospero iactu per iocum collusori dixisset, occide, & fortè legati Romanorum interuenissent, satellites eius errore uocis impulsi, interficiendo legatos, lusum ad imperium transtulerunt.

DE VLTIONE. CAP. X.

VLtionis autem quemadmodum acres, ita iusti aculei sunt: qui lacessiti concitantur, acceptum dolorem pensare cupientes: quos latius complecti non attinet.

De tribu Pollia.

Trib. Pl. M. Fuluius ad populum de Tusculanis retulit, quòd eorum consilio Veliternos, Priuernatesq; rebellaturos diceret: qui cū coniugibus, ac liberis squalore obsiti, cùm supplices Romā uenissent, accidit, ut reliquis tribubus salutarem sententiā secutis, sola Pollia iudicaret oportere publicè eos uerberatos securi percuti, imbellē multitudinē sub corona uenire.

Quam ob causam Popilia tribus, in qua plurimū postea Tusculani in ciuitatē recepti potuerunt, neminem unquam candidatū Polliæ tribus fecit magistratū: ne ad eā ullus honor suis suffragijs perueniret, quæ illis uitā ac libertatem, quantū in ipsa fuit, ademerat. illā uerò ultionē et Senatus, et cōsensus omnis approbauit.

De ultione Romanorum in Adrianum.

Cùm Adrianus ciues Romanos, qui Vticæ consistebāt, sordido imperio uexasset, idcircoq; ab his uiuus esset exustus: nec quæstio ulla in urbe hac de re habita, nec querela uersata est.

EXTERNA.

De reginis Tomyri, & Beronice.

Claræ ultionis utraq; regina, & Tomyris, quæ caput Cyri abscissum in utrem humano sanguine repletum demitti iussit, exprobrans illi insatiabilem cruoris sitim, simulq; pœnas occisi ab eo filij sui exigens: & Beronice, quæ Laodices insidijs interceptum sibi filium grauiter ferens, armata currum conscendit, persecutaq; satellitem regium crudelis operis ministrum nomine Ceneum, quoniam hasta nequicquam petierat, saxo ictum prostrauit, ac super eius corpus actis equis, inter infesta contrariæ partis agmina ad domum, in qua interfecti pueri corpus occultari arbitrabatur, perrexit.

De morte Iasonis.

Iasonem Thessalum Persarum regi bellū inferre

ferre parantem, an satis iusta ultio absumpserit, ambiguæ æstimationis est. Taxillo enim gymnasiarcho à quibusdam iuuenibus pulsatum se conquesto, permisit, ut aut tricenas ab his drachmas exigeret, aut denas plagas singulis imponeret. quo posteriore uindicta uso, qui uapulauerant, Iasonem interfecerunt: animi non corporis dolore pœnæ modum æstimantes. Cæterùm paruo irritamento ingenui pudoris maximæ rei expectatio subruta est: quoniam opinione Græciæ tantum in spe Iasonis, quantum in effectu Alexandri reponebatur.

DICTA IMPROBA, AVT facta scelerata. CAP. XI.

De Tullia.

NVnc quatenus uitæ humanæ, tum bona, tum etiam mala substitutis exẽplorum imaginibus prosequamur, dicta improba, & facta scelerata referantur: unde autem potius, quàm à Tullia ordiar? quia tẽpore uetustissimum, conscientia nefariũ, uoce monstri simile exemplũ est. Cùm carpento ueheretur, et is, qui iumenta agebat, succussis frænis constitisset, repentinæ moræ causam requisiuit: & ut comperit corpus patris Seruij Tullij occisi ibi iacere, supra id duci uehiculum iussit, quo celerius in complexum interfectoris eius Tarquinij ueniret. Qua tam impia, tamq; probrosa æstimatione, nõ solũ se æterna infamia, sed ipsum etiam

etiam uicum cognomine sceleris cõmaculauit.

De Fimbria.

Non tam atrox C. Fimbriæ & dictũ, & factũ: sed si per se æstimetur, utrunq; audacissimũ. id egerat, ut Scæuola in funere C. Marij iugularetur: quẽ postquàm ex uulnere recreatũ cõperit, accusare apud populum instituit: interrogatus deinde quid de eo secus dicturus esset, cui pro sanctitate morum satis digna laudatio reddi non posset, respondit se obiecturum illi, quòd parcius corpore telum recepisset. Licentiam furoris ægræ Reip. gemitu prosequẽdam.

De L. Catilina.

L. uerò Catilina in Senatu M. Ciceroni incendium ab ipso excitatum dicenti, Sentio, inquit: & quidem illud si aqua non potero, ruina extinguam: quem quid aliud existimemus, quàm conscientiæ stimulis actum, simulacrum à se inchoati parricidij peregisse?

De Magio Chilone.

Consternatum etiam Magij Chilonis amentia pectus: qui M. Marcello datum è Cæsare spiritum, sua manu eripuit. uetus amicus, & Pompeianæ militiæ comes, indignatus aliquos sibi amicorum ab eo præferri. Vrbẽ enim à Mitylenis, quò se contulerat, repetentem, in Atheniensium portu pugione confodit, protinusq; ad irritamenta uesaniæ suæ trucidandæ tetendit, amicitiæ hostis, diuini beneficij interceptor.

ceptor, publicæ religionis, quod ad salutẽ clarissimi ciuis recuperãdã attinuit, acerba labes.

De C. Turanio.

Hanc crudelitatem, cui nihil adiici posse uidetur, C. Turanius atrocitate parricidij superauit. Nãq; triumuirûm partes secutus, proscripti patris sui prætorij & ornati uiri latebras, ætatem, notas q; corporis, quibus agnosci posset, centurionibus edidit, qui eum persecuti sunt. Senex de filij magis uita, & incremẽtis, quàm de reliquo spiritu suo solicitus, an incolumis esset, & an imperatoribus satisfaceret, interrogare eos cœpit: è quibus unus, Ab illo, inquit, quem tantopere diligis, demonstratus, nostro ministerio, filij indicio occideris protinus q; pectus eius gladio traiecit: collapsus itaq; est infelix, autore cædis, quàm ipsa cæde miserior.

De filio Tullii Hannalis.

Cuius facti acerbitatem L. Tullius Hannalis sortitus, cùm in campum ad quæstoria comitia filij descendens, proscriptum se cognosceret, ad clientem suum confugit: sed ne fide eius tutus esse posset, scelere nefario iuuenis effectum est: siquidem per ipsa uestigia patris militibus ductis, occidendum eum in conspectu suo obiecit: bis parricida, consilio prius, iterum spectaculo.

De uxore Vitii Sallasi.

Ne Vitius quidem Sallasius proscriptus patrum

rum amari exitus, quem latentem uxor interficiendum, quid dicam? tradidit, an ipsa iugulauit? Quanto enim leuius est sectus, cui tantummodo manus abest? illud autem facinus, quia externum, tranquilliore affectu narrabitur.

EXTERNA.

De duobus fratribus filiis regiis.

Scipione Africano patris & patrui memoriam gladiatorio munere Carthagine noua celebrante: duo regij filij nuper patre mortuo, in arenam processerunt: pollicitiq; sunt ibi se de regno præliaturos, quò spectaculum illud illustrius pugna sua facerent. eos cùm Scipio monuisset, ut uerbis contenderent, quàm ferro dimicare mallent, uter regnare deberet: ac iam maior natu consilio eius obtemperaret, minor corporis uiribus fretus, in amentia persistit: initoq; certamine pertinacior impietas fortunæ iudicio morte multata est.

De Mithridate.

Mithridates autem multò sceleratius, qui non cum fratre de paterno regno, sed cum ipso patre bellum de dominatione gessit: in quo qui aut homines ullos adiutores inuenerit, aut Deos inuocare ausus sit, pro admiratione habetur.

De Sariastre filio Tigranis regis.

Quanquam quid hoc quasi inusitatum illis gẽtibus miremur? cùm Sariaster aduersus patrem

trem ſuum Tigranem Armeniæ regem, ita cum amicis conſenſerit, ut omnes dextris manibus ſanguinem mitterent, atque eum inuicem ſorberent. Vix ferrent pro ſalute parentis tam cruenta conſpiratione fœdus facientem.

De quodam, qui interficere uoluit Octauianum Auguſtum.

Sed quid ego iſta conſector, aut quid in his immoror, cùm unius paricidij cogitatione cuncta ſcelera ſuperata cernam? omni igitur impetu mentis, omnibus indignationis uiribus, ad id lacerandum pio magis, quàm ualido affectu rapior. Quis enim amicitiæ fide extincta genus humanum cruentis in tenebris ſepelire conatum, profundo execrationis debitæ, ſatis efficacibus uerbis adegerit? Tu uidelicet efferatæ barbariæ immanitate truculentior habenas Romani Imperij, quas princeps, parensq; noſter ſalutari dextera continet, capere potuiſti? Haud te compoſte furoris, in ſuo ſtatu manſiſſet. Vrbem à Gallis captam, & trecentorum inclytæ gentis uirorum ſtrage fœdatam Allienſem diē, & oppreſſos in Hiſpania Scipiones, & Thraſimenum lacum, & Cannas, bellorumq; ciuilium domeſtico ſanguine manantes furores, amentibus propoſitis furoris tui repræſentare, & uincere uoluiſti? Sed uigilarūt oculi Deorum ſidera ſuum uigorem obtinuerunt: aræ, puluinaria, templa, præſenti numine

mine uallata ſunt. Nihil quod pro capite Auguſti, ac patria excubare debuit, torporem ſibi permiſit, & in primis autor, & tutela noſtræ incolumitatis Iupiter, ne excellētiſſima meritæ ſua totius orbis ruina collaberentur, diuino cō-ſilio prouidit. Itaq; ſtat pax, ualēt leges: ſyncerus priuati, ac publici officij tenor ſeruatur. Qui autē hæc uiolatis amicitiæ fœderibus tentauit ſubuertere, omni cum ſtirpe ſua pop. Rom. uiribus obiritus, etiā apud inferos, ſi iam illuc receptus eſt, quæ meretur ſupplicia, pependit.

DE MORTIBVS NON uulgaribus. CAP. XII.

HVmanæ autem uitæ conditionem præcipuè primus & ultimus dies cōtinet: quia plurimum intereſt quibus auſpicijs inchoētur, & quo fine claudatur: ideoq; eum demum felicē fuiſſe iudicamus, cui & accipere lucē proſperè, & reddere placidè contigit. Medij tēporis curſus, prout fortuna gubernaculum rexit, modò aſpero, modò tranquillo motu peragitur, ſtę ſemper minor, dum cupidè uotis extēditur, & ferè ſine ratione cōſumitur. Nā & ſi eo bene uti uelis, etiam paruū ampliſſimum efficies, numerum annorum multitudine operum ſuperrādo. Alioqui quid attinet incerti mora gaudere, ſi magis exigas uitam, quàm approbes? Sed ne lōgius euager, eorū mētionem faciam, qui non uulgari genere mortis abſumpti ſunt.

De Tullo Hostilio.

Tullus Hostilius fulmine ictus, cum tota domo conflagrauit. Singularem fati sortem, qua accidit, ut columen urbis, in ipsa urbe raptum, ne supremo quidem funeris honore à ciuibus decorari posset, cœlesti flamma in eadem conditione redactum, ut eosdem penates, & regiam, & rogum, & sepulcrum haberet.

De duabus mulieribus.

Vix uerisimile est in eripiendo spiritu idem gaudium potuisse, quod fulmen, & tamẽ idem ualuit. Nuntiata enim clade, quæ ad lacum Thrasimenũ inciderat: altera mater sospitii filio ad ipsã portã facta obuia, in cõplexu eius expirauit: altera cùm falso mortis filij nuntio mœsta domi sederet, ad primum conspectum redeuntis exanimata est. Genus casus inusitatũ: quas dolor non extinxerat, lætitia consumpsit.

De M. Iuuentio Talua cos.

Sed minus miror, quòd mulieres. Marcus Iuuentius Talua Consul, collega Tiberij Gracchi Consulis, cùm in Corsica, quam nuper subegerat, sacrificaret, receptis literis decretas ei à Senatu supplicationes nuntiantibus, intento illas animo legens caligine orta ante oculum collapsus, mortuus, humi iacuit: quem quid aliud quàm nimio gaudio enectum putemus? En cui Numantia, aut Carthago excidenda traderetur.

De Q.

De Q. Catulo.

Maioris aliquanto spiritus, dux Quintus Catulus, Cimbrici triumphi cum Mario particeps à Senatu datus, sed exitus uiolentioris: nanq; ab hoc eodem Mario postea propter ciuiles dissensiones mori iussus, recenti calce illito, multoq; igni peralefacto cubiculo, se inclusum premit: cuius tam diræ necessitas maximus Marianæ gloriæ rubor extitit.

De L. Cornelio Merula.

Qua tempestate Reipub. Lucius quoq; Cornelius Merula Consularis, & Flamen Dialis, ne ludibrio insolentissimis uictoribus esset, in Iouis sacrario uenis incisis contumelioſæ mortis denuntiationem effugit: sacerdotisq; sui sanguine uctustissimi foci maduerunt.

De Herennio Siculo.

Acer etiã & animosus uitæ exitus Herennij Siculi, quo C. Gracchus, & aruspice, & amico usus fuerat: uã cùm eo nomine in carcerẽ ducerentur, in postẽ illiso capite in ipso ignominiæ aditu cõcidit, ac spiritũ deposuit: uno gradu à publico supplicio, manuq; carnificis citerior.

De C. Licinio.

Cõsimili impetu mortis Caius Licinius Macer uir Prætorius Calui pater repetundarum reus, dum sententi e dicerentur, in Metianum conscendit: siquidem cùm Marcum Ciceronem, qui id iudicium cogebat, prætextam ponentem

uidisset: misit ad eum qui diceret, se non dãnatum, sed reum periisse: nec sua bona hastæ posse subiici. Ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore & faucibus coartatis incluso spiritu pœnam morte præcurrit: qua cognita re Cicero de co nihil pronuntiauit. Igitur illustris ingenij Orator ab inopia rei familiaris, & à crimine domesticæ damnationis inusitato paterni fati genere uindicatus est. fortis huius mors, illorum perridicula.

De Cornelio Gallo, & Tito Aetherio.

Cornelius enim Gallus Prætorius, & Titus Aetherius eques Rom. inter usum puerilis ueneris absumpti sunt: quanquam quorsum attinet eorum cauillari fata, quos non libido sua, sed fragilitatis humanæ ratio abstulit? fine nanq; uitæ nostræ uarijs & occultis causis expositio, interdum immerentia supremi fati titulum occupant: cùm magis in tempus mortis incidant, quàm ipsam mortem accersant.

EXTERNA.

De Coma fratre Diogenis.

Sunt & externæ mortes dignæ annotatu: qualis in primis Comæ, quem ferunt maximi latronũ ducis Diogenis fratrem fuisse. Is enim ad Rutilium Consulem, Ennæ, quam prædones tenuerant, in potestatem nostram redacta, productus, cùm de uiribus & conatibus fugitiorum

rum interrogaretur, sumpto tempore ad se colligendum, caput aperuit, immixusq; genibus compresso spiritu, inter ipsas custodum manus, inq; conspectu summi imperij, exoptata securitate acquieuit. Torqueant se miseri, quibus extingui, quàm superesse utilius est, trepido & anxio consilio, quanã ratione uita exeant quærentes: ferrum acuant, uenena temperent, laqueos apprehendant, uastas altitudines circũspiciant, tanquam magno apparatu, aut exquisita molitione opus sit, ut corporis atq; animi infirmo uinculo cohærẽs societas dirimatur. Nihil horũ Coma, sed intra pectus inclusa anima, finem sui reperit. Enimuero minimo studio retinẽdum bonum, cuius caduca possessio tam leui afflatu uiolentiæ concussa dilabi potuit.

De Aeschilo poëta.

Aeschili uerò poëtæ excessus, quemadmodum non uoluntarius, sic propter nouitatem cæsus referẽdus. In Sicilia mœnibus urbis, in quæ morabatur, egressus, aprico in loco resedit: super quem aquila testudinem ferens, elusa splendore capitis (erat enim capillis uacuũ) perinde, atque lapidi eam illisit, ut fractæ testudinis carne uesceretur: eoq; ictu origo, & principium fortioris tragœdiæ extinctum est.

De Homero poëta.

Non uulgaris etiam Homeri mortis causa fertur: qui in insula, quia quæstionem à piscatoribus

toribus propositam soluere non potuisset, dolore absumptus creditur.

De Euripide poëta.

Sed atrocius aliquanto Euripides finitus est. Ab Archelai enim regis cœna in Macedonia domum hospitalem repetens, canum morsibus laniatus obiit. Crudelitas fati tanto ingenio non debita, sicut illi excessus illustrium poëtarum & moribus, & operibus indignissimi.

De Sophocle.

Sophocles ultimæ iam senectutis, cùm in certamen tragœdiam dimisisset, ancipiti sententiarũ euentu diu solicitus, aliquãdo tamen una sententia victor causam mortis gaudiũ habuit.

De Philemone.

Philemonem autẽ uis risus immoderati abstulit. paratas ci ficos, atq; in conspectu positas asello consumente, puerũ ut illum abigeret, inclamauit: qui cùm iã comestis omnibus superuenisset: Quoniam, inquit, tam tardus fuisti, da nunc merum asello. Ac protinus urbanitatẽ dicti crebro anhelitu cachinnorũ prosecutus, senile guttur salebris spiritus prægrauauit.

De Pindaro.

At Pindarus, cùm in Gymnasio super gremium pueri, quo unicè delectabatur, capite posito quieti se dedisset, non prius decessisse cognitus est, quàm Gymnasiarcha claudere eũ tam locũ uolente, nequicquam excitaretur. Cui quidem crediderim eadem benignitate Deorum,

& tantum poëticæ facundiæ, & tam placidum uitæ finem attributum.

De Anacreonte.

Sicut Anacreonti quoq;, quem bis tantum humanæ uitæ modum supergressum, dum passæ uuæ succo tenues & exiles uirium reliquias foueret, unius grani pertinacior in aridis faucibus humor absumpsit. Iungam illos, quos & propositum, & exitus pares fecit.

De Milone Crotoniate.

Milo Crotoniates, cùm iter faciens quercum in agro cuneis adactis fissam uidisset, fretus uiribus, accessit ad eã, insertisq; manibus, diuellere conatus est: quas arbor excussis cuneis, in suã naturam reuocata cõpressit, eumq; cum tot gymnicis palmis lacerandum feris præbuit.

De Polydamante.

Item Polydamas athleta tẽpestate speluncam subire coactus, nimio & subito incursu aquæ labefactata ea, ac ruente, cæteris comitibus fuga periculum egressis, solus restitit, tanquã humeris suis totius ruinæ molem sustentaturus: sed pondere omni corpore humano potẽtiore pressus, imbribus petitã latebram, demẽtis fati sepulcrũ habuit. Possunt ij præbere documentum, nimio robore membrorũ, uigorẽ mẽtis hebescere: quasi abnuẽte natura utrinsq; boni largitionẽ: ne supra mortalem sit felicitatẽ eũdem & ualentissimũ esse, & sapientissimũ.

DE CVPIDITATE VITAE. CAPVT XIII.

VErùm quia excessus è uita & fortuitos, & uiriles quosdam etiã temerarios oratione attigimus: subijciamus nunc æstimationi enerues, & effœminatos: ut ipsa comparatione pateat, quantò nõ solùm fortior, sed etiã sapiẽtior mortis interdum, quàm uitæ sit cupiditas.

De Marco Aquilio.

Marcus Aquilius, cùm sibi gloriosè mortem consciscere posset, Mithridati maluit turpiter seruire. quem quis non immeritò dixerit Pontico supplicio, quàm Romano imperio dignioremꝫ: quoniam commisit ut priuatum opprobrium publicus rubor existeret.

De Cneo Carbone.

Cn. quoq; Carbo magnæ uerecũdiæ est Latinis annalibus, tertio in Cõsulatu suo iussu Põpeij in Sicilium ad supplicium ductus, petijt à militibus demissè & flebiliter, ut sibi aluum leuare, priusquam expiraret, liceret: quo miserimæ lucis usu diutius frueretur, eo usq; morã trahẽs, donec caput eius sordidè in loco sedentis abscinderetur. Ipsa uerba tale flagitiũ narrantis secum luctantur, nec silẽtio amica, quid occultari non merentur, neque relatione familiaria, quia dictu fastidienda sunt.

De Decio Bruto.

Quid? Brutus exiguũ & infelix momentũ uitæ

uitæ, quanto dedecore emit? qui à Furio, quem ad eum occidendũ Antonius miserat, cõprehensus, non solùm ceruicẽ gladio subtraxit, sed & constantius eam præbere admonitus, ipsis his uerbis iurauit: Ita uiuã, dabo. Cunctationẽ fati ærumnosam. O iurãdi stolidã fidẽ! Sed hos tu furores immoderata retinẽdi spiritus dulcedo subijcis: sanæ rationis modum expugnando, quæ uitã diligere, mortem non timere præcipis.

De Xerxe rege.

Eadem Xerxem Regem pro totius Asiæ armata iuuentute, quod intra centũ annos esset obitura, profundere lacrymas coëgisti, qui mihi in specie aliena, re uera suam conditionem deplorasse uidetur: opum magnitudine, quàm altiore animi sensu felicior. Quis enim etiã mediocriter prudens mortalem se natum fleuerit?

QVAM EXQVISITA CVSTODIA usi sunt, quibus suspecti domestici fuerunt. CAP XIIII.

REferam nunc eos, quibus aliquos suspectos habentibus exquisitior sui custodiæ quæsita est. Nec à miserrimo, sed ab eo, qui inter paucos felicissimus fuisse creditur, incipiã.

De Masinissa rege.

Masinissa Rex Numidarum, & pop. Rom. amicissimus, parum fidei in pectoribus hominum reponens, salutem suam custodia canum uallauit. Quò tam latè patens imperium? quò

tantus liberorum numerus? quò denique tam acta beneuolentia conſtricta Romana amicitia, ſi ad hæc tuenda nihil canino latratu, ac morſu ualentius duxit?

De rege Alexandro.

Hoc rege infelicior Alexander, cuius præcordia hinc amor, hinc metus torſerunt: nam cùm infinito ardore coniugis Thebes teneretur, ad eandem ex epulis in cubiculum ueniēs, barbarum compunctum notis Threicijs, ſtricto gladio iubebat anteire: nec prius ſe idem lecto committebat, quàm à ſtipatoribus diligenter eſſet ſcrutatus. Supplicium irato deorum numine compoſitum, nec libidini, nec timori poſſe imperare. Cuius timori eadem & cauſa, & finis fuit. Alexandrum enim Thebe pellicatus ira mota interemit.

De Dionyſio rege Syracuſanorum.

Age Dionyſius Syracuſanorum tyrannus huiuſce tormenti quàm longa fabula, qui duodequadraginta annorū dominationem in hunc modum peregit. ſummotis amicis, in eorū locū ferociſſimarum gentiū homines, & à familijs locupletū electos præualidos ſeruos, quibus latera ſua cōmitteret, ſubſtituit: tonſorum quoq; metu, tondere filias ſuas edocuit: quarū ipſarū poſtquàm adultæ ætati appropinquabāt, manibus ferrum non auſus cōmittere: inſtituit, ut candentium inglandium, aut nucum putaminibus

nibus barbam ſibi, & capillum adurereť. Nec ſecuriorem ſe maritū egit, quàm patrem. Duarum enim eodem tēpore Ariſtomaches Syracuſanæ, & Locrenſis Doridis matrimonijs alligatus, neutrius unquam, niſi excuſſæ complexum perijt. Atque etiam cubicularem lectum perinde quaſi caſtra, lata foſſa cinxit: in quem ſe ligneo ponte recipiebat: cùm forem cubiculi extrinſecus à cuſtodibus opertam interiorem clauſtro ipſe diligenter obſeraſſet.

DE SIMILITVDINE formæ. CAP. XV.

De ſimilitudine autē oris, & totius corporis, altiore doctrina præditi ſubtilius diſputant, eorumq; alij in ea ſunt opinione, ut exiſtimēt illam origini, & cōtextui ſanguinis reſpondere. Nec parvum argumentū ex cæteris animalibus trahūt, quæ ferè gignēntibus ſimilia naſcuntur. Alij negant certā hanc eſſe naturæ legem, ſed ſpecies mortaliū, prout fortuita ſors conceptionis obtulit, attribui: atq; ideo plerunq; ex ſpecioſis deformes, ex robuſtis invalidos partus edi. Verūm quoniam iſta quæſtio in ambiguo uerſatur, pauca inter alienos conſpectæ ſimilitudinis exempla referemus.

De Vibio ingenuo, & Publicio libertino ſimilibus Pompeio Magno.

Magno Pompeio Vibius ingenuæ ſtirpis, et Publicius Libertinus ita ſimiles fuerūt, ut permutato

mutato statu, & Pompeius in illis, & illi in Pompeio salutari possent. Certè quocunque aut Vibius, aut Publicius accesserant, ora hominum in se obuertebant, unoquoq; speciem amplissimi ciuis in personis mediocribus annotãte. Quod quidem fortuitum ludibrium, quasi hæreditarium ad eum penetrauit.

De Menogene coco simili
patri Pompeii Magni.

Nam pater quoque eius eo usque Menogenis coci sui similis esse uisus est, ut uir & armis præpotens, & ferox animo, sordidum eius nomen repellere à se non ualuerit.

De Cornelio Scipione cognomento Serapione.

Eximiæ uerò nobilitatis adolescẽs Cornelius Scipio, cùm plurimis, & clarissimis familiæ suæ cognominibus abundaret, in seruilem Serapionis appellationem uulgi sermone impactus est, quòd huiusce nominis uictimario similis erat: nec illi aut morum probitas, aut respectus tot imaginum, quò minus hac contumelia aspergeretur, opitulata est.

De Lentulo, & Metello similibus histrionibus.

Generosissimus Consulatus collegio Lentuli & Metelli fuit: qui ambo in scena propter similitudinem histrionum propemodum spectati sunt. Sed alter ex quodam assectarũ cognomen

men Spintheris traxit: alter nisi Nepotis à moribus accepisset, Pamphili retiarij, cui similimus esse ferebatur, habuisset.

De M. Messala simili Menogeni, & Curione simili Burbuleio.

At M. Messala Consularis, & Censorius, Menogenis: Curioq; omnibus honoribus abũdans, Burbuleij: ille propter oris aspectum: hic propter parem corporis motum, uterque scenici nomen coactus est recipere. Abunde sint hæc domesticis, quoniam personis sunt excellentia, & non obscura notitia celebrantur.

De rege Antiocho simili Artenioni.

Regi Antiocho unus ex æqualibus, & ipse regiæ stirpis, nomine Artenio, perquàm similis fuisse traditur: quem Laodice uxor Antiochi, interfecto uiro, dissimulandi sceleris gratia, in lectulo perinde quasi ipsum Regẽ ægrũ collocauit. Admissumq; uniuersum populum & sermone eius, & uultu consimili fefellit: crediderunt q; homines ab Antiocho moriẽte, Laodicem, & natos eius sibi commendari.

De Hibrea Mylasio simili cuidam seruo Gymnicorum.

Hibream autẽ Mylasium copiosæ, atq; cõcitatæ facundiæ oratorem, Gymnicorum seruo stramenta Gymnasij colligenti, tam similem ferunt, ut tanquam germanum fratrem totius Asiæ oculi assignarent, ita lineamentis oris,

& omnium membrorum compares erant.

De quodam Prætore Romano simili cuidam Siculo.

Ille uerò, quem in Sicilia Prætoris admodũ similem fuisse constat, petulantis animi. Proconsule enim dicente, mirari se quapropter sui tam similis esset, cùm pater suus in eam prouinciam nunquã accessisset: At meus (inquit) Romam frequẽter accessit. Ioco nanq; lacessitam matris suæ pudicitiam, inuicem suspicione in matrem eius reiecta, audacius, quàm uirgis & securibus subiecto conueniebat, ultus est.

DE IIS QVI INFIMO LOco nati mendacio se clarissimis familiis inserere conati sunt.

CAPVT XVI.

SEd tolerabilis hæc, & uni tantũmodo anceps temeritas, quod sequitur impudẽtiæ genus, nec ferendũ ullo modo, periculiq; tum priuatim, tum etiã publicè latè patentis. Nam ut Equitiũ Firmo Piceno monstriũ ueniens relatũ iam in huiusce libri superiore parte, prætereã, cuius in amplectendo Tyberio Graccho patre, cuidens mendacium, turbulento uulgi errore, amplissima tribunatus potestate uallatũ est.

De Herophilo Equario.

Herophilus Equarius medicus C. Marium septies Consulem auum sibi uendicando ita se extulit, ut coloniæ se ueteranorũ complures, & municip

municipia splendida, collegiaq; ferè omnia patronum adoptarent. Quinctiam cùm C. Cæsar Cn. Pompeio adolescente in Hispania oppresso, populum in hortos suos admisisset, proximo intercolumnio penè pari studio frequentiæ salutatus est: quod nisi diuinæ Cæsaris uires huic erubescendæ procellæ obstitissent, simile uulnus Respub. excepisset, atq; in Equitio acceperat. Cæterùm decreto eius extra Italiam relegatus, postquàm ille cœlo receptus est, in urbem rediit, & consilium interficiendi Senatus capere sustinuit: quo nomine iussu patrum necatus in carcere feras prompti animi ad omne moliendum scelus pœnas pependit.

De quodam, qui se fecit filium Octauiæ sororis Augusti.

Nec diui quidem Augusti etiãnum terras regentis excellentissimum numen intentatũ ab hoc iniuriæ genere extitit: cùm quidam clarissimæ ac sanctissimæ sororis eius Octauiæ utero se genitum fingere auderet, propter summã autem imbecillitatem corporis, ab eo, cui datus erat, perinde atq; ipsius filium retentum, subiecto in locum suum proprio filio diceret: uidelicet, ut eodem tempore sanctissimi penates, & ueri sanguinis memoria spoliaretur, & falsi sordida contagione inquinarẽtur. Sed cùm plenis impudentiæ uelis, ad summũ audaciæ gradum ferretur, imperio Augusti remo publicæ

trirem

triremis affixus est.

De quodam, qui se dicebat filium Quinti Sertorii.

Repertus est etiã qui se diceret esse Qu. Sertorij filium, quẽ ut agnosceret uxor eius, nulla ui cõpelli potuit. Quid Trebellius Calca, quàm asseuerãter se Clodiũ tulit? & quidem dum de bonis eius contendit, in centumuirale iudicium adeò fauorabilis descendit, ut uix iustis, & æquis sententijs conslernatio populi ullum relinqueret locum. Illa tamen quæstione neq; calumniæ petitoris neq; uiolentiæ plebis iudicantium religio cessit. Multò fortius ille, qui Cornelio Sylla Rep. potiente, in domũ Cn. Assidionis irrupit, filiãq; eius patrijs penatibus expulit, uociferando non illum, sed se Assidione esse procreatũ. Verùm postquã à Syllana uiolentia Cæsariana æquitas reduxit gubernacula Romani imperij, iustiore principe obtinente Remp. in publica custodia spiritũ posuit. Eodẽ præside Reip. in consimili mendacio muliebris temeritas Mediolani repressa est. Siquidẽ cùm se pro Rubria quædã, perinde ac falso credita esset incendio periisse, nihil ad se pertinentibus bonis insereret, nec ei aut tractus eius splendidi testes, aut cohortis Augusti fauor deesset: propter inexpugnabilem Cæsaris constantiã irrita nefarij propositi abijt. Idem barbarum quendam, ob eximiã similitudinẽ Cappadociæ regnum affectantem, tanquam Ariarates esset, quem à M. Antonio interemptum luce clarius erat: quanquam penè totius Orientis ciuitatum, & gentium credula suffragatione suffultum caput, imperio dementer imminens, iusto impendere supplicio coëgit.

LIBRI NONI VALERII MAXIMI FINIS.

IN MVLTIS codicibus, tum recentibus, tum etiam Aldinis librum decimum hunc non reperi. In antiquis tamen codicibus duobus sese obtulit: quem nobis in lucem C. Tit. Probum retulisse, & corruptum in epitomen redegisse puto: cuius hæc est præfatiũcula subsequens. an stylum Valerij redoleat nec'ne, emunctarum aurium iudicio relinquo.

IN EPITOMEN SVAM C. Titi Probi Præfatio.

Decimus huius operis liber, qui & ultimus est, uel ex negligentia aut maleuolentia librariorum deperijt: abbreuiator ucrò titulos eius habebat integrè fortasis: tamen de uno tantum hoc est, de prænomine epitoma repræsentabat.

DECIMI HVIVS OPERIS LIbri, per Caium Titum Probum Epitome.

DE PRAENOMINE.

VARRO simplicia in Italia fuisse nomina ait: existimationis'que suæ argumentum refert, quòd Romulus & Remus, Faustulus, neque prænomen ullum, neque cognomen habuerunt. Qui ab eo dissentiunt, aiunt matrem eorum Rheam Syluiam uocatam: auum, Syluium Numitorẽ: fratrẽ eius Amulium Syluium: & superiores Albanorum reges, Capetum Syluiũ, Agrippã Syluiũ: posterioresq; duces, Metium Sufficiũ, & Tutorem Clodium uocatos: nec contenti ijs, ad Sabinos transgrediuntur: & Titum Tatium, Numam Pompilium, & patrem eius Pompium Pompilium: eius deniq; regionis principes enumerant, Putilianum Lauianũ, Volesiũ Valentiũ, Metium Curtium, Alium Sumusilleaticum. Hetruscis, recitãt Lartẽ Porsenã. Ab Equiculis, Septimium Mediũ, primum regem eorum, & Sertorem Resium, qui primus Ius Feciale instituit. In hunc modum Varronis sentẽtia subruitur. Romanos autem arbitrandum est ab Albanis, & Sabinis multiplicandorũ nominum consuetudinem traxisse: quoniam ab illis orti sunt. Omnia autẽ quæ ad unũquenq; nostrum definiendum excogitata sunt, eandem uim significandi hominis obtinent. Quod per proprietatẽ dicitur, hoc distat, quia eo gens cognoscitur, ideoq; dicitur gentilitiũ. Cætera ordine uariantur. Nam quod præponitur, prænomen: quòd pòst fertur, cognomen: quod ad ultimum dicitur, agnomen: quorum series non ita, ut exposui, semper seruata est. Animaduerto enim in consulum fastis, perplexũ usum prænominum & cognominum fuisse: dictum, Posthumum Cominium Aruntium, & Posthumum Ebutium Heluam, & Vopiscum Iulium, & Opitrem Virginium Tricoscum, & Paulum Fabium Maximum. Quinetiã quædam cognomina in nomẽ uersa sunt: ut Cepio: nanq; hoc in Bruto, nominis locum obtinuit.

Gentilium nomina Varro putat fuisse numero & prænomina circa triginta. Pueris non priusquàm togam uirilem sumerent: puellis nõ antequàm nuberent, prænomina imponi moris fuisse. Quintus Scæuola autor est. Quæ olim prænomina fuerunt, nunc cognomina sunt: ut, Posthumius, Agrippa, Proculus.

Cæsar Opiter, qui patre mortuo, auo uiuo gignebatur: ut Opiscus, qui in utero matris geminus conceptus, altero abortu ejecto, incolumis editus erat.

Hospes prænomẽ fuit, in eo qui peregre apud hospitem natus erat, idque habuit Lucretius

Tricipitius, collega Lucij Sergij. Volero enim in prænomẽ abijt, quia nolentibus nasci liberis parentibus uidebatur, quo usus est P. Philo.

Laertis prænomen est, sumptum à laribus. Tuscum antè creditum esse, fuitq; consularis. Heriminus, est prænomẽ Tito Virgineo Castio. Statius, à stabilitate: Faustus, à fauore prænomen ceperũt. Tullius prænominatus est ominis gratia, quasi tollẽdus, o litera, in u, cõuersa. Sertior, qui per sationẽ natus est, appellat⁹ est. Ancũ prænomẽ, Varro à Sabinis trãslatũ putat: Valerius autẽ scribit, quòd cubitum uitiosum habuit, quòd Græcè uocatur ἀγκών. Lucij cœperunt appellari, qui ipso initio lucis orti erãt: aut (ut quidam arbitrantur) à Lucumonibus Hetruscis. Manij, qui manè editi erant: uel ominis causa, quasi boni: Manum enim antiqui bonũ dicebãt. Cneus, ob insignẽ rem appellatus, quod unum prænomen uaria scriptura notatur: alij enim Neum, alij Gneum, alij Cneũ scribũt: qui G litera in hoc prænomine utuntur antiquitatem sequi uidentur, quæ multum ea litera usa est: olim enim dicebant frugmentum, nunc frumentum refertur: & gnatura, modò natura. Igitur etiam qui in corporibus gigni solet Gneus appellatur. Qui C, corruptione syllabæ delectari uidentur. Qui Neus, lenitatem Gaij indicant, à gaudio parentum dicti. Auli, qui dijs alentibus nascuntur. Marci, qui Martio mense

mense genitii. Publij, qui prius pupilli facti erant, quàm prænomina haberent: alij ominis causa ex pube. Tyberij uocitari cœperunt, qui ad flumen Tyberim nascebantur. Titus à Sabino nomine Tito fluxit. Appius, ab Æolico eiusdem regionis prænomine. Cæsones appellati sunt, qui mortuis matribus excẽti erant. Seruius, qui mortua matre in utero seruatus est. Spurij, patre incerto geniti, quasi Epopiæ. Numeri, sola patritia familia usa est Fabia, idcirco quòd CCCVI. apud Trebiã flumẽ cæsis: qui unus ex ea stirpe extiterat, ducta in matrimonium uxore filia Numeri Italicij Malemitani, sub eo pacto, ut quem primum filium susstulisset, ei Numeri prænomen imponeret obtemperauit. Antiquarum mulierum frequenti in usu prænomina fuerunt, Rutilia, Cesellia, Rodocilla, Mutrulla, Burra, à calore dicta. Ista prænomina, à uiris tracta sunt, Caia, Lucia, Publia, Mœrea. Cæterum Caia usu super omnes celebrata est: fertur enim Caiam Cæciliam, Tarquinij Prisci regis uxorem, optimã lanificam fuisse, & ideo institutum fuit, ut nouæ nuptæ, ante ianuam mariti interrogatæ quænam uocarentur, Caiam esse se dicerent.

FINIS.

INDEX COPIOSISSIMVS, OMNIVM NOMINA de quibus passim in hac historia agitur complectens.

*

Prior numerus librum, posterior uerò eius libri caput indicat.

A

Accius poëta 3.7
Admetus rex Thessaliæ 4.6
Aegles Samius 1.8
Aelia familia 4.4
Aelius Mantia Formianus 6.2
Aelius prætor 5.6
Aemilia uirgo 1.1
Aemilianus Scipio 2.5. & 3.2
Aemilius Lepidus 3.1
Aemilius Paulus 5.10
Aenei tauri inuentor 9.2
Aeschines 8.10
Aesculapij ædes 1.8
Aethiopes 8.14
Affrania uxor Licinij Eructionis 8.3
Africanus superior 2.2. & 4.1. & 3.5. & 4.1. & 5.4. & 5.6. & 6.6. & 6.9. & 8. 15. & 8.16. & 9.7. & 4.2
Africanus posterior 2.2. & 4.1. & 5.1 & 5.3

Afri

Africanus, & Tiberius 4.2
Agathocles rex Syracusarum 7.4
Agesilaus 7.2
Agrigentinus Gillias 4.8
Albanus lacus 1.6
Alcibiades 1.7. & 3.1. & 6.11
Alexander rex 1.4. & 4.7. & 5.1. & 9.3. & 9.5. & 9.14. & 6.4. & 8.11. & 8.15
Alexander seruus Fannij 8.4
Alexander rex Macedoniæ 1.7. & 5.1. & 7.3. & 7.4. & 3.1. & 3.8
Amicitia 4.7
Amilcar 1.7. & 9.3
Amor cuiusdam patris in filium 7.3
Amor filiæ erga matrem 5.4
Amor & indulgentia parentum in liberos 5.7
Amphiaraus 8.16
Amphinomus frater Anapi 5.4
Anacharsis 7.2
Anacreontes 9.12
Anapus frater Amphinomi 5.4
Anaxagoras philosophus 5.10. & 7.2. & 8.7
Anaxarchus 3.3
Anaximenes præceptor Alexandri 7.3
Antigonus 5.1
Antiochus 4.1
Antiochus rex 2.5. & 4.1. & 9.13

Antiochus rex Syriæ 9.1
Antij Restionis seruus 6.8
Antipater poëta 1.8
Antonia 4.3
Apolloniatæ 1.5
Apollo uindicans se de sacrilegio 1.2
Appius 8.14
Appius Claudius 7.2. & 8.1. & 9.3
Arcades duo 1.7
Archilochus poëta 6.3
Archimedes philosophus 8.7
Architas Tarentinus 4.1
Areopagus 2.1
Arganthonius Gaditanus 8.14
Ariobarzanes rex Cappadocia 5.7
Aristides Athenienſis 6.5
Aristides Romanus 7.3
Aristides 5.3
Aristophanes 7.2
Aristogitones 2.5
Aristoteles 5.6. & 7.2. & 8.15
Arthemisia 4.6
Artifex quidam 8.13
Artorius medicus 1.7
Asdrubalis uxor 3.2
Asinarius quidam 7.3
Athenarum uir quidam eruditißimus 1.8
Athenienſes 2.1. & 5.3. & 6.3. & 8.13. & 9.2. & 9.8

Athenienſium religio 1.2
Athenienſis cuiuſdam ſenis hiſtoria 4.5
Athenienſis quidam 6.3
Athletarum certamen 2.1
Attalus rex 5.2
Atterius Rufus 1.7
Attilius 1.8
Attilius Calatinus 4.4. & 8.1
Attilius Philiſcus 6.1
Attilius Regulus 4.4
Auguſtus Cæſar 1.7
Aulus Attilius Calatinus 8.1
Aulus Fulnius 5.8
Aulus Gabinius 8.1
Aulus Poſthumius 1.8

B

Barbari 9.2
Bebius Pamphilus Conſul 1.1
Berenice 8.16
Bias Prienenſis 7.2. & 7.3
Biton frater Cleobis 5.4
Blaſius 3.8
Brutia uxor L. Menenij Agrippæ 7.8
Brutus primus conſul 5.6
Brutus 9.13
Bruſa fœmina 4.8

C

Cæcilia uxor Metelli 1.5. & 2.1
Cælius Rufus 4.2

Cælij fratres, & filij Titi Cælij 8.1
Cæsar 5.1
C.Blosius 4.7
C.Calpurnius Piso 7.7
C.Carbonis mors 9.7
C.Cæsar 6.11.& 9.8
C.Claudius Pulcher 2.1
C.Cassius 1.5.& 3.1.& 9.9
C.Cornelius Hispalus 1.4
C.Cotta 2.2
C.Cosconius 8.1
C.Duellius 3.6
C.Cluuius 9.9
C.Fabius 1.1.& 1.8
C.Fabricius 1.8.& 4.4
C.Flaminius 1.6.& 5.4
C.Fesceninus triumuir 6.1
C.Flauius uulgans ius ciuile 2.1
C.Gracchus 1.7.& 63.& 4.7.& 8.10
C.Hostilius 1.6
C.Iulius Cæsar 4.5
C.Iunius 2.4
C.Licinius 9.12
C.Mallius Consul 2.1
C.Marius 1.5.et 2.1.et 2.5.et 3.6.et 4.5.& 5.2.& 6.1.& 8.2.& 8.6.& 8.16.& 9.2.
C.Marius Candidatus 6.11
C.Marius senex 3.2
C.Martius 4.3

C.Meuius 3.8
C.Numenius Fabius 4.3
C.Plautius 4.6
C.Plotinus 6.8
C.Plotini Plancij serui 6.8
C.Scipio 3.8
C.Sempronius 3.2
C.Sergius Orata 9.1
C.Sulpitius Gallus 6.3
C.Valerius Flaccus 6.9
C.Vatienus 6.3
C.Visellius 8.2
C.Volumnius 1.6
C.Vticensis 3.2
C.Turanius 9.11
Calamus Indus 1.8
Caliguritani 7.5
Callidius Bononiensis 8.1
Calpurnius Piso 4.3.& 7.7
Cambyses rex 6.3
Camillus 1.5.& 2.4.& 5.3
Campani 5.1.& 9.5
Caninius Gallus 4.2
Carneades philosophus 8.7
Carthaginienses 5.3.& 9.2.& 9.5.& 9.6
Casilinates 7.6
Cassius 5.8
Catilina 9.1
Cato 6.2

Cato inferior 8.7
Cato posterior 4.1.& 4.5
Cato superior 3.7.
& 4.3.& 8.7
Cato Vticensis 3.2
Cecinna 2.3
Celiberi 2.1
Ceres quomodo placatur 1.1
Cereris iindicta in Alexandri milites exercita 1.2
Certi creditores 9.7
Cesilius 6.2
Cesetus Romanus 5.7
Charondas Tyrius 6.5
Chlœlia uirgo 3.2
Chrysippus 8.7
Cibi capiendi mos antiquior 2.1
Cicero 4.2
Cimon Athenienſis 6.11
Cimonis pietas erga patrem 5.4
Cinna 2.3
Ciuitas Romana 7.6
Ciuitas Spartana 2.1
Claudia uirgo ueſtalis 5.4
Claudia filia Auli 8.14
Claudia 8.1
Claudius Marcellus 6.1
Claudius Nero 2.4
Claudius Pulcher 2.1

Cleanthes philoſophus 8.7
Clearchus Lacedæmoniorum dux 2.2
Cleopatra 9.2
Cn. Carbo 9.12
Cn. Cornelius Scipio Aſina 6.11
Cn. Cornelius Scipio 6.3
Cn. Cornelius Scipio cognomento Serapio 9.15
Cn. Domitius 9.1.& 9.6
Cn. Domitius Trib. ple. 6.5
Cn. Fuluius Flaccus 2.3
Cn. Lentulus Marcellinus Conſul 6.2
Cn. Martius 4.3
Cn. Piſo 6.2
Cn. Pompeius 1.6.& 2.1.& 5.1.& 8.16.& 9.5
Cn. Popilius Lenates 5.3
Cn. Scipio 3.7.& 4.4.& 4.5
Codrus rex Athenienſium 5.6
Cœlij fratres 8.1
Collegium Tribunorum 6.5
Coma frater Diogenis 9.12
Coriolani pietas 5.4
Cornelia 4.4.& 4.6
Cornelius Balbus 7.9
Cornelius Caſcus 3.2
Cornelius Gallus 9.12
Cornelius Scipio 6.3
Cotta 8.1
Craſſus dictus Dives 6.11
Cretenſes 7.2.& 7.6

Cræsus 1.7
Cræsi filius 6.4
Curio 9.15
Curiones 9.1
Curtius Romanus 5.6
Cynegirus 3.2
Cyprij 9.1
Cyrus 8.7
Cyrus superior 1.7

D

Damasippus 9.2
Damon 4.7
Dandones quidam 8.14
Daphida 1.8
Darius 5.2
Darius rex 4.4. & 7.3
Decius Brutus 8.15
Decius Lælius 4.7
Demades 7.2
Democritus philosophus 8.7
Demosthenes 3.4. & 7.3. & 8.7. & 8.10
Deiotarus rex 1.4
Deorum cultus 1.1
Deorum Troianorum mira historia 1.8
Diogenes 4.3
Diomedon 1.2
Dion Syracusanus 3.8. & 4.1
Dionysius 1.2. & 1.7
Dionysius rex Syracusanorum 9.14

Dionysius tyrannus 6.11
Diphilus Tragœdus 6.2
Diuus Augustus 7.6
Diuus Iulius 1.8. & 3.2. & 7.6
Domini seruorum, Equites & Centuriones 5.6
Drusus Germanicus 4.3
Duo fratres filij regij 9.11
Duorum fratrum pietas erga parentes 5.4

E

Egnatius Metellus 9.3
Epaminundas 3.2. & 3.7
Ephialtes 3.8
Epimenides Cnosius 8.14
Epiori quidam 8.14
Equa parit leporem 1.6
Equestris ordo 2.1
Equites & Centuriones, domini seruorum 5.6
Erus Pamphilius 1.8
Eschylus poëta 9.12
Eubatia uxor L. Menenij Agrippæ 7.8
Eumenes rex Asiæ 2.1
Euporus seruus Gracchi 6.8
Euripides 3.4
Euripides philosophus 3.7
Euripides poëta 9.12

F

Fabius Labeo 7.3
Fabius Maximus 1.1. & 4.1. & 4.8. & 5.2. & 7.3

Fabricius Lucinus 2.4. & 4.3
Fides publica 6.6
Fides seruorum erga dominos 6.8
Fides uxorum in uiros 6.7
Figulus 9.9
Filia Mithridatis regis 1.8
Filiæ pietas in patrem 5.4
Filius Æsopi Tragœdi 9.1
Filius Clodij Pulchri 3.5
Filius Crœsi 5.4
Filius P. Decij 5.6
Filius Q. Fabij degener 3.5
Fimbria 9.11
Flaminius 5.2
Fœminæ Indicæ 2.1
Fœminæ memorabile factum potionem mortiferam bibentis 2.1
Fœminæ Punicæ 2.1
Fortunæ simulacrum 1.8
Fuluius 5.9
Fuluius Flaccus 3.8. & 8.4
Furius Camillus 1.8. & 4.1. & 5.3
Furti damnatus 8.2

G

Galli 2.1
Gallorum mos 2.1
Gamellus Tribunitius 9.1
Genutius quidam 7.7
Genitius Cippus prætor 5.6
Geta 2.4
Gobria 3.2
Gorgias Epirota 1.8
Gorgias Leontinus philosophus 8.16
Gratidij mors 9.7
Grauiter dicta aut facta 9.4
Gyges 7.1

H

Hala Ser. 5.5
Hannibal 1.7. & 3.7. & 5.1. & 7.3. & 7.4. & 9.1. & 9.2. & 9.3. & 9.5
Hanno 7.2
Harmodius 2.5
Hegesia philosop. 8.9.
Herennius Pontius Samnites 7.2
Herennius Siculus 9.12
Hetrusci 9.2
Herophilus Equarius 9.16
Hibrea Milesius 9.16
Hiero Syracusanus 4.8
Hippoclides 1.8
Hippo fœmina 6.1
Hipsicratea uxor Mithridatis 4.6
Homerus poëta 8.8
Honoris templum 1.1
Horatius 6.3
Horatius Cocles 3.2
Horatius Puluillus 5.10
Hortensia filia Qu. Hortensij 8.3

Hortensius Corbio 3.5

I

Iason quidam 1.8
Iasonis mors 9.10
Indi 8.14
Indicæ fœminæ 2.1
Indorum patientia 3.3
Infames rei 8.1
Isocrates 8.7
Iulia C. Cæsaris uxor 4.6
Iulius 1.8
Iulius Cæsar 8.9
Iulius Brutus 7.3
Iustitia 6.5
Iuuenes Romani 9.3
Iuuenis dictus Pluto 5.4

L

Lacedæmon 4.6
Lacedæmonij 6.4
Lælius 8.8
Lectorius 4.7
Lentulus 5.3. & 7.9
Lentulus, & Metellus 9.15
Leonidas Spartanus 3.2
Liberè dicta aut facta 6.2
Licinia 6.3
Licinius Fimbria Consularis 7.2
Licens 1.8
Liuia Rutilij 8.14
Liuius

Liuius Drusus 8.7
Liuius Salinator 3.6. & 9.3
L. Æmilius Paulus 1.4. & 7.5
L. Brutus 5.8
L. Calpurnius 2.2
L. Catilina 9.11
L. Cinna 4.3
L. Cornelius 5.1
L. Cornelius Merula 9.12
L. Crassus 3.7. & 4.5. & 6.2. & 6.5. & 8.5. & 9.1. & 9.7
L. Domitius prætor 6.3
L. Flaccus 2.4
L. Furius 2.4
L. Furius Bibaculus 1.1
L. Gellius 5.9
L. Hortensius 5.9
L. Iunius 1.4
L. Lentulus 1.8. & 6.11
L. Lucullus 7.9
L. Manlius Torquatus 5.4
L. Martius 1.8. & 8.16
L. Marcus 8.5
L. Martius tribunus militum 2.2
L. Paulus 5.1
L. Paulus, & filia 1.5
L. Petronius 4.7
L. Piso 8.1
L. Pontius eques Rom. 8.7

L. Quintius Cincinnatus 2.2. & 4.1
L. Rheginus 4.7
L. Salinator 2.4. & 3.7
L. Scipio 3.6. & 3.7. & 8.1
L. Sextilius 8.1
L. Septimuleius 9.4
L. Sicinius Dentatus 3.2
L. Sylla 1.2. & 1.6. & 3.6. & 5.2. & 6.5. & 6.9. & 7.5. & 8.15. & 9.2. & 9.3.
L. Sylla Consul 1.6
L. Tarquinius 1.4
L. Valerius 7.9
Luctatius 1.4
Luctatius Consul 2.3
Lucretia 6.1
Ludorum mos 2.1
Lyciorum ritus & mos 2.1
Lycurgus. 5.3
Lycurgus Lacedæmoniorum legislator 1.3

M

Magius Chilo 91.1
Maiores quem morem in urbe obseruabant 2.1
Maiores quomodo dabant exemplum uirtutis iuuenibus 2.1
Manlius 6.4
Manlius Torquatus 2.2. & 5.8. & 6.4. & 9.3
Manlius Torquatus, filius L. Manlij Torquati 6.9
Marcellus 1.1. & 1.6
M. Aemilius Lepidus 4.2
M. Aemilius Porcina 8.1
M. Aemilius Scaurus 8.1. & 8.5
M. Agrippa 4.7
M. Anci Carseol. filius. 7.7
M. Antonius 2.4. & 3.7. & 7.3. & 5.1. & 8.9. & 9.5
M. Aquilius 9.13
M. Atilius Regulus 1.1. & 2.4. & 3.2
M. Bibulus 4.1
M. Brutus 1.4. & 1.5. & 5.1. & 6.4
M. Cato 3.1. & 3.6. & 4.3. & 8.16
M. Castritius 6.2
M. Cicero 8.5. & 8.10. & 1.7
M. Claudius Marcellus Aedilis, & filius suus 6.1
M. Clodius 6.3
M. Cornelius 1.5
M. Cotta 5.4
M. Crassus 1.6. & 9.4
M. Curius 4.3
M. Curius Consul 6.3
M. Drusus Tribunus 9.5
M. Fabius 5.5
M. Flaccus 6.3
M. Fuluius Flaccus 9.5
M. Horatius 8.1

M. Iuuentius Consul 9.12
M. Lepidus 8.5
M. Licinius Stolo 8.6
M. Marcellus 1.6. & 2.3. & 3.2. & 4.1. & 5.1
M. Manlius 5.3
M. Marius 2.1
M. Messala 9.15
M. Menenius Agrippa 4.4
M. Palicanus 3.8
M. Perpenna 3.4. & 8.14
M. Plancius 4.6
M. Popilius 7.9
M. Porcius Cato 7.5
M. Rutilius Censorinus 4.1
M. Scæua 3.2
M. Scæuola 3.2
M. Scaurus 4.4. & 5.8. & 3.8
M. Torquatus 1.7
M. Tul. Cicero 1.4. & 1.7
M. Valerius 8.17
M. Valerius Maximus 2.4
M. Valerius Messala 2.4
M. Valerius Coruinus 8.14
M. Volusius ædilis 7.3
Martius 1.6
Martius Coriolanus 5.2
Masinissa rex 1.2. & 5.2. & 8.14. & 9.14
Massilienses 2.1

Massiliensium ritus 2.1
Menogenes cocus 9.15
Metellus 1.1. & 1.4. & 2.2. & 3.8. & 5.2. & 8.14. & 9.3
Metellus Celer 6.1
Metellus Macedonicus 4.1
Metellus Numidicus 4.1
Metellus Pius 9.1
Metellus Pontifex 1.1
Midas 1.6
Miles quidam 7.7
Miles Cn. Pompeij 5.5
Milites Albani ducis 9.8
Milites Cn. Pompeij 9.7
Milites L. Syllæ 9.7
Militius Cn. Lolius 8.1
Milo Crotoniates 9.12
Miltiades 5.3
Minos Cretæ insulæ rex 1.3
Minutius Consul 5.2
Minutius magister equitum 5.2
Minyæ 4.6
Mithridates 5.2. & 8.7 & 9.2. & 9.11
Mithridatis regis filia 1.8
Moderatio parentum in susceptos liberos 5.9
Mulier matrem interficiens 8.1
Mulier uirum & filium interficiens 8.1
Mulieres Romanæ 9.1

Munatius Flaccus 9.2
Mutius Scæuola 3.3

N

Nausimenis uxor 1.8
Numa Pompilius 1.3
Numantini 7.6
Numidæ 2.1
Nuptiæ quomodo celebrantur 2.1

O

Octauiæ sororis Augusti, falsò dictus filius: quiq; se eius filium mentiebatur 9.16
Octauius Balbus 5.7
Octauius Consul 1.6
Ochus dictus Darius 9.2
Ochus Artaxerxes 9.2
Omen 1.5
Ordo equestris 2.1
Orgiagontis Reguli uxor 6.1
Orthrydes 3.2

P

Panopionis seruus 6.8
Papyrius 2.2
Papyrius Cursor Consul 7.2
Papyrius Masso 3.6
Parentum amor & indulgentia in liberos 5.7
Parentum seueritas erga liberos 5.8
Pater ignotus 5.9
Patritij Romani 9.3

Patris amor in filium 7.3
Paulus Aemylius 2.5. & 4.3
Pausania ciuitas 2.1
Pausanias 2.1. & 8.15
Pedanius Centurio 3.2
Peletini 6.6
Pericles 4.3. & 8.9. & 8.11
Pericles princeps Athenienſis 5.10
Perſarum in Apollinem religio 1.2
Perſarum inſtitutum probabile 2.1
Peſtilentia 1.8
Petilius 1.5
Pherenice 8.18
Phidias 3.7
Philæni fratres Carthaginienſes 5.6
Philemon 9.12
Philippus Macedo Rex 1.8
Philippus Rex 5.2. & 1.8
Philippus Rex, pater Alexandri 7.2
Philocrates ſeruus Gracchi 6.8
Philon 8.13
Phocion 3.8. & 5.3
Pictor quidam 8.2
Pietas erga fratres 5.5
Pietas erga patriam 5.6
Pindarus 9.2
Pindarus ſeruus Caſſij 6.8
Pirithous 4.7
Piſiſtratus 1.3. & 8.9. & 5.2

Pisistratus Athenienſis tyrannus 1.3. & 5.1
Pittacus 4.1
Pittacus Mityleneus 6.5
Plato 1.6. & 4.1
Plato Philoſophus 4.1. & 7.2. & 8.7. & 8.13
Pleminius legatus Scipionis 1.2
Pluto iuuenis 5.4
Polemon Athenienſis Philoſophus 6.11
Poliſtratus 1.8
Polycrates tyrannus Samiorum 6.11
Polydamas 9.12
Pompeius 1.5. & 5.3. & 4.5. & 4.7. & 8.15
Pompeÿ patientia 3.3
Pompeius Rheginus 7.8
Pompilius legatus 6.4
Pontius 3.8
Pontius Auſidianus 6.1
Populus Aegypti 9.1
Populus Romanus 4.8. & 9.7
Populi Romani error in C. Heluium 9.9
Populus Romanus in Camillum 5.3
Populi uerecundia 4.5
Populus Cinanienſis 6.4
Portia Catonis filia 3.2. & 4.6
Portius Cato 2.4. & 3.2
Poſthumius 2.4
Poſthumius Tiburtus 2.2
Potitius ſacra non obſeruans 1.2
Præneſtini 7.6
Prætor quidam Rom. 9.15
Prienenſes 1.5
Princeps Priuernatum 6.2
Pruſa filia regis Bithyniæ 1.8
Ptolemæus rex Aegypti 9.1. & 9.2
Ptolemæus rex Cypriorum 9.4
Publicani 6.5
Publicia 6.3
Publicius Libertinus 9.15
Publius Attilius Philiſcus 6.1
P. Bilius triumuir 8.1
P. Cælius 1.1
P. Claudius 1.4
P. Cl. Pulcher 4.2
P. Clodius 9.1
P. Cornelius Conſul 1.1
P. Cornelius Scipio 2.2
P. Craſſus 3.2. & 8.7
P. Decius 1.7. & 5.6
P. Decÿ filius 5.6
P. Furius 8.1
P. Furius Philo 3.7
P. Lentulus 5.3
P. Licinius 1.1
P. Meuius 6.1
P. Mutius 6.3
P. Pulcher 4.2

P.Rutilus 2.1.& 2.5.& 6.4
P.Scipio 3.6.& 8.8
P.Scipio Africanus 6.2
P.Scipio Nasica 3.2.& 3.5. & 3.7.& 7.5
P.Sempronius Sophus 6.3
P.Senator 8.7
P.Seruilius Consularis 8.5
P.Sextilius 5.3
P.Valerius Publicolæ 2.1.& 4.1
P.Vatinius 1.8
P.Ventidius 6.10
Pudicitia 6.1
Pyrrhus 4.3.& 5.1
Pythagoras 8.7.& 8.16
Pythias 4.7

Q

Quædam fœmina Syracusana 6.2
Quædam mulier 6.2
Quatuor Trib.pleb. 6.5
Quidam antistes Rom. 7.3
Quidam Epicurus 8.14
Quidam gloriæ cupidus 8.15
Quidam puerum inordinatè amans 8.1
Quidam seruus Caij Marij 6.8
Quidam seruus Panopionis 6.8
Quidam uolens incendere templum Dianæ 8.15
Quidam uolens interficere Octauium Augustum

gustum 9.11
Quintus Aelius Tubero 7.5
Q.Aemilius 4.4
Q.Antistius uetus 6.3
Q.Cæcilius 7.9
Q.Cæcilius Metellus 7.5
Q.Cassius 9.4
Q.Catulus 2.1.& 2.3.& 6.9.& 8.16 & 9.12
Q.Cepio 6.11
Q.Cincinnatus 4.4
Q.Considius 4.8
Q.Consul 5.2
Q.Cotius 3.2
Q.Crispinus 5.1
Q.Fabius 8.15
Q.Fabij filius degener 3.5
Q.Fabius Gurges 4.3
Q.Fabius Labeo 7.3
Q.Fabius Maximus 1.1.& 2.2.& 3.2. & 3.8.& 4.1.& 4.8.& 5.2.& 6.9.& 8.15
Q.Fabius Maximus Seruilianus 6.1
Q.Flauius 8.1
Q.Fulnius 1.2.& 2.2.& 2.3
Q.Hortensius 8.10 & 8.5.& 9.4
Q.Marcus Lepidus 8.4
Q.Marius Rex 5.10
Q.Martius Philippus 6.3

Q. Metellus 2.2. & 2.5. & 5.1 & 7.1. & 7.2. & 7.8
Q. Metellus Consul 7.4
Q. Metellus Pius 8.5
Q. Pompeij mors 9.7
Q. Scæuola 3.9. & 4.1. & 8.13. & 8.16
Q. Seruilius 8.5
Q. Seruilius Cepio 9.6
Q. Sertorius 1.3
Q. Sertorius mentitus se esse filiũ Octauiæ sororis Augusti 9.16
Q. Tubero Catelio 4.3
Q. Varius Tribunus 8.6
Q. Vgolinus 4.3

R

Regina gentis Thraciæ 9.2
Regina Tomyris 9.10
Remigis cuiusdam miraculum 1.8
Repudium primum 2.1
Rex quidam 7.2
Romæ pestilentia maxima 1.8
Romani 7.4
Romanæ gentis humanitas 5.1
Romani populi uerecundia 4.5
Romanorum ultio in Adrianum 9.10
Romanorum Legatorum mira constantia 2.1
Romanus populus 4.8
Romulus 3.2
Roscius 3.7

S

Sacellum Deæ Viriplacæ 2.3
Saguntini 6.6
Samij 1.5
Sariaster filius Tigranis Regis 9.11
Satellites regis Veientum 9.9
Saturnius Vetulio 7.3
Scæuola 8.8
Scipio 2.2 & 3.2. & 4.3
Scipio Æmilianus 2.5. & 3.7 & 5.3. & 6.4. & 8.16
Scipio Africanus 1.3. & 2.5
Scipio Asiaticus 5.3
Scipio ignobilis filius Africani 3.5
Scipio maior 5.3. & 5.5
Scipio Nasica 3.7. & 5.3. & 8.16
Scipio quidam eques 8.15
Scipio superior 7.3
Scriba Cicereius 4.5
Seleucus 1.5
Seleucus Rex 5.6
Semiramis regina Babylonis 9.3
Sempronia 3.8
Senatus 6.5. & 7.2
Senatus & Fabricius 6.5
Senatus & pop. Rom. 6.6
Senatus Romani clementia in diuersos 5.1
Senatus Romanus 3.7. & 5.1
Senex quidam 8.9

Senex quidam Atheniensis 4.5
Senibus quantum honoris impendebatur à iuuenibus 2.1
Seniores quem morem obseruabant in urbe 2.1
Seniores quomodo dabant exemplum uirtutis iuuenibus 2.1
Septem sapientes 4.1
Septitia 7.7
Sergius Galba 8.1
Serpentis mirabilis magnitudo & longitudo 1.8
Sertorius 7.3
Seruius Galba 6.2. & 9.6
Seruius Terentius 4.7
Seruius Tullius 1.6
Seruius Sulpitius 1.6
Seruus Antij Restionis 6.8
Seruus M. Antonij 6.8
Sextus Liuius Salinator 4.2
Sextus Tarquinius 7.4
Sidonius 1.8
Simonides 1.8
Simonides Poëta 1.7. & 8.7
Simulacrum Fortunæ 1.8
Siphax Rex 6.11
Socrates 3.4. & 3.8. & 6.4. & 7.2. & 8.8
Solon 5.3. & 7.2. & 8.7
Sophocles 4.3. & 8.7. & 9.11
Spartana ciuitas 2.1

Spartani 5.3
Spartanus quidam 6.4
Spartanus uterq; 3.7
Spurina 4.5 & 8.11
Spurius Cassius 6.3
Spurius Melius 6.4
Spurius Posthumius Albinus 6.3
Stasippus Tegeates 4.1
Statua prima in Italia 2.1
Sulpitia 8.16
Sulpitia uxor Lentuli 6.7
Sulpitius 1.1
Sulpitius Gallus 8.11
Syracusana fœmina 6.2
Syracusanorum puellæ duæ 3.2
Syracusanus Dion 4.1

T

Tarquinius Rex 2.1
Tarquinius Priscus 3.4
Tatius Sabinus 9.6
Tectius filius Tectij 7.7
Terentia Ciceronis 8.14
Terentius Culeo 5.2
Terentius Varro 4.5 & 8.7
Thales Philosophus 7.2
Themistocles 5.3. & 5.6. & 6. 11. & 7.2 & 8.7. & 8.15
Theodorus 3.3
Theodorus Cyreneus 6.2

Theopompus 4.1
Theramenes 3.2
Theseus 4.7
Thracia 2.1
Thrasybulus 4.1 & 5.6
Tymasitheus princeps Liparitanorum 1.2
Tiberius Cæsar 5.5
Tiberius Gracchus 1.1
& 1.4. & 4.1. & 4.2. & 4.6. & 4.7. & 6.3
& 6.5
Timantes pictor 8.12
Titinius Centurio 9.9
Titius Sextus 8.1
Titus Aetherius 9.11
Titus Ausidius 6.10
T. Barrulus 7.9
T. Cælij filij 8.6
T. Gracchus 1.6. & 4.1
T. Iubileius Campanus 3.2
T. Manlius Torquatus 3.2
T. Marinus Vrinas 9.7
T. Publius Rutilius 6.10
T. Quintus Flaminius 4.8
T. Veturius filius Veturij 6.1
Tribunus plebis, siue populus Romanus 1.6
Tribuni plebis 2.1
Tribus Pollia 9.10
Triumphandi ius 2.3
Tucia

Tucia uirgo deæ Vestæ 8.1
Tullij Annali filius 9.11
Tullus Seruius Rex 3.4
Tullus dux Volscorum 7.3
Tullus Hostilius 7.4. & 9.12
Turia uxor Quinti Lucretij 6.7
Turulius 1.1
Tusculani 7.3

V

Valerius 8.9
Valerius Coruinus 8.14
Valerius Flaccus 3.1
Valerius Publicola 1.8. & 4.4
Valesius quidam 2.1
Varro 3.4
Varro dimicans cum Carthaginiensibus 1.1
Velitum usus primò repertus 2.1
Venefica primùm orta in urbe 2.1
Veneris fanum 2.1
Venus Praxitelis 8.11
Vetilius leno 7.7
Vibius 3.2. & 9.15
Vini usus mulieribus interdictus 2.1
Virginius uir plebeius 6.1
Virgo Aemilia 1.1
Viriplacæ deæ sacellum 2.1
Vitij Salassij uxor 9.11
Volsinienses 9.1
Vxor Africani prioris 6.7

Vxores Theutonicorum 6.1
Vulcanus Alcamenis 8.11

X

Xenocrates 2.5.& 4.3.& 7.2
Xenophilus Chalcidiensis Pythagoricus 8.14
Xenophon 5.10
Xerxes 9.1.& 9.5.& 9.13

Z

Zaleucus Locrensis 6.5
Zenon Eleates 3.3
Zenon alius ibidem
Zeusis pictor 3.7

FINIS.

II
1920:
4270